EPITOME IURIS CANONICI

MUSEUM LESSIANUM

PUBLICATIONS

DIRIGÉES PAR

DES PÈRES DE LA COMPAGNIE DE JÉSUS

LOUVAIN

SECTION ASCÉTIQUE ET MYSTIQUE

SECTION THÉOLOGIQUE

SECTION PHILOSOPHIQUE

SECTION MISSIOLOGIQUE

Pour la Rédaction et l'Administration s'adresser au Secrétariat, *11, rue des Récollets, Louvain.*

Voir à la fin du volume la liste des publications du Lessianum.

MUSEUM LESSIANUM - SECTION THÉOLOGIQUE

A. VERMEERSCH, S. I.
DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI
PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS
IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

J. CREUSEN, S. I.
DOCTOR PHIL. ET B. I. C.
PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS
IN COLLEGIO MAXIMO S. I. LOVANIENSI

EPITOME
IURIS CANONICI

CUM COMMENTARIIS

AD SCHOLAS ET AD USUM PRIVATUM

Tomus III

Libri IV et V Codicis iuris ca

INDICES GENERALES

TERTIA EDITIO

AUCTIOR ET EMENDATIOR

MECHLINIAE — ROMAE, H. DESSAIN

SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE
NECNON ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.

BRUGIS : BEYAERT. | BRUXELLIS : DEWIT.

1928

IMPRIMI POTEST

F. WILLAERT, S. I.

Praepositus Prov. belg.

IMPRIMATUR

Mechliniae, die 23 Aprilis 1928

F. TESSENS, Vic. Gen.

Prodiere :

Prima editio : *mense ianuario* 1923... 4000 exempl.

Altera editio : *mense maio* 1925... 6000 exempl.

Tertia editio : *mense aprili* 1928... 6000 exempl.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

Dal Vaticano, 28 Luglio 1923.

Rev. Padre,

Ho il piacere di significarle che il Santo Padre ha ricevuto con vivo gradimento l'omaggio di filiale devozione, che la P. V. Rev.ma ed il P. Creusen hanno voluto fargli umiliando al Suo Trono l'« Epitome Iuris Canonici ».

Sua Santità si è compiaciuta nel rilevare la diligenza e lo studio con cui Ella ed il suo confratello hanno cercato di interpretare, anche in questo bellissimo ed utile lavoro, il genuino pensiero della Chiesa nel dare le sue leggi e mi ha incaricato di far giungere loro i Suoi sovrani ringraziamenti, unitamente all' Apostolica Benedizione che di cuore ha loro impartito in auspicio di celesti favori.

Mi valgo intanto della presente occasione per professarmi con sensi di distinta e perfetta stima,

della P. V. Rev.ma
Aff.mo nel Signore,
(Sig.) P. Card. GASPARRI

Rev.mo Padre
P. A. VERMEERSCH, S. I.
Università Gregoriana
ROMA.

SIGNA

AAS = Acta Apostolicae Sedis.
ASS = Acta S. Sedis.
CE = The Catholic Encyclopedia.
Coll. P. F. = Collectanea S. Congr. de Prop. Fide, altera editio.
D. Ap. = Dictionnaire Apologétique (d'Alès).
D. Th. = Dictionnaire de théologie catholique (Vacant-Mangenot).
KL = Kirchenlexikon.
N R Th. = Nouvelle revue théologique.
Period. = De religiosis et missionariis supplementa periodica, edit. A. Vermeersch, S. I. — Continuatur sub titulo :
Periodica de re canonica et morali et nunc : *Periodica de re morali, canonica, liturgica.*
de Rel. = A. Vermeersch, S. I., De religiosis institutis et personis, t. I, 2ª ed. — t. II. 4ª ed.

PRAEFATIO

His in libros IV et V Codicis commentariis Epitomem nostram absolvimus. Tertium hoc volumen eo animo conscriptum est quo totum opus incoeptum, sc. ut mera verborum Codicis vel fontium repetitione non contenti, « non dissimulatis difficultatibus, quaestiones canonum occasione subortas dissolvere » conaremur. Quo in opere procedentibus nobis eas omnes Codicis partes quarum penitior cognitio omnibus sacerdotibus exoptatur, fusius exponere visum est, ita ut ad epitomes seu compendii commoda utilitatem plenae explicationis adderemus.

Codex in lib. V. P. III ad libros II et III saepius remittit. Quotiens id evenit, compendio longiori vel breviori, pro rei natura, proposito, lectorem ad commentarios tom. I et II remisimus, ne inutili et sumptuosa repetitione eum gravaremus.

Etsi commentarii lib. IV et V Codicis multo minus quam reliqui mutandi aut augendi fuerunt, novis S. Sedis documentis inserendis haud contenti fuimus, sed interpretationem non nullorum canonum, collatis recentiorum operum sententiis retractavimus. Cf. v. g. nn. 383, 406, 412, 422, 442, 538, 546. Praeterea indices emendavimus et complerimus. Additis tandem supplementis, omnia documenta S. Sedis usque ad d. 15 mart. 1928 tradidimus.

Commentarios lib. IV et V omnes confecit P. Creusen, collatis tamen semper consiliis cum R. P. Vermeersch, a cuius sententia numquam discessit, quin lectorem moneret. Libet hic gratias agere R. D. Van Hove, lect. iuris can. in Universitate Lovaniensi, quondam magistro nostro, qui perutilibus nos saepe consiliis adiuvit; illis quoque a quibus in emendandis textu et indicibus adiuti sumus.

Utinam fructus istius laboris multis sacerdotibus, ad maiorem Dei gloriam, auxilio sit, quo leges Ecclesiae, Sponsae Christi, melius cognoscere et, quemadmodum cupiunt, observare possint.

Lovanii, in festo Annuntiationis B. M. V.
d. 25 mart. 1928.

I. CREUSEN, S. I.

INDEX ANALYTICUS

PARS SECUNDA

De causis beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum.

PARS TERTIA

De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis (cc. 2142-2194).

LIBER QUINTUS

De delictis et poenis

(I. CREUSEN, S. I.)

PARS PRIMA

De delictis (cc. 2195-2213).

PARS SECUNDA

De poenis (cc. 2214-2313).

PARS TERTIA.

De poenis in singula delicta (cc. 2314-2414).

LIBER QUARTUS

DE PROCESSIBUS

1. - 1. *Materia libri IV.* Libri I. II, III Codicis complexum continent *legum* quae in Ecclesia observandae sunt ; continet quintus *poenas* quas, ad harum legum exsecutionem urgendam, Ecclesia comminatur ; quartus interim normas praefinit ad quas certae leges casibus particularibus auctoritate publica *applicandae sunt.* Cum nempe auctoritate publica, iura subiectiva, dubia tamen vel controversa, declaranda vel definienda sunt vel delicta punienda veniunt (pars I) aut negotia quaedam aguntur maioris momenti vel difficultatis (partes II et III), boni tum publici tum privati interest ut ipse modus ad quem magistratum procedere oporteat a legislatore praefiniatur.

Vox « processus », ut ex divisione huius libri IV statim apparet, latius patet quam « iudicium ».

Processus sive modus procedendi (gall. procédure) est series actuum et sollemnitatum quae lege praescribuntur pro quaestionibus pertractandis aut negotiis expediendis publica auctoritate (cf. Noval, *De processibus*, n. 4).

2. *Divisio libri IV.* Pro obiecto et forma processus, liber quartus *in tres partes* **dividitur**, sc. :

1ª *De iudiciis*, i. e. de disceptatione et de definitione litium, sive ad iura dirimenda sive ad delicta punienda (cc. 1552-1998).

2ª *De causis beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum*, sc. de regulis servandis ad definiendum quinam cultu publico et quonam modo coli possint (cc. 1999-2141).

3ª De normis servandis in expediendis nonnullis *negotiis vel sanctionibus* poenalibus applicandis, i. e. de forma administrativa vel iudiciali minus stricta qua expediuntur causae quaedam clericorum (cc. 2142-2194).

Pro scopo nostri operis, conabimur conspectum perspicuum totius materiae huius libri et praesertim accuratam omnium *notionum* explicationem tradere ; penitior enim cognitio paucis tantum clericis in singulis dioecesibus est necessaria, quibus ob rerum difficultatem commentarii speciales sunt adeundi. Quosdam tamen titulos enucleatius exponemus, quos novisse omnibus sacerdotibus opportunum est.

PARS PRIMA. - DE IUDICIIS

Scriptores : LEGA, Card., Praelectiones in textum iuris canonici de iudiciis ecclesiasticis, I², *De iudicis ecclesiasticis civilibus*. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, t. V. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary on canon law*, t. VII. — NOVAL, O. P., *Commentarium Codicis iuris canonici*, L. IV. *De processibus*, Pars prima : De iudiciis. — ROBERTI, Fr., *De processibus*, I (1)

2. - Brevis introductio praemittitur in qua definiuntur notio iudicii (c. 1552), potestas iudiciaria Ecclesiae (cc. 1553. 1554) et tribunalia quae subsequentibus normis subiciuntur (c. 1555). Dein proponuntur normae de iudiciis in genere (Sectio I, cc. 1556-1924) et de quibusdam iudiciis in specie (Sectio II, cc. 1925-1998).

INTRODUCTIO (cc. 1552-1555)

§ 1. NOTIO IUDICII ECCLESIASTICI

3. - « Nomine iudicii ecclesiastici intellegitur controversiae in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio » (c. 1552, § 1).

« Omnis definitio in iure periculosa est » (l. 202, ff. 50, 17) : Codex proinde **iudicium ecclesiasticum** potius describit quam definit. Ad cuius descriptionis intelligentiam haec accipe : In omni iudicio controversia seu res nondum certa disceptationi subicitur et definitur, iuxta normas lege statutas, a persona publica quae ad sententiam ferendam iurisdictione ordinaria vel delegata munitur. Ut iudicium stricto sensu habeatur, causa *coram tribunali* (cf. n. 25) dirimenda est. — Quia duae sunt societates in suo genere perfectae, iudicium *saeculare* est quod in societate civili, *ecclesiasticum* quod in Ecclesia legitime exercetur.

In causa cognoscenda aliae *personae* partes necessarias et essentiales, aliae partes accessorias et minus principales habent. — Partes necessarias habent *actor* seu persona quae sibi ius aliquod vindicat, *reus* seu conventus, qui priori, se defendens contradicit, et *iudex* seu persona potestate publica constituta ad rem secundum leges definiendam.

Partes accessorias habent personae quae actorem vel reum repraesentant *(procurator)* vel adiuvant *(testes, advocatus)*, aut iudici suum auxilium praestant *(assessores, actuarius, testes, periti*, etc.). De his omnibus fusius erit dicendum.

Disceptant seu sibi contradicunt actor et reus de facto iuridico, de iure, de poena ; iudex litem definit iuxta petita, allegata, probata, ad normam strictam legum et motivis sententiae datis ; a qua sententia generatim appellare licet.

Iudicium ab aliis dirimendarum litium modis differt tum hac forma sibi propria, tum praesertim obiecto suo formali ; obiectum autem formale iudicii in eo est ut facta iuridica, iura, poenae *in casu particulari* declarentur, definiantur, infligantur *per sententiam iurisdictionalem* seu quae habeat vim legis pro partibus.

4. - **Divisiones.** — **Iudicium dividitur :**

1° *Ratione obiecti formalis* seu *finis* in **contentiosum** et **criminale.**

(1) Praeter scriptores indicatos afferendae videntur elucubrationes breves et optimae a scriptore periodici *Monitore ecclesiastico*, a. 1920, ss. confectae sub titulo « Lettura del Codice ».

Obiectum iudicii *contentiosi* sunt : « personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum facta iuridica declaranda ; » (c. 1552, § 2, 1°).

Iudicium saeculare distingui consuevit in *civile*, quo partium iura declarantur vel definiuntur, et *criminale*, quo delicta puniuntur.

Eadem divisio in iudicio ecclesiastico obtinet. Ne autem confusioni ansa praeberetur, dum in aliis iuris materiis civile idem sonat ac saeculare, maluit Codex in re iudiciaria voces adhibere *contentiosum* et *criminale*. Iudicium ergo contentiosum illud est quod a plerisque scriptoribus civile hucusque appellabatur.

Contentiosum igitur in praesenti non est audiendum prout in iure romano et apud civilistas hodiernos : hi enim contradistinguunt iurisdictionem contentiosam qua definiuntur lites, a *voluntaria* qua legis auctoritas accedit exercitio cuiusdam iuris non litigiosi (ex. g. adoptionis : C. Civ. gall., aa. 343-360). Cf. Girard, *Manuel élémentaire de Droit romain*, 5 ed. p. 974, n. 5.

Obiectum iudicii *criminalis* sunt : « delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (c. 1552, § 2, 2°).

Cum Ecclesia sola poenas *latae sententiae* imponat, in solo foro ecclesiastico sententiae poenarum mere declarativae inveniuntur.

Iudicium contentiosum subdividitur in iudicium **petitorium** et **possessorium**.

Petitorium est quo actor dominium seu ius, possessorium quo solam rei possessionem vel quasi-possessionem vindicat. Exemplo sit iudicium ad obtinendam hereditatem quam reus e testamento nulliter facto detinet (petitorium) ; ad servandum in processione locum quem collegium a quadraginta annis pacifice obtinet (possessorium).

Notandum est de eadem iuris laesione duplici iudicio posse disceptari, altero civili ad iura actoris reparanda, altero criminali ad poenam reo infligendam (c. 2210). Fieri quoque potest ut reus in criminali absolvatur, in civili damnetur. Ubi enim delictum non adest vel condonandum videtur, fieri potest ut iura quae culpa mere iuridica laesa sunt, reparanda sint.

Decreta, actus, dispositiones quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectant exclusive competunt SS. Congregationibus (1). Quare, si clericus ius suum dispositione huiusmodi laesum arbitretur, recursum apud S. Congregationem Concilii interponere potest. Neque ratione damnorum Ordinarium coram S. Rota conveniendi ius est ; ad S. Congregationem enim quae decretum dispositionemve improbare debet, pertinet exclusive definire num et quomodo reparatio damni inde secuti facienda sit.

2° *Ratione materiae*, in iudicium **spirituale** et **temporale**, prout causa mere spiritualis vel de re spirituali annexa aut de re mere temporali agitur.

De hac rerum divisione, cf. *Epitome*, II, 5. d. ; 7, II. Mere spiritualis erit causa parochi ius administrandi sacramenta vindicantis ; spirituali annexa temporalis, causa beneficiarii litigantis de validitate suae electionis ; mere temporalis, causa clerici asserentis validitatem contractus emptionis-venditionis.

(1) Resp. *Comm. I. C.* Praesidis, 22 maii 1923. — AAS., XIV, 1924, 251. — *N. R. Th.*, 1924, 563. *Per.* XIII, 121.

3° *Ratione formae* in ordinarium et particulare.

Iudicium ordinarium est in quo normae in prima sectione praescriptae servantur, particulare, in quo formae speciales adhibendae sunt, v. g. iudicium criminale, matrimoniale, etc.

Haec divisio quam ex ipsa huius Codicis partis divisione desumimus, differt omnino a consueta divisione iudiciorum, ratione formae, in ordinarium *(formale)* et extraordinarium *(summarium)*. Hoc enim sensu, iudicium criminale est species iudiciorum ordinariorum.

Olim enim distinguebant iudicium ratione formae in *sollemne* (ordinarium) et *summarium*. In priore, praeter ea quae iure naturali requiruntur, multae formae sollemnes ad validitatem iudicii observandae erant ; in altero, licebat omnes sollemnitates omittere, quae celerem litis expeditionem impediebant. — In novo iure legislator fere ea tantum capita nullitatis ratione formae retinuit, quae iure naturali nituntur, sc. legitimam citationem partium, legitimum mandatum in procuratore, competentiam in iudice. — Summaria iudicia possunt adhuc dici iudicia, de quibus in tertia parte agitur ; in illis enim, si demas quae iure naturali prorsus requiruntur, plurima iudici seu Ordinario loci eiusque consiliariis committuntur pro suo prudenti arbitrio agenda (cf. c. 2145, ss.)

5. - *De fontibus iuris iudiciarii ecclesiastici.*

Cum, finitis persecutionibus, numerus causarum quae ad iudices ecclesiasticos deferebantur in dies cresceret, necessitas apparuit canones de causis iudicialibus ad formam magis stabilem et sollemnem reducendi. Quod maxime factum est in Conciliis Africanis IVi saeculi et aliis saec. IV° et V°. Nemo mirabitur Superiores ecclesiasticos ad processus informandos multa e iure romano deprompsisse, quod opere tot Praetorum et iurisperitorum erat constitutum, immo leges romanas iam ineunte saec. VII° fuisse fontem subsidiarium ordinis iudiciarii ecclesiastici. — Postquam barbarae gentes imperium romanum invaserunt et catholicam fidem amplexatae sunt, nonnullae earum consuetudines in processus canonicos introductae sunt.

Cum scriptores collectionum, tum auctores compilationum ius istud iudiciarium perpolierunt et suo in iure loco constituerunt. Gregorius IX (1227-1241) processum canonicum perfecit, quem Clemems V (1305-1314) Decretalibus (1) de processu summario auxit. Benedicto XIV° (1740-1758) debentur reformatio processus de nullitate matrimonii et de sacra ordinatione et C. *Sacramentum paenitentiae*, de modo procedendi contra sacerdotes ad turpia sollicitantes. Etsi Pontifices sequentes suis legibus iudicia ecclesiastica nonnihil excoluerint, mutatio tamen praecipue notanda inducta est *Instructione S. C. EE. et RR.*, 11 iul. 1880, de modo procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum (2). Nonnullis praeterea regionibus concessae sunt particulares normae, sive pro causis matrimonialibus sive pro causis criminalibus et disciplinaribus clericorum (3). — Pius PP. X, s. m. in hac quoque materia utilem reformationem induxit, cum potestatem iudicialem exclusivam S. Rotae Romanae et Tribunali Signaturae tribuendo, tum decreto S. C. *Consistorialis*, *Maxima cura*, 20 aug. 1910, ordinando remotionem administrativam parochorum.

Leges Iustinianeae vel Theodosianae a promulgatione Codicis iam haberi nequeunt tamquam fons subsidiarius iuris iudiciarii ecclesiastici ; Codex enim

(1) C. 2, *de V. S.*, 11 in Clem. — c. 2, *de iudic.* II, I in Clem.
(2) ASS, XIII, 324, ss. XIX, 296.
(3) Cf. Conc. plen. Baltim. III, 1884, p. 287.

ad codices civiles hodiernos ipse remittit (cf. cc. 1770, § 2, 1° ; 1926. 1930). Multum tamen iuvant interpretationem legis ecclesiasticae.

§ 2. DE POTESTATE IUDICIARIA ECCLESIAE

I. DE EXISTENTIA POTESTATIS IUDICIARIAE ECCLESIASTICAE

6. - 1. Cum Dogmatici demonstrent Ecclesiam esse vi suae constitutionis societatem perfectam et a quavis alia independentem, eiusque Superioribus concessam esse a divino suo Fundatore supremam iurisdictionis potestatem, cognoscere potest iure *proprio*, i. e. a nullo alio Superiore concesso, et *exclusivo*, ob suam independentiam, causas quae ad leges suas iuraque fidelium, qua talium, pertinent (c. 1553).

Theologi hanc potestatem demonstrant ex Scriptura directe (Matt. XVIII, 15 ; 1 Tim. V, 15) vel indirecte (Matt. XVI, 18, ss. ; XVIII, 18) ; e perpetua praxi Ecclesiae, quae in tam constanti usu errare non potest ; e doctrina constanti S. Sedis, clarius saeculo praeterito proposita et vindicata a Pio IX (1) et a Leone XIII (2) in allocutionibus et litteris encyclicis (3) ; e ratione theologica, ob necessitatem iudiciorum ad regendam et conservandam societatem *humanam*, etsi supernaturalem.

II. DE AMBITU POTESTATIS IUDICIARIAE ECCLESIAE

7. - Causae aliae *exclusive* pertinent ad iudicia ecclesiastica, aliae dicuntur et sunt *mixti* fori.

1. « Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit (c. **1553**, § 1) :

1° « De causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus annexas » ;

Illae sunt quae directe et unice versantur circa rem sacram, v. g. validitatem contractus matrimonialis inter baptizatos ; spirituali annexae sunt quae, etsi temporales, ita cum spiritualibus conectuntur ut ab eis divelli nequeant, v. g. ius patronatus, reditus beneficii.

2° « De violatione legum ecclesiasticarum » ;

Cuius est enim leges statuere, eius est exclusivum ius de legis violatione iudicare et delicta punire.

« deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem » ;

Sedulo notanda sunt verba adhibita. In rebus enim temporalibus societatis civilis, Ecclesia ius nullum habet nisi *indirectum*, sc. quatenus propriam habet potestatem definiendi quid sit peccatum, eius occasionem removendi, coercendi poenis spiritualibus, immo temporalibus, delicta quae simul cum lege civili ius divinum vel mere ecclesiasticum violant. Ita fit ut Ecclesia poenis a iudice civili ob delicta contra bonos mores inflictis suas addat vel delicta quae lex civilis non coercet, ipsa puniat (cf. c. 2353, ss.).

---

(1) Pius IX. Allocutio *In Consistoriali*, 1 nov. 1850 ; allocutio *Acerbissimum*, 27 sept. 1852 ; ep. encycl. *Etsi multa*, 21 nov. 1873 ; C. *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869, I, 6. 7.

(2) Leo XIII, ep. encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

(3) Cf. Denzinger, *Enchir. Symb.*, nn. 499. 1505. 1697. 1724.

3° « De omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes, ad normam cc. 120. 614. 680 ».

Privilegium fori diximus niti iure divino, sed formaliter et immediate constitui iure ecclesiastico. Quonam ambitu hodie vigeat, cf. *Epitome*, I, 209, ss.

2. *Mixti fori* dicuntur causae in quibus Ecclesia simul ac civilis potestas aeque sunt competentes sive ex natura rei sive ex consuetudine vel privilegio sive ex tacita expressave concessione, ut fit in Concordatis (c. 1553, § 2).

Sunt autem natura sua praesertim causae temporales, quae elementum spirituale secum non inseparabiliter conexum habent, v. g. contractus iuramento firmatus, iura quaedam honorifica vel pecuniaria ex contractu matrimoniali oriunda, etc.

In causis istis in quibus utraque societas iudicium ferre potest, « locus est praeventioni », i. e. ille iudex totam causam dirimit ad cuius forum legitime primo delata est, quod fit citatione legitime peracta et intimata aut spontanea praesentatione partium.

Sanctio huius legis duplex est. Etenim, si quis causas mixti fori quas iudex ecclesiasticus citatione legitime intimata suas fecit ad forum saeculare iudicandas defert : 1° puniri potest a Superiore ecclesiastico aliqua iusta poena, « si scandalum forte datum aut momentum rei id ferat » (c. 2222) ; 2° « privatur iure contra eandem personam de eadem re et de conexis causam agendi in foro ecclesiastico » (**c. 1554**).

§ 3. DE TRIBUNALIBUS ET CAUSIS EXCEPTIS

8. - 1. In omnibus causis quae ad *S. Officium* spectant, normae servantur peculiares.

Ipsum enim S. Officii tribunal habet suum institutum suamque consuetudinem ; tribunalia autem Ordinariorum locorum, nam alii Ordinarii in his causis sunt prorsus incompetentes, in causis quae ad S. Officium spectant normas sequuntur quae a S. Officio ipsis praestituuntur, v. g. instruct. 20 febr. 1866 pro causis de sollicitatione ad turpia (**c. 1555**, § 1) (1).

Ad S. Officium pertinent causae quae respiciunt, v. g. haeresim vel suspicionem de haeresi (cc. 2314. 2315. 2316) ; communicationem in sacris cum acatholicis (c. 2319) ; abusum sacrilegum specierum consecratarum (c. 2320) ; superstitionem et sacrilegia (c. 2325) ; eos qui nomen sectae massonicae dederunt (c. 2336, § 2) ; sollicitationem in confessione (c. 2363) ; directam sigilli violationem (c. 2364) ; simoniam in administratione sacramentorum (c. 2371), etc.

Disputant utrum ad S. Officium pertineat necne iurisdictio iudiciaria circa causas matrimoniales mixtae religionis (2).

(1) *Coll. P. F.*, I, n. 1282. Apud WERNZ, *Ius Decretalium*, VI, n. 469, nota 20 et HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 272, annus : 1867 mendose indicatur.

(2) MONIN, A., *De curia romana*, p. 230, ss.

2. « Cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur » (c. 1555, § 2).

Hoc canone abrogantur tum capita iuris anterioris de processu sollemni vel summario, tum instructiones a SS. CC. de eadem re datae.

Recte notat Noval, *o. c.*, n. 52, religionem quae a servandis normis iudicii ordinarii seu sollemnis privilegio eximebatur, vi istius privilegii canonibus qui sequuntur non subduci. Novum enim iudicium ordinarium c. 1556, ss. institutum in locum summarii processus anterioris cessit, a quo adhibendo religio praedicta certe non eximebatur. — Viget vero contra canones sequentes privilegium quo religio a quolibet processu servando eximitur vel specialem sibi formam processus obtinuit,

3. In *dimissione religiosorum* qui vota *perpetua* emiserunt, servandae sunt normae cc. 654-668, revocato omni privilegio contrario (c. 1555, § 3. Cf. c. 654). De his cf. *Epitome*, I, nn. 753. 757, ss.

Revocantur privilegia quae ab omni processu eximant. — Quid si religioni concessum fuerit ut ad dimittendos religiosos procedat iuxta normas suas proprias? Probabilius revocatur istud quoque privilegium.

SECTIO I - DE IUDICIIS IN GENERE

9. - In hac sectione agitur de iudicio ordinario, per oppositionem ad ea iudicia et processus quae ob qualitatem partium vel naturam negotii vel conventionem (v. g. transactionem) normis specialibus reguntur.

Dividitur in XVII titulos. In quibus agitur primo de competentia (tit. I); dein de ordinatione tribunalium (tit. II), tum de ipsa procedura (tit. III-XVII), primo in genere, sc. de iudice (tit. III), de partibus (tit. IV), de actionibus et de exceptionibus (tit. V), dein in specie de ordine quo procedunt singuli iudicii actus (tit. VI-XVII).

Cum omne iudicium auctoritate publica instituendum sit, primo quaerendum est quoniam titulo quis determinato iudici subiciatur, seu de fonte iurisdictionis iudiciariae in singulis tribunalibus.

TITULUS I

DE FORO COMPETENTI

(cc. 1556-1568)

10. - **Competentia** est ambitus seu mensura iurisdictionis, et dicitur in specie de potestate quam iudex relate ad causam sibi propositam possidet.

Competentia iudicum determinatur qualitate personarum (c. 1557, §§ 1. 2) vel materiae (c. 1560); aut ratione loci (cc. 1561-1566). — Praeterea competentia prorogatur ad causas cum causa principali conexas (c. 1567) et inter plures iudices aeque competentes locus datur praeventioni (c. 1568). Tandem S. Pontifex potest semper causas ad suum iudicium advocare iisque committere cognoscendas, quos ad id elegerit (c. 1557, § 3).

Defectus competentiae alius est absolutus, alius relativus. Incompetentia *absoluta* primario ob bonum publicum decernitur ; iudicium reddit ipso facto nullum nullitate insanabili (c. 1892) ; a quolibet, etiam ab actore, idque in quovis causae stadio (cc. 1911. 1628 § 2) opponi potest. — Incompetentia *relativa* primario ob bonum privatum definitur ; proinde, nisi iudex eam, prout ex officio facere debet, declaraverit, a solo reo in cuius favorem instituta est, opponi potest ; si reus eam opponere omiserit tempore debito (cf. c. 1628, § 1), sententia, ea non obstante, lata, valida erit.

Forum in re iudiciaria designat praesertim tribunal seu iudicem qui exercet aliquam potestatem ; designat quoque ipsam potestatem iudicialem.

Dicitur *necessarium* (c. 1560), quod lege, sine ulla alia optione, assignatur ; *liberum*, illud quod e pluribus eligi potest (c. 1561. ss.). Nota bene iudicem non absolute incompetentem esse, si ad ipsum causa deferatur quae sola ratione territorii (v. g. loci administrationis, beneficii) apud alium habeat forum necessarium.

§ 1. DE IMMUNITATE ABSOLUTA ROMANI PONTIFICIS

11. - « Prima Sedes a nemine iudicatur » (**c. 1556**).

Vicarius enim Christi in terris vi *coactivae* nullius legis humanae subicitur. Neque, contra atque censebant quidam scriptores saec. XIVi et XVi, a Collegio Cardinalium iudicari potest qui ipsum elegerint, cum eius electio determinationem personae, non collationem potestatis operetur. Idque valeret etiam si graviter delinqueret. Si vero a fide, tamquam privatus, deficeret, quod plerique reputant impossibile, ipso facto sua suprema potestate destitueretur, quippe qui voluntarie e sinu Ecclesiae exiret.

§ 2. DE CAUSIS S. SEDI RESERVATIS

12. - Causas iudiciarias maiores seu S. Sedi reservatas, iudicant ipse R. Pontifex aut tribunalia ordinaria S. Sedis vel tribunal specialiter a S. Pontifice constitutum.

13. - I. *Ipsius R. Pontificis* dumtaxat ius est iudicandi (**c. 1557**, § 1) :

1° Supremos populorum rectores eorumque filios et filias, eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum ;

Hoc privilegium non participant, quia supremi non sunt, ministri regii, senatores, deputati. Communicatur vero cum supremi rectoris comparte.

2° Cardinales, a sua promotione in Consistorio ;

3° Legatos Sedis Apostolicae, sc. Legatos a latere, Nuntios, Internuntios et Delegatos apostolicos ; non autem illos Praelatos qui titulum Legati honorificum ob sedem suam sortiuntur (cf. *Epitome,* I, 347) ;

4° Episcopos omnes in criminalibus, seu quando agitur de delicto declarando vel puniendo.

14. - II. *Tribunalibus Sedis Apostolicae* reservatur iudicare :

1° Episcopos residentiales, in contentiosis, nisi agatur de iuribus vel bonis temporalibus episcopi aut mensae vel curiae dioecesanae (cf. c. 1572, § 2).

Episcopi titulares subiciuntur in contentiosis Ordinario loci, ut alii fideles.

2° « Dioeceses aliasve personas morales ecclesiasticas quae Superiorem infra R. Pontificem non habent, uti religiones exemptas, Congregationes monasticas, etc. » (c. 1557, § 2).

15. - III. R. Pontifex ob suum primatum potest quaslibet causas ad se delatas iudicare aut dirimendas per se vel aliud a se constitutum tribunal ad se advocare (c. 1557, § 3).

IV. Vidimus supra n. 8, causas omnes quae fidem aliquo modo respiciunt ad S. Officium esse deferendas.

In omnibus causis istis incompetentia aliorum iudicum est absoluta nullusque eorum quibus favet, huic privilegio renuntiare potest (**c. 1558**).

§ 3. DE FORO QUOD AD CAUSAS MINORES

I. PRINCIPIA GENERALIA

16. - 1. **Titulus fori** seu competentiae est actus vel factum quo determinatur potestas relativa iudicum.

Nemo, sive volens sive nolens, in prima instantia seu primo iudicandi gradu conveniri licite potest, nisi coram iudice qui sit competens ob unum e titulis qui in cc. 1560-1568 proponuntur (**c. 1559**, § 1).

Haec prohibitio, quae exceptione c. 1565, § 2 firmatur, ius vetus abrogat, quo licebat partibus *prorogare* seu extendere in se iurisdictionem iudicis de persona in personam, de re ad rem, etc. — Prorogabatur v. g. competentia iudicis ex consensu litigantium, si actio de re erat quae cum rebus eius iurisdictioni subditis aliquam similitudinem habebat, nullam tamen veram connexionem.

2. Iudex cui nullus e sequentibus titulis suffragatur laborat **incompetentia relativa**, quae illicitam eius actionem facit ; quare ministerium suum recusare ipse debet, a convento autem semper respui potest (c. 1559, § 2).

3. Principium generale quo *forum liberum* determinatur hoc est : « *Actor sequitur forum rei* », i. e. actor debet convenire reum apud iudicem qui sit, aliquo titulo, rei Superior, cum debeat in eum sententiam ferre. « Quod si reus multiplex forum habeat, optio fori actori conceditur » (ibid. § 3). Decet enim ut actori qui ius suum persequi censetur, optio fori concedatur.

II. DE FORO NECESSARIO

17. - c. 1560. « Forum necessarium habent :

1° « *Actiones de spolio* coram Ordinario loci rei sitae ; »

Actione *de spolio* actor petit ut in possessionem vel quasi-possessionem restituatur a qua violenter turbatus est (cf. c. 1698, ss. Infra, n. 139, ss.).

2° « Causae respicientes beneficium, quamvis non residentiale coram Ordinario loci beneficii ; »

Idque non tantum si de reditibus agatur, sed etiam de collatione, institutione, etc.

3° « Causae quae versantur circa administrationem, coram Ordinario loci ubi administratio gesta est ; »

4° « Causae quae respiciunt hereditates aut legata pia, coram Ordinario loci domicilii testatoris, nisi agatur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas ».

Exsecutio opponitur quaestionibus circa validitatem testamenti vel legati. — Ratio canonis est quod in loco domicilii testatoris verisimiliter erunt res quae testamento vel legato conceduntur, facilius testes invenientur, etc. Curnam Noval, n. 72, censeat hic agi de domicilio secundum leges civiles, non perspicimus.

In illis quattuor casibus, applicatio specialis et obligatoria habetur principii quo *res sita* forum determinare potest.

III. DE FORO LIBERAE OPTIONIS

18. - *De foro competenti ratione domicilii.*

1. Quilibet conveniri potest coram Ordinario loci sui domicilii, veri aut legalis, et quasi-domicilii (**c. 1561**, § 1).

Uxor domicilium mariti retinet etiam mortui quamdiu in viduitate manet, nisi ipsi renuntiet. *Clericus* domicilium habet in loco beneficii residentialis ; *religiosus*, in loco domus religiosae cui ascribitur.

Vagus forum sortitur Ordinarii loci ubi actu commoratur ; quod si actu itineretur, ratione *commorationis* nullum forum habet (**c. 1563.** Cf. *Epitome*, I, nn. 186. 188) ; habet vero ratione delicti, etc.

Ordinarius domicilii iurisdictionem exercere potest etiam erga subditum absentem. Cum tamen extra territorium agere non possit, auxilio tribunalis loci uti debebit ubi subditus tempore iudicii residet, ad normam c. 1570, § 2.

2. Qui *peregrinus* est in Urbe, etiam per breve tempus, potest, si consentiat, etiam coram Vicario Urbis conveniri ; qui ab anno in Urbe commoratur, potest exigere ut coram tribunalibus Urbis iudicetur (**c. 1562**).

Urbs enim, sicut erat peregrinis in Republica romana altera patria (1), qua talis nunc a fidelibus considerari potest.

(1) Cicero, *De legibus*, II, 2.

19. - *De foro competenti ratione rei sitae.*

Reus, etiam absens conveniri *potest*, at non debet, coram Ordinario loci ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa est (c. 1564).

Actio *in rem* actioni *personali* opponitur. Per primam intendimus aliquam rem esse nostram aut ius aliquod, utputa servitutis, ususfructus, hypothecae, nobis competere ; per alteram intendimus aliquem ex contractu, ex delicto aut alia ratione nobis obligatum, aliquid dare, facere aut praestare oportere (cf. Vidal, S. I., *Institutiones iuris romani*, Prati, 1917, n. 145). Sunt praeterea actiones *mixtae*, quae sc. duplici petitione constituuntur, ut si quis simul rem suam repetat et indemnem se fieri exigat. Stricte loquendo, ab elemento principali personales vocandae essent (cf. Lega, *o. c.* n. 183, 3).

20. - *De foro competenti ratione contractus.*

Quicumque, etiam clericus, contractum inivit, potest vi iuris communis (c. 1565, § 1) conveniri coram Ordinario loci in quo contractus initus est vel adimpleri potest, quamdiu ex illo loco non discessit. Praeterea permittitur contrahentibus ut *in actu contractus*, i. e. in ipsa conventione sive orali sive scripta, locum quemlibet, alium quoque ac locum initi contractus aut locum domicilii vel quasi-domicilii alterutrius, eligant, in quo etiam absentes, i. e. postquam discesserint, citari et iudicari possint (ibid. § 2). Post factum contractum electio eiusmodi non permittitur.

Reus vi iuris *communis* non potest citari coram Ordinario loci in quo contractus initus est, postquam ex eo discessit. E responso enim *Comm. I.C.*, d. 14 iul. 1922 (1), scimus facultatem in c. 1565, § 2 contrahentibus relictam simul ambitum iuris communis in § 1 expositum restringere.

21. - *De foro competenti ratione delicti.*

Qui delictum commisit conveniri potest et puniri potest a iudice territorii in quo actus delicti positus est, etsi eius effectus in alio territorio sequatur (c. 1566, § 1). Actus autem est sive delictum sive eius inchoatio, si haec poena plectatur (cf. c. 2212, de conatu delicti).

Immo « licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci ius habet ipsum citandi ad comparendum, et sententiam ferendi » (ibid. § 2).

Iudex loci delicti potest reum poenis ecclesiasticis ad comparendum cogere ; eius tamen bona in alio territorio sita, nisi per iudicem illius territorii id agat, apprehendere non potest. Extra locum delicti, reus, vagis exceptis, ab Ordinario loci in quo actu commoratur iudicari non potest, si in isto loco nullum habeat domicilium.

Causae huius competentiae sunt quod decet : 1° ut ipsi incolae loci in quo delictum est commissum, poena in illud dicta a delictis absterreantur ; 2° ut ordo publicus restituatur ubi laesus est ; 3° ut delictum iudicetur ubi facilius causa instruetur.

---

(1) AAS, XIV (1922), 529. — *Ius Pontificium*, II, 125. — *N. R. Th.*, 1923, 112. — *Per.*, XI, 165.

22. - *De foro competenti ratione conexionis causarum.*

Quia causae naturaliter conexae facilius ab uno iudice expediuntur, vitatis inutili circuitu, maioribus expensis et temporis dispendio et diversis de conexis rebus sententiis, « ratione conexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se conexae, nisi legis praescriptum obstet » (**c. 1567**).

Conexio exsistit quando in duabus causis idem est unum saltem e tribus elementis quae contentioni iudiciali necessaria sunt, sc. personae litigantes, actio seu titulus iuridicus litis, obiectum actionis seu res de qua litigatur. — Exempla haec sint : *a*) *ratione personarum.* Si reus a quo debitum repetitur, ab actore quoque debitum quo suum compensatur, reconventione exigit, actor reconventus non potest iudicem conventi tamquam incompetentem respuere ; — *b*) *ratione actionis,* si omnes debitores in solidum apud eundem iudicem conveniantur, etsi diversa domicilia habeant ; — *c*) *ratione rei petitae,* v. g. iudex qui de hereditate dividenda competens est, poterit dirimere contentionem de legitimis natalibus unius heredis, de pertinentia rei cuiusdam ad hereditatem, etc.

Haec tamen extensio iurisdictionis interdum impeditur. Lex ipsa extensioni competentiae e conexione obstat, cum quosdam iudices absolute incompetentes declarat vel certis negotiis forum necessarium assignat, etc. (cf. cc. 1537. 1560).

23. - *De foro competenti ratione praeventionis.*

Praeventio in eo consistit quod unus iudex, legitime competens, prae altero iudice, per se aeque competenti, causam assumens, alterum excludit a iudicanda causa praeoccupata (**c. 1568**).

Non sunt aeque competentes iudices apud quorum alterum actio forum necessarium habet.

Praeventioni locus est in causis mixti fori (c. 1553, § 2) ; quando reus mutat domicilium antequam legitime est citatus (c. 1566) ; quando plurium qui in solidum fuerunt delegati, i. e. qui non debent collegialiter procedere, unus negotium praeoccupat (c. 205, § 2) ; quotiens actor forum liberum elegit (c. 1559, § 3).

TITULUS II

DE VARIIS TRIBUNALIUM GRADIBUS ET SPECIEBUS

(cc. 1569-1607)

Scriptores : LEGA, *De iudiciis*, I², nn. 38, ss. 326. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 76, ss. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, VII, in h. cc. — NOVAL, O. P., *Commentarium*, in h. cc. — ROBERTI, Fr., *De processibus*, I.

24. - Ordo Codicis. Hic titulus introductione et quattuor capitibus absolvitur. — Introductio principia generalia de hierarchia tribunalium exponit (cc. 1569-1571) ; caput I agit de tribunalis ordinarii primae instantiae gradu et constitutione ; quae de constitutione dicuntur, valent quoque de tribunalibus secundae instantiae et partim de aliis tribunalibus (cc. 1572. 1595) ; caput II est de tribunali ordinario secundae instantiae seu metropolitano (cc. 1594-1596) ; caput III constitutionem et competentiam tribunalium ordinariorum S. Sedis exponit (cc. 1597-1605) ; caput IV, commemoratis principiis de iurisdictione delegata, brevissime indicat quomodo tribunal delegatum constituatur (cc. 1606. 1607).

INTRODUCTIO (cc. 1569-1571)

25. - *Notiones praeviae.*

Tribunal designat *locum* in quo sententiae iudiciales redduntur aut *personas* iudicum sive solas sive cum iis qui iure ad actionem peragendam ipsis adduntur, v. g. actuarii.

Gradus tribunalium distinguuntur iuxta hierarchiam ecclesiasticam, atque in primis iuxta distinctionem inter S. Sedem et Ordinarios locorum. *Species* vero tribunalium qualitate obiecti (iuris vel delicti) aut iurisdictionis (ordinariae vel delegatae) definiuntur.

Gradus iudicii seu instantiae designant numerum et ordinem propositionum causae ; nam plures generatim permittuntur. Non semper conveniunt cum gradibus tribunalium, nam v. g. appellatio fit ab uno turno tribunalis Rotalis ad turnum sequentem (cc. 1571. 1599, § 1, 2° ; § 2), qui eiusdem tribunalis est alia pars. — **Instantiae** variae remedium praebent contra errorem, neglegentiam aut malitiam iudicum.

26. - Tribunalia **dividuntur in :**

a) Tribunalia S. Sedis et tribunalia Ordinariorum ;

b) Tribunalia primae et secundae instantiae ;

c) Tribunalia ordinaria et tribunalia iudicum delegatorum sive a S. Sede sive ab Ordinariis.

Praeter causas S. Sedi reservatas (c. 1557, §§ 1. 2) vel ad eam advocatas (c. 1557, § 3) aut extraordinarie delatas (c. 1569, § 1), omnis actio in prima

instantia apud Ordinarium loci absolvitur (c. 1572); in secunda instantia transit ad tribunal Metropolitae (c. 1594), vel si sententia fuerit tribunalis Metropolitae, appellatur ad semel electum, cum approbatione S. Sedis, tribunal suffraganei; nisi statim appellatio ad S. Rotam deferatur (c. 1599); ubi sententiae duorum tribunalium inferiorum non sunt conformes nec damnatus secundae acquiescit, res ad S. Rotam deferenda est, quae est tribunal ordinarium appellationis, etsi in quibusdam regionibus constituantur tribunalia tertiae instantiae. Tandem recursus fit ad Signaturam Apostolicam contra quasdam Rotales sententias, v. g. ad iudicium de forma vel de revisione instituendum (c. 1603).

27. - 1. *De primatu iudiciali S. Sedis.*

Integrum est cuilibet fideli causam suam cuiuslibet generis, in quovis gradu iudicii vel litis statu ad S. Sedem deferre.

Recursus ad S. Sedem exercitium alius iurisdictionis suspendit:

a) In casu appellationis a sententia lata;

b) Secus, statim ac constat R. Pontificem causam ad se advocasse. Usque ad acceptam hanc notitiam, potest iudex qui rem cognoscere coepit, iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam (**c. 1569**).

28. - 2. *De auxilio ab alio tribunali petendo.*

Quodlibet tribunal, non certo incompetens, a quolibet alio, etiam superiori, auxilium necessario ex canone **1570** praestandum, petere potest « quod attinet ad partium et testium examen, aut citationem, documentorum vel rei controversae inspectionem, decretorum intimationem aliaque huiusmodi ».

Necessitas huius auxilii patet cum reus aut testes a loco iudicii absentes esse possint, cum documenta, quae mitti non possunt, e transcriptione non satis cognosci possint, etc. et iudex in alio territorio non possit qua talis agere.

29. - 3. *De competentia quod ad alteram eiusdem causae cognitionem.*

« Qui causam vidit in uno iudicii gradu, nequit eandem causam in alio iudicare » (**c. 1571**).

In casu igitur appellationis, non sola persona iudicis, sed ipsum tribunal mutari debet. Non excluditur tamen primus iudex, si causa ob querelam nullitatis in eodem gradu iterum iudicatur (c. 1893). — Apud S. Rotam, cum singuli turni totidem tribunalia ab invicem independentia constituant, sententia ab uno turno lata ad sequentem in appellatione defertur (c. 1599, § 2). — Ab *Officiali* ad Ordinarium non appellatur, cum unum cum ipso tribunal constituat (c. 1573).

Caput I. - De tribunali ordinario primae instantiae

30. - In isto capite definiuntur personae quae tribunal ordinarium primae instantiae constituunt, cum suis dotibus et officio. — Agitur primo de iudice in causis clericorum saecularium et laicorum (cc. 1572-1578) et in causis religiosorum (c. 1579); dein de adiutoribus iudicum (art. II-IV), quorum alii sunt necessarii aut semper, v. g. notarius (c. 1585), aut in certis iudiciis, ut puta defensorem vinculi (c. 1587), alii ad arbitrium Ordinarii instituuntur, ut auditores (c. 1580).

Art. I. - De iudice

31. - **Iudex** ecclesiasticus est persona publica iurisdictione ecclesiastica praedita ad cognoscendas et definiendas iuxta praescripta iuris canonici subditorum litigantium controversias (WERNZ, V, n. 77, II).

Eius officium est facto ius applicare ; quod implet sive *ad instantiam partium*, ut eorum actioni obsequatur, sive *ex officio*, i. e. motu proprio, ad tuendum bonum commune.

Dividuntur iudices praesertim :

a) ratione *qualitatis* iurisdictionis, in iudices *ordinarios* et *delegatos* ;

b) ratione *compositionis* tribunalis, in iudices *singulares* et *collegiales* ;

c) ratione *relationis* iudicum eiusdem tribunalis inter se, in iudices *principales* et iudices *instructionis* seu auditores.

§ 1. DE IUDICIBUS IN CAUSIS LAICORUM VEL CLERICORUM SAECULARIUM

I. DE PERSONA ET DOTIBUS IUDICUM

32. 1. In singulis dioecesibus *iudex primae instantiae* est **Ordinarius loci**, qui potestatem iudiciariam exercere potest sive per se sive per alios (**c. 1572**, § 1).

Excipiuntur : 1° causae superiori tribunali reservatae ;

2° causae religiosorum exemptorum inter se ;

3° causae fiscales.

Causae fiscales eae sunt quae ad iura aut bona temporalia ipsius episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae pertinent.

2. Ut stricte applicetur principium « nemo iudex in propria causa », causae fiscales deferendae sunt : « vel, episcopo consentiente, ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat Officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus, vel ad iudicem immediate superiorem » (c. 1572, § 2), sc. ad Metropolitam proprium ratione territorii vel ex designatione ad normam c. 285 facta (cf. *Epitome*, I, n. 359, 1 ; c. 1594. §§ 1-3).

3. Quod de officio Ordinarii loci hic dicitur, valet de Abbate vel Praelato *nullius*, de Vicario Capitulari, non de Vicario Generali, saltem qua tali (cf. c. 1573) ; nec de Vicariis vel Praefectis Apostolicis, cum Codex de « dioecesi » loquatur (cf. c. 215, § 2) ; ceterum, in eorum territoriis plurima e sequentibus applicari nequeunt. Alii per quos Ordinarius suam potestatem exercere potest, sunt Officialis, iudices synodales et iudices specialiter delegati.

II. DE OFFICIALI

33. - **Officialis** est sacerdos cui in tribunali dioecesano episcopus

officium committit iudicandi potestate *ordinaria* causas sibi non reservatas (**c. 1573**).

Debet a quolibet episcopo eligi unicus, distinctus a Vicario Generali, nisi paucitas negotiorum aut parvitas dioecesis aliud suadeat, in iure canonico doctor vel saltem vere peritus, annos natus non minus triginta. — Potest e rationabili causa ab episcopo ad nutum removeri, non ita a Vicario Capitulari, et indiget ad liceitatem actuum, confirmatione a novo episcopo data. — Cum ei subdantur eaedem personae et res in eodem iudicii gradu atque episcopo, unum cum eo tribunal constituit nec datur ab Officiali ad episcopum appellatio.

Ubi eadem persona utrumque officium Officialis et Vicarii Generalis implet, sede vacante cessat a Vicarii, non ab Officialis munere. Si Officialis in Vicarium Capitularem eligatur, cessat a suo munere et alium sui loco nominare debet.

III. DE VICE-OFFICIALIBUS

34. - **Vice-officiales** sunt sacerdotes quos episcopus, si voluerit, eligit, Officialis adiutores. — De eorum dotibus, potestate, amotione et confirmatione ea valent quae de ipso Officiali. Qui tamen in Vicarium Capitularem eligatur, etsi munere cedit, non tenetur alium vice-officialem constituere (c. 1573, §§ 3-5).

IV. DE IUDICIBUS SYNODALIBUS ET PRO-SYNODALIBUS

35. - **Iudices synodales** sunt presbyteri in synodo ab episcopo propositi et, approbante synodo, constituti ut potestate *delegata* in iudiciis partem habeant (**c. 1574**).

Demortuis inter unam et aliam synodum alii ab episcopo libere sufficiuntur, qui vocantur pro-synodales (cf. c. 385).

In qualibet dioecesi ab episcopo eligendi sunt iudices synodales, etsi extradioecesani, in iure canononico vere periti, non plures quam duodecim, qui causas sibi specialiter commissas una cum iudice ordinario iudicent. Pro-synodales synodalibus in omnibus aequiperantur (c. 1574, coll. cc. 385-388).

Ante Codicem iudices synodales potius titulum quam munus habebant. Eligebantur enim ex praescripto Conc. Tridentini, decretalem Bonifacii VIII confirmantis, ad iudicandas causas a S. Sede in dioecesi delegatas (Conc. Trid. Sess. XXV, de ref. c. 10) ; quod ultimo saeculo raro accidebat.

§ 2. DE IUDICIBUS SINGULARIBUS ET COLLEGIALIBUS

36. - Tribunal constitui potest uno vel pluribus iudicibus. — **Tribunal collegiale** est illud quod tribus, quinque vel pluribus iudicibus constans, ad maiorem suffragiorum partem actus processuales perficere

et sententiam ferre debet. Puta tribunal dioecesanum in causa criminali (c. 1576) et tribunalia ordinaria S. Sedis (cc. 1598. 1602).

37. - *De iudice unico.*

« Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores consulentes sibi asciscere potest; quos tamen ex iudicibus synodalibus eligere debet » (**c. 1575**).

Assessor, qua talis, nullam habet iurisdictionem et iudici assistit tamquam *consiliarius.* Sub vetere iure eligi non poterat, nisi iudex se eo indigere « quod conscientiae eius relinquatur » iudicaret. Sine causa sufficienti eligens, de suo tenebatur eum remunerare. Nunc vero semper eligi possunt duo assessores, impensis litigantium.

38. - *De tribunali collegiali.*

1. Tribunal collegiale dioecesanum constare debet tribus vel quinque iudicibus, sc. episcopo aut Officiali vel vice-officiali qui praeest et processum dirigit, et duobus vel quattuor iudicibus synodalibus electis per turnum. — Licet tamen episcopo alios sacerdotes ad hoc munus eligere, si id opportunum iudicaverit (**cc. 1576-1578**).

Exceptis causis suis fiscalibus (cf. n. 32, 2), episcopus potest semper ipse per se tribunali praeesse. Consulitur tamen satis instanter (*valde expedit*) ut causas difficiliores (*contentiosas gravis momenti*) aut quae eius personae invidiam forte creare possint (*causas criminales*) tribunali ordinario relinquat, cui praesit Officialis aut Vice-officialis (c. 1578).

2. « Reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio » (**c. 1576**) :

1° Tribunali *trium* iudicum reservantur :

a) Causae contentiosae de validitate vinculi sacrae ordinationis et matrimonii ;

b) Causae contentiosae de iuribus et bonis ecclesiae cathedralis ;

c) Causae criminales « in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione ».

Agitur hic de excommunicatione quae *iudicialiter* irroganda aut declaranda est ; quae enim praecepto particulari fuerit lata, satis est ut scripto vel coram duobus testibus declaretur vel infligatur (c. 2225).

2° Tribunali *quinque* iudicum reservantur :

« Causae quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important » ;

Poena depositionis plectuntur v. g. clerici apostatae, haeretici aut schismatici qui, iterata monitione, non resipuerint (c. 2314, § 1, 2°) ; qui species consecratas abiecerint vel ad malum finem abduxerint aut retinuerint (c. 2320) ; procurantes abortum (c. 2350, § 1) ; qui, deposito habitu, ad vitae statum a clericali notorie alienum transierunt, si rursus moniti, non resipuerint intra tres menses (c. 2379) ; etc.

3° Tribunali trium aut quinque iudicum causae aliae committi possunt, idque consulitur si sunt difficiliores et maioris momenti (c. 1576, § 2).

3. « Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragionum partem sententias ferre » (c. **1577**, § 1).

§ 3. DE TRIBUNALI PRO CAUSIS RELIGIOSORUM

39. - Si causa agitur inter religiosos *eiusdem* religionis *clericalis exemptae*, iudices sunt Superiores religiosi ; in aliis omnibus causis in quibus religiosi agunt, iudex primae instantiae est Ordinarius loci, ad normam c. 1560, ss. Regulares ergo, si cum religiosis alius religionis vel clero saeculari vel laicis litigant, ab Ordinarii iurisdictione non sunt exempti.

In primo casu, si controversia sit *inter religiosos*, iudex est Provincialis vel Abbas localis rei conventi ; si res inter duas *provincias* controvertatur vel inter duo *monasteria* sui iuris, iudex est Moderator supremus religionis vel congregationis monasticae, nisi in utroque casu constitutiones aliud decernant (c. **1579**).

Quid si inter *domos* duarum provinciarum res agatur ? Ut videtur, Provincialis domus conventae iudex erit ; non enim provincia directe agit.

Art. II. - De auditoribus et relatoribus.

40. - 1. **Auditor** est clericus iurisdictione munitus ad testes citandos et audiendos aliaque acta iudicialia instruenda, iuxta tenorem mandati.

Constitui potest a iudice qui causam cognoscit ; pro tribunali dioecesano valde suadetur ut e iudicibus synodalibus, pro tribunali religioso praecipitur ut e sodalibus eiusdem religionis deligatur (cc. **1580. 1581**). *Removeri* potest quolibet litis momento, sed iusta de causa et vitato partium detrimento (c. **1583**).

Eius *munus* est praeparare processum, ideoque vocatur *iudex instructor* ; sententiam definitivam numquam ferre potest (c. **1582**). — Eidem regulariter non committuntur, et in criminalibus sine mandato speciali committi non possunt, citatio et litis contestatio ; neque ea quae definitionem causae constituunt, ut transactio, iuramentum decisorium, correptio iudicialis (c. 1941, ss.). In processu de dimittendo religioso, Superior localis munus instructoris obit cum specialibus facultatibus (c. 663).

2. Relator seu *Ponens* est iudex a praeside tribunalis collegialis e collegio designatus ut in coetu iudicum speciem facti, probationes et allegationes utrimque allatas, suamque conclusionem motivis probatam breviter exponat et sententias collegarum sub formula ab iisdem probanda in scriptis redigat.

Debet in singulis causis *eligi*, *potest* vero ex iusta causa a praeside *removeri*, alio substituto (**c. 1584**).

In tribunali S. Rotae praeses turni simul est Ponens seu relator ; sed potest, iusta ex causa, hoc munus alii deferre (Lex propria, c. 21). Ex verbis c. 1584 : « debet unum de iudicibus... designare » videtur praeses tribunalis dioecesani munere Ponentis fungi non posse (Sic quoque NOVAL, *o. c.* n. 137).

Art. III. - De notario, promotore iustitiae, vinculi defensore

41. - **Notarius** est persona publica a legitimo Superiore constituta ut acta, praesertim extraiudicialia, ab ipsa conscripta fidem faciant (WERNZ, V, 130). — *Actuarius* communiter dicitur qui deputatur ad acta *iudicialia* exaranda.

Cancellarius est qui curiae eo fine addicitur ut eius acta iudicialia et extraiudicialia scriptis referat eaque in archivo custodiat.

In quovis, etiam summario (i. e. administrativo) processu, in processus confectione atque in principalis causae cognitione et definitione « interesse oportet notarium qui actuarii munere fungatur, adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata vel saltem ab eo subscripta » (**c. 1585**, § 1).

Hoc praescriptum a tribunalibus civilibus mutuatum Innocentius III (c. 11, *de probationibus*, X, II, 9) in ius canonicum induxit.

Actuarius in singulis causis designatur ab Ordinario vel a iudice eligitur ex legitime constitutis (c. 1585, § 2). Ex cc. 372 et 373 debet episcopus sibi constituere cancellarium qui eo ipso notarius est ; potest quoque alios notarios constituere. — Exceptis causis criminalibus clericorum, notarii laici esse possunt, quippe qui nulla iurisdictione potiantur (c. 373, § 3).

42. - Simul agit Codex de promotore iustitiae et de defensore vinculi. Eadem enim persona duplex illud munus obire potest, nisi multiplicitas negotiorum et causarum id prohibeat (c. 1588, § 1), et utrumque officium eundem finem habet, sc. tuendi iustitiam et legem seu bonum commune.

43. - 1. **Promotor iustitiae** est sacerdos ab Ordinario publice constitutus ut ex officio in causis contentiosis iura ecclesiae vel legis defendat et in criminalibus officium accusatoris publici suscipiat. — **Defensor vinculi** vero est sacerdos ab Ordinario publice constitutus ut in causis ordinationis aut matrimonialibus validitatem vinculi contra eius accusatorem defendat (**c. 1586**). Per se, nihil prohibet quin eadem persona utroque officio fungatur (**c. 1588**).

Sub priore iure promotor iustitiae vocabatur quoque *procurator fiscalis*, quia partes agit defensoris iurium reipublicae, quae in fisco comprehenduntur. Huius officii origo, iuxta LEGA (*De iudiciis*, I, 146) ab inquisitione ex officio contra delicta in Ecclesia instituta repetenda est ; neque admittit ius regium Galliae, saec. XIII instituto canonico Procuratoris fiscalis praeivisse. Nec in iure romano, nec in corpore iuris canonici titulus specialis de hoc officio invenitur.

2. *Necessitas officii.*

In causis in quibus eorum praesentia requiritur :

1° Acta *non valent* nisi vel legitime citati fuerint vel ipsi, etsi non citati, revera interfuerint ;

2° Acta valent, sed eorum examini omnino sunt subicienda, si legitime citati non interfuerint. Quid si legitime citati, nulli actui interfuerint ? NOVAL, *o. c.* n. 145 censet acta valere, sed omnino eorum examini esse subicienda. (**c. 1587**).

3. *De eorum electione.*

Eliguntur ab Ordinario, a quo, iusta intercedente causa, removeri possunt. Electi ad universitatem causarum, a munere non cessant, sede vacante, nec a Vicario capitulari removeri possunt ; a novo Praelato confirmandi vel removendi sunt (**cc. 1589. 1590**).

Vicarius generalis promotorem iustitiae et defensorem vinculi nominare potest, si nullus adsit in curia (Cf. LEGA, *l. c.* 150).

« In tribunalibus religiosorum promotor iustitiae sit... eiusdem religionis alumnus » (c. 1589, § 2).

Art. IV. - De cursoribus et apparitoribus

44. - **Cursores et apparitores** sunt publici ministri, ut plurimum laici, qui tribunal adiuvant in actis intimandis vel exsecutioni mandandis. *Cursor* nempe acta iudicialia nomine iudicis intimat et scriptam intimationis rite factae relationem iudici tradit ; *apparitor* sententias ac decreta iudicis, v. g. mulctam pecuniariam, eo committente, exsecutioni mandat. — Eadem persona utroque officio fungi potest (**c. 1591**).

Nominantur ab Ordinario ad singulas causas vel modo stabili ; a quo removeri possunt, non tamen a Vicario capitulari, sine consensu Capituli (**c. 1592**). Eorum acta scripta publicam fidem faciunt et pro illis stat praesumptio iuris, quae tamen directe impugnari potest (**c. 1593**).

Caput. II. - De tribunali ordinario secundae instantiae

45. - 1. *Iudex secundae instantiae* est :

1° Metropolita pro suffraganeis ;

2° Suffraganeus semel pro semper electus, probante Sede Apostolica, pro Metropolita ;

3° Metropolita vicinus semel pro semper, cum assensu S. Sedis, electus ad normam c. 285, si Metropolita aliquis careat Suffraganeis vel episcopus residentialis directe S. Sedi subdatur. (Cf. *Epitome*, I, n. 359.)

Titulus capitis innuit recursum ad tribunal S. Rotae in secunda instantia non esse viam appellationis ordinariam.

2. Inter religiosos exemptos eiusdem religionis clericalis vel monasterii sui iuris;

1° Consulendae sunt constitutiones;

2° Causae actae coram Provinciali deferendae sunt postea ad Supremum Moderatorem; actae coram Abbate locali, ad supremum Moderatorem congregationis monasticae.

Si causa non agatur unice inter religiosos exemptos eiusdem religionis, serventur regulae supra n. 39 propositae (**c. 1594**).

3. In constitutione et modo agendi tribunalis secundae instantiae, normae propositae pro tribunali primae instantiae adhibendae sunt (**c. 1595**).

In secunda instantia tribunal numquam minore iudicum numero quam in prima constituatur (**c. 1596**).

Hoc tamen praescriptum validitatem actorum non afficit.

Caput III. - De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus

46. - R. Pontifex causas ad se devolutas vel advocatas ipse per se, vel per tribunalia ordinaria a se constituta, vel per iudices a se delegatos iudicat (**c. 1597**).

Supra, n. 13 vidimus quarumnam personarum causae ad ipsum R. Pontificem spectent (c. 1557, § 1); ordinaria vero tribunalia S. Sedis forum sunt necessarium quarundam personarum (c. 1557, § 2) et omnium causarum in tertia instantia, nisi iure particulari aliter provideatur (c. 1599, § 1, 2°); aliquando R. Pontifex causas ad se devolutas ob dignitatem personarum vel difficultatem causae iudicibus specialiter delegatis committit. Exemplo sit causa VERSALLIEN. *Nullitatis matrimonii*, d. 2 aug. 1918 (AAS, X, 1919, 388).

Tribunalia ordinaria *S. Sedis* definiri possunt coetus Cardinalium vel Praelatorum qui ex potestate ordinaria quaestiones iuris dirimunt, servata forma stricte iudiciali.

His addi debent S. Officium, quod simul est Congregatio, et negotia alia modo administrativo, alia modo iudiciali tractat (Cf. *Epitome*, I, n. 267) et S. Paenitentiaria quae tribunal est fori mere interni, ideoque formis iudicialibus consuetis uti non potest (Cf. *Epitome*, I, n. 336).

Art. I. - De Sacra Romana Rota

47. - **Notiones historicae**. De origine ipsius instituti eiusque nominis scriptores satis inter se dissentiunt. De his constat: *Auditores apostolici* vocabantur cappellani pontificii, Cardinales vel episcopi, quibus S. Pontifex quaedam negotia cognoscenda vel dirimenda committebat; modo tamen iudiciali procedere non debebant. Proin ante Gregorium IX (1227-1241) auditores apostolici nec iudices proprie dicti erant neque collegium constituebant; inde ab Innocentio IV (1243-1254), aucto admodum numero causarum beneficialium, auditores pontificii modo

stabili constitui sunt, qui *Auditores generales causarum S. Palatii* vocati sunt. Collegiale tribunal a Ioanne XXII (1316-1334) Avenione est institutum, cui a tempore Innocentii VIII (C. *Finem litibus*, 13 iun. 1488) omnes causae spirituales contentiosae universalis Ecclesiae et saeculares territorii pontificii causae in secunda vel ulteriore instantia, submitti poterant vel debebant. Decurrente tempore ac praesertim post Conc. Tridentinum et magis quoque post a. 1870, exercitium iurisdictionis S. Rotae valde imminutum est; ante reformationem Pii X ad eam deferebantur tantum quaedam causae beneficiales vel matrimoniales. Auditores Rotae a RR. PP. maximis privilegiis ornati sunt, quibus Praelati spectatissimi exstiterunt (1). — De *nomine* S. Rotae plures hypotheses propositae sunt quarum nulla communiter probatur; ortum est forte ex nomine cubiculi in quo conveniebant, vel forma mensae cui assidebant vel ordinis quo causas iudicabant. — Pauca quae Codex de constitutione, modo procedendi et competentia S. Rotae proponit, e lege propria S. Rotae romanae, annexa C. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, depromuntur.

48. - *De constitutione S. Rotae.*

S. Rota Romana est tribunal ordinarium collegiale, a R. Pontifice constitutum, praesertim pro appellationibus recipiendis. Constat decem *Auditoribus* seu iudicibus qui sint sacerdotes, saltem in utroque iure laurea doctorali praediti, a R. Pontifice exclusive et libere electi, quibus praeest *Decanus*, tamquam primus inter pares, ratione antiquioris nominationis (**c. 1598**, §§ 1-3).

Singulis Auditoribus adest adiutor studii, ab ipsis, approbante collegio S. Rotae, electus de consensu S. Pontificis.

Ut tribunalia alia, ita S. Rota habet suum *promotorem iustitiae* et suum *defensorem sacri vinculi*, a R. Pontifice electos. *Notarii* ab ipso collegio eliguntur, quorum duo sunt sacerdotes ut in causis criminalibus clericorum munere actuarii fungi possint. — Nonnulli laici officia cursorum et apparitorum obeunt.

49. - *De modo procedendi.*

S. Rota ius dicit (**c. 1598**, § 4):

1° Per singulos turnos trium Auditorum.

Scilicet primum turnum seu tribunal constituunt tres Auditores nominatione recentiores (10, 9, 8); secundum tres sequentes (7, 6. 5), et ita porro. Turno praesidet Auditor antiquior nominatione, qui simul ut *Ponens*, iuris factive allegationes et probationes cum motivis sententiae admittendae proponit.

2° In causis maioris momenti, *videntibus omnibus*, v. g. si agitur de causa in integrum restituta. S. Pontifex potest quoque constituere commissionem specialem ex quinque vel septem Auditoribus.

Quod ad particularia, procedit secundum normas sibi in lege propria statutas.

(1) MONIN, A., *De curia romana*, 66-111.

50. - *De modo adeundi S. Rotam.*

Quilibet fidelis eam adire potest, sed ex commissione tantum Pontificia in prima instantia, et rem suam per se tractare. Inter advocatos tamen a S. Rota approbatos unus adhiberi debet, si causa oraliter ante sententiam est disputanda. Absens per procuratorem privatum, modo a tribunali approbetur, vel in curia romana approbatum, mandato speciali et scripto munitum, agere potest. Ante processum, nisi pauperes vel quasi-pauperes ab expensis, saltem partim, eximantur, summa pecuniae 100 ad 500 libellas erat deponenda, ante praesentem valoris pecuniae imminutionem.

51. - *De competentia S. R. Rotae.*

Competentia S. R. Rotae nullis territorii finibus determinatur. — Etsi praesertim instituta est ad causas in gradu appellationis ab ordinariis iudicibus dirimendas, in prima instantia iudicat causas quae ipsi vi c. 1557, § 2 reservantur vel a R. Pontifice specialiter committuntur. Tandem in ultima instantia iudicat causas iam apud unum turnum suum vel apud quaevis alia tribunalia in secunda vel ulteriore instantia iudicatas, quae in rem iudicatam, v. g. ob omissam appellationem, non transierint (**c. 1599**).

Causae maiores, seu quae R. Pontifici reservantur, v. g. Cardinalium, penitus excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis (**c. 1600**). Excluduntur quoque causae dimissionis religiosorum, quibus procedura specialis c. 654, ss. statuitur (Cf. *Epitome*, I, n. 757, ss.).

Causam quam unus turnus in prima vel secunda instantia iudicavit, iudicat in secunda vel tertia turnus immediate sequens. Si iudex ex eo deficiat, Decanus ex omnibus qui ad turnum non pertinent alium eius loco sufficit (*Regulae servandae*, § 10).

52. - Decreta Ordinariorum, cum actus sint *administrationis*, appellationi proprie dictae locum non dant, sed recursui qui apud S. Congregationem competendem, non apud tribunal S. Rotae, est instituendus (c. 1601). De his Rota est absolute incompetens (cf. supra, n. 4, 1°).

Art. II. - De Signatura Apostolica

53. - **Notiones historicae.** Ante reformationem Curiae, duplex erat Signatura, *iustitiae* sc. et *gratiae*. Proxima utriusque origo ab instituto Referendariorum est repetenda. Praesertim a saec. XIII°, quotiens R. Pontifex ipsam de causis sibi submissis sententiam dabat, necessarii erant officiales qui ad ipsum de petitis gratiis vel de motis controversiis referrent. Dicti sunt *Referendarii apostolici ;* qui vero Romae munus suum exercebant, vocati sunt Referendarii *Signaturae*, quia R. Pontifex acta ab eis confecta propria manu subsignabat. Postea Referendarii *gratiae* dicti sunt ii quorum R. Pontifex consilio utebatur ad concedendas gratias ; Referendarii *iustitiae*, ii quibus tum cognitio tum sententia causarum iudicialium est commissa. Quam distinctionem

non esse saec. XVI° antiquiorem communior sententia est. Cum more introductum esset ut duodecim tantummodo nominatione antiquiores causis iudicandis interessent, isti Referendarii *votantes* dicti sunt, quos ALEXANDER VII (C. *Inter ceteras*, 13 iun. 1659) in collegium coadunavit. Praeterea non votantes distinguebantur in *participantes* et *non participantes*. Illi erant Referendarii Romae degentes, qui sessionibus intererant cum suffragio consultivo. A Gregorio XVI numerus Referendariorum ad septem est redactus. Tribunal constituebant praesertim cassationis et disciplinare pro aliis tribunalibus S. Sedis. Cum in causis temporalibus territorii pontificii dirimendis maxime versaretur, ab a. 1870 omni fere iurisdictionis exercitio caruit. — Signatura vero gratiae, cui certus iam numerus Cardinalium a Sixto V erat assignatus, R. Pontifici a consiliis erat in causis maxime diversis. Eius sessionibus interesse poterant alii quidam Cardinales vel Praelati, qui in aliis Officiis praecipuum munus habebant, ut Maior Paenitentiarius, Cardinalis Vicarius, Datarius, etc. Crescente SS. Congregationum competentia, paulatim evanuit munus Signaturae gratiae, cuius ab a. 1847 nulla iam mentio reperitur.

Tribunal Signaturae a PIO X innovatum est, lege propria Constitutioni *Sapienti consilio* annexa, a BENEDICTO XV perpolita chirographo *Attentis expositis*, d. 28 iun. 1915 (1), quae duo Codex coadunavit.

54. - *De constitutione Signaturae.*

Supremum Signaturae Apostolicae tribunal est tribunal collegiale constans nonnullis (sex, iuxta legem propriam) Cardinalibus, quorum unus munere Praefecti fungitur (**c. 1602**). Negotiis ab ipso expediendis operam suam praestant duo collegia, alterum *a Votantibus*, septem Praelatis constans, alterum innumeratum *a Referendariis* nuncupatum, qui loco sint consultorum.

Cardinalis Praefectus Tribunali « vice sacra praeest... seu vice fungitur R. Pontificis cuius nomine et auctoritate signat commissiones aliaque id genus rescripta » (App. ad reg. huius S. Trib., art. 2). Cum Secretario *congressum* constituit, cuius est minora negotia dirimere, alia ad plenum Tribunal remittere (2).

55. - *De competentia Signaturae.*

Hoc S. Tribunal duplicem potestatem habet, alteram ordinariam et stricte iudicialem (c. 1603, § 1), delegatam a iure alteram et administrativam (c. 1603, § 2).

1. Istud tribunal constitutum est praesertim ad sententias rotales, quae vitio formae laborant, abolendas (*cassatio*) ; ad remedium contra sententias quae in rem iudicatam transierint, praebendum ; ad disciplinam praesertim in S. Rota servandam ; ad conflictus competentiae inter tribunalia inferiora dirimendos (**c. 1603**, § 1).

2. Praeterea quando partes libellum supplicem ad Sanctissimum porrigunt ut sua causa, quae ad S. Rotam non spectat nec ipsi a R. Pontifice est commissa, per commissionem specialem apud S. Rotam

(1) AAS, VII, 1915, 325. — *Per.*, VIII, 128.
(2) Cf. AAS, XV, 1923, 180, ss.

iudicetur, S. Signatura ex potestate iure delegata, de admittenda vel reicienda petitione sententiam fert (cc. 1603, § 2).

Exempla causarum : in causa criminali, sc. de delicto ab Auditoribus S. Rotae in ipso munere admisso, S. Signatura sententiam fert in prima instantia et, si casus ferat, in secunda pro appellatione ; in exceptione suspicionis contra Auditorem S. Rotae, Signatura definit tantum num locus sit recusationi Auditoris. Quo facto, tota causa ad S. Rotam remittitur a qua, servato vel remoto Auditore, iudicatur, etc. (c. **1604**).

56. - *De modo procedendi.*

Dum alia tribunalia sub poena nullitatis rationes in iure et in facto quibus sententia innititur exprimere debent, hoc praecepto Signatura non ligatur. « Nihilominus sive ad instantiam partis, sive ex officio, si res postulet, Supremum Tribunal edicere potest ut praedictae rationes exponantur secundum regulas Tribunalis proprias » (c. **1605**).

Ceterum, praeter normas iuris communis, regulas pro S. Rota in propria lege statutas in genere servat. Habet tamen suas speciales normas pro quibusdam causis (1).

Caput IV. - De tribunali delegato

57. - 1. **Tribunal delegatum** est illud quod ab alio iudice vel tribunali deputatur ad unam causam vel plures, aliquo modo determinandas, cognoscendas et dirimendas.

Tribunal delegari potest a S. Sede vel ab aliis Ordinariis, sive locorum sive religiosorum.

De natura et usu eius potestatis cf. cc. 199-207 ; 209 (*Epitome*, I, n. 222, ss.). Iudex immediate superior ad quem a delegato appellatur, est qui delegavit (c. **1606**).

2. *De ministris tribunalis delegati.*

Principium est iudicem a S. Sede delegatum *posse* uti ministris curiae dioecesanae aut suos eligere ; delegatum vero ab Ordinario, uti *debere* ministris curiae.

Exceptio iure praevidetur, si nempe aliud in rescripto pontificio delegationis dicatur aut episcopus « in aliquo peculiari casu ob gravem causam proprios et extraordinarios ministros constituendos decreverit ». (c. **1607**).

In tribunali religioso, cum soli Superiores maiores sibi notarios constituere possint, Superiores locales minores ministris a Superiore maiore constitutis uti debent. Supremus Moderator qui Superiorem maiorem delegat, potest eidem ministros per exceptionem designare.

(1) Quod ad competentiam et modum procedendi Signaturae Ap. cf. causam : *Romana*, Sententiae incidentalis in causa nullitatis matrimonii, 25 nov. 1922. AAS, XV, 1923, 180, ss.

TITULUS III

DE DISCIPLINA IN TRIBUNALIBUS SERVANDA
(cc. 1608-1645)

Scriptores : Lega, *De iudiciis ecclesiasticis*, I, nn. 72, ss. 357-276. — Wernz, *Ius Decretalium*, V, nn. 123-126. 311-354. — Augustine, *A Commentary* in hos canones. — Noval, *Commentarium*, nn. 188-244. — Roberti, Fr., *De processibus*, I.

58. - **Ordo materiae.** In titulo III° agitur de normis in tribunalibus servandis ut causae secure, prompte et cum minimo partium damno expediantur. Constat quinque capitibus quae agunt ; 1° de officio iudicum et ministrorum tribunalis (cc. 1608-1626) ; 2° de ordine cognitionum, sive de praecedentia causarum agatur sive de quaestionibus praeiudicialibus, quibus causa principalis retardatur (cc. 1627-1633) ; 3° de tempore intra quod causa est definienda (cc. 1634-1635) ; 4° de loco et tempore iudicii (cc. 1636-1639) ; 5° tandem de personis ad disceptationem admittendis et de actibus conficiendis vel conservandis (cc. 1640-1645).

Caput I. - De officio iudicum et tribunalis ministrorum

59. - Caput I agit de obligationibus quae iudici et ministris tribunalis incumbunt ut sententia rite et prompte ferri possit.

Iudex certo competens parti legitime requirenti suum ministerium praestare debet ; quod si recusaverit, de damnis tenetur et aliis poenis puniri potest (cc. **1608**. 1625, § 1).

60. - *De sententia praevia competentiae.*

1. Antequam causa admittatur, de duobus constare debet, sc. de competentia iudicis et de iure partium standi in iudicio (c. **1609**).

Ipsius iudicis est de sua competentia decernere (c. **1610**, § 1) ; neque ita iudex est in propria causa, cum in iudicando nullum commodum incommodumve proprium per se sentiat. — Incompetentiam *absolutam* debet quovis litis stadio ex officio declarare (c. **1611**) ; *relativam* vero, si certa est, ante litis contestationem.

In dubio (c. 209) et, post litis contestationem, ob errorem communem, Ecclesia supplet (ibid.). Potest tamen fieri ut iudex ex alio fonte quam e lege canonica ad declarandam incompetentiam obligetur.

Si iudex se *relative* competentem declaret, eius sententia ita iure confirmatur ut nullum contra ipsam partibus remedium concedatur (c. 1610, § 2) ; ab eius sententia vero appellare licet : 1° si declaret se *absolutam* competentiam habere quae negetur ; 2° si pars gravatam se sentiat declaratione incompetentiae (c. 1610, § 3).

2. Controversia de competentia inter plures iudices dirimitur a

iudice immediate superiore ; quo deficiente, a delegato S. Sedis, si adsit ; secus, a Signatura Apostolica (c. 1612).

61. - *De vitanda suspicione.*

« Iudex, promotor iustitiae et defensor vinculi ab officio abstinere debent in causa, in qua ratione consanguinitatis, affinitatis amicitiae vel inimicitiae, lucri faciendi, etc. alterutri parti suspecti esse possunt (c. 1613).

Exceptio suspicionis iudicanda committitur Superiori eius contra quem movetur, ad normam c. 1615. Haec exceptio expeditissime est definienda ; si admissa fuerit, persona iudicis, non gradus iudicii mutatur (cc. 1614. 1615. 1616).

62. - *De auxilio ex officio non praestando.*

Ne videatur parti alterutri favere, « in negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis » (c. 1618) ; neque utrilibet parti probationes vel exceptiones suggerat vel suppleat, nisi de publico bono vel animarum salute agatur (c. 1619).

Iudices et tribunalia curent ut quamprimum, salva iustitia, causae omnes terminentur, utque in tribunali primae instantiae ultra biennium non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra annum » (c. 1620).

Si vero nullus actus processualis tempore hic praefinito positus sit, instantia perimitur.

63. - *De iuramento praestando.*

Omnes iudices, sive saeculares sive religiosi, et omnes qui tribunali opem ferunt, iuramentum praestare debent de officio rite implendo. Unus episcopus excipitur, si per se ipse potestatem iudiciariam exerceat, nam in consecratione iuramento se obstrinxit ad munus suum proprium optime exercendum. — Etiam iudex a S. Sede delegatus et iudex in religione ordinarius ista obligatione tenentur, quotiens causam novam inchoant (c. 1621).

Iusiurandum a sacerdotibus tacto pectore, a ceteris fidelibus, tacto evangeliorum libro, praestatur (c. 1622, § 1).

64. - *De secreto servando.*

In iudicio criminali semper, in contentioso quotiens revelatio praeiudicium partibus afferre possit, iudices et tribunalis adiutores tenentur ad secretum *officii*. — Inviolabile quoque est secretum de actibus collegialiter positis, v. g. de discussione, sententiis et suffragiis latis. Immo si adiuncta id requirant, iudex potest omnes qui in iudicio partem habent, iureiurando ad secretum servandum astringere (c. 1623).

[58-64]

65. - *De muneribus non accipiendis.*

Iudex ordinarius ex ipso beneficio *stipendia* pro officio implendo et compensationes pro expensis ordinariis habet. Iudices delegati et auxiliares sive ex beneficio sive ex taxa in Concilio provinciali statuta, *compensantur ; expensae* vero *speciales* ipsis a partibus solvendae sunt ; administris tribunalis stipendia et expensae ex taxis solvuntur.

Occasione vero agendi iudicii neque iudicibus neque administris *munera* acceptare licet, v. g. partem rei controversae, vel pecuniae summam, etc. (**c. 1624**).

Quia tamen *xenia* seu munuscula, i. e. esculenta quaedam vel poculenta accipi ius anterius non prohibebat et a muneribus distinguebat, nihil Codice immutatum censemus. Recte vitanda dicuntur a CLAEYS-SIMENON, *Manuale i. e.*, ed. 2a, n. 105.

66. 1. - *De sanctionibus.*

Iudices vel administri qui in officio implendo graviter deliquerint tenentur de damnis, et gravibus poenis, privatione officii non exclusa, puniri possunt vel debent (**c. 1625**).

2. *De cautione praestanda.*

Iudex potest ad consulendum iuribus rei cautionem congruam ab actore exigere, quotiens id ex actoris dispositione videatur opportunum (**c. 1626**).

Caput II. - De ordine cognitionum

67. - Hic agitur de ordine a singulis tribunalibus servando in examinandis et definiendis causis ad se delatis, sive inter diversas personas quando causae conexae non sunt, sive inter easdem quando causae conexae sunt.

68. - **Principium** generale est causas eo ordine iudicandas esse quo fuerunt propositae, nisi iudex aliquam prae ceteris esse expediendam compererit et speciali decreto statuerit (**c. 1627**).

Causae cognitio potest *exceptione* differri vel excludi ; differtur exceptione *dilatoria,* si a reo contenditur ius non competere actori *nunc* vel coram *hoc* tribunali agendi ; excluditur exceptione *peremptoria,* si actori omne ius agendi negatur.

Exceptiones *dilatoriae* proponi et cognosci debent ante litis contestationem, nisi postea tantum emerserint vel notae fuerint. Excipitur exceptio de *absoluta* incompetentia iudicis.

Excommunicatus simpliciter quolibet momento ante sententiam repelli potest, sed sententia lata sustinetur (c. 2264) ; vitandus vel sententia damnatus aut declaratus, *ex officio* semper debet excludi eiusque sententia per se nulla est (**c. 1628**).

Exceptiones *peremptoriae litis finitae,* i. e. quibus asseritur litem

iam legitime esse plene decisam, proponi et cognosci debent ante litis contestationem. Hoc enim actu nova actio incipit. Attamen non reicitur talis exceptio serius mota, etsi damnari possit ad damna qui non probaverit se bona fide egisse (**c. 1629**, § 1). Aliae exceptiones peremptoriae proponendae sunt post litis contestationem et cognoscendae ad normam causarum incidentium (cf. infra ad c. 1837, ss.).

69. - *De causis conexis.* In quibusdam actionibus reus, quin ius actoris neget, actionem et ipse eidem intentat, qua de facto minuetur vel submovebitur petitio actoris *(actio reconventionalis)* ; in aliis praestatio cautionis exigitur ; aliae actiones quaestionem praeiudicialem dirimendam movent, puta de legitimis natalibus actoris qui partem hereditatis petat ; vel tantum durante actione principali, novam controversiam, priori accessoriam proponunt *(quaestiones incidentes)*.

Principium generale est ut ea quaestio prius dirimatur a qua solutio alius quaestionis pendet ; vel pari gradu cognoscendae sunt, servato privilegio prioris actoris (**cc. 1630-1633**).

Excipitur casus illius qui ad se defendendum seu exceptione queratur se a possessione rei vel a quasi-possessione iuris magna et notoria iniustitia esse deiectum ; haec questio quae *de spolio* vocatur, ante omnia dirimenda est (c. 1633, § 3).

Caput III. - De dilationum terminis et fatalibus

70. - **Dilatio** in iure significat tempus partibus statutum ad actum iudicialem faciendum, cuius temporis fines **termini** dicuntur. Dilatio et termini **fatalia** *legis* vocantur, si iure determinantur ; dicuntur *iudicialia,* quae a iudice, *conventionalia,* quae a partibus conventione finiuntur.

Fatalia legis prorogari non possunt ; aequa enim ratione habita iurium rei et actoris et boni publici a legislatore sunt definita ; alii termini, nondum elapsi, ex iusta causa a iudice, auditis vel petentibus partibus, prorogari possunt (**c. 1634**).

Si terminus in diem feriatam inciderit, intellegitur prorogatus ad primam diem sequentem non feriatam, nisi iudex decreto suo expresse dixerit tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis (**c. 1635**).

Caput IV. - De loco et tempore iudicii

71. - 1. *De loco iudicii.*

Praecipitur ut Ordinarius *in* ipso *territorio* tribunal apud aulam

suam constituat, etsi iurisdictio in omni loco non exempto valide exercetur. *Extra territorium*, potestas iudicialis valide exerceri nequit, nisi agatur de casu excepto, sc. si Ordinarius a territorio vi expulsus fuerit vel in eo a iurisdictione exercenda vi et metu impediatur (**cc. 1636. 1637**).

Domus Regularium exemptione stricte locali probabilius non gaudere in *Epitome*, t. I, n. 717 dictum est. Quare invalidi non sunt actus iudiciales intra eorum saepta positi (Sic quoque AUGUSTINE, in *h. c.* contra NOVAL, *l. c.* n. 232).

72. - 2. *De tempore iudicii.*

Etsi certae dies et horae iudiciis habendis sunt designandae, ex iusta causa et praesertim si periculum sit in mora, fidelibus licet quovis tempore iudicis ministerium invocare (**c. 1638**).

Feriati sunt dies quibus ex lege vel decreto iudicia non celebrantur, sive ob sanctitatem diei melius observandam sive propter utilitatem communem aut privatorum, v. g. ut iudices, suspenso labore, vires reficiant. Plene feriati sunt omnes dies festi de praecepto et ultimi tres dies hebdomadae sanctae. — Si bonum publicum, necessitas aut caritas etiam illis diebus celebrationem iudiciorum suaserint, iudicis est in singulis casibus decernere an et quinam actus expleri debeant (cc. 1638. **1639**).

Caput V.

De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum

I. DE PERSONIS ADMITTENDIS

73. - In tribunali ecclesiastico causae coram extraneis non aguntur, sed eae tantummodo personae admittuntur quas ad processum expediendum iudex necessarias esse aestimaverit.

Quae prohibitio partim nova, nihil iniusti et magnum commodum continet. De actibus satis constat, quia processus simul oralis et scriptus est; congruit autem dignitati et famae clericorum, qui saepius partes in iudicio sunt, ut ab audiendis causis personae inutiles arceantur.

Iudici potestas est, etiam censuris assistentes in suo officio et in reverentia debita continere (**c. 1640**).

Si sermo quo aliqua persona in iudicio utitur a iudice vel partibus non intellegatur, interpres iuratus est adhibendus, a iudice designatus, nec a partibus exceptione suspicionis remotus (**c. 1641**).

II. DE ACTIBUS CONFICIENDIS ET CONSERVANDIS

74. - 1. **Acta iudicialia** sunt scripta quibus referuntur omnes actiones quas iudex, ministri, partes, etc. ponunt in introducenda, discep-

tanda et definienda lite, ut sunt citatio partium, depositiones testium, etc. — Alia vocantur *acta causae*, alia *acta processus*. Illa *meritum causae*, i. e. sententias et cuiusvis generis probationes respiciunt, ista omnia quae ad *formam* procedendi pertinent, v. g. citationes, intimationes, etc.

Omnes actus debent scripto mandari, etsi contentio partium viva voce admittitur. Lingua latina, ut plurimum, adhibetur; quia tamen magni refert ut iudex superior de ipsis testium verbis iudicare possit, interrogationes eorumque responsiones lingua vernacula confici debent. (cc. **1642. 1643**).

Subscriptione actuarii vel iudicis et sigillo tribunalis de authenticitate actorum constare debet. Si partes aut testes subscriptionem requisitam apponere nequeant vel nolint, id in ipsis actis annotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum fuisse (cc. 1643. **1644**).

2. *Documenta* sunt partibus restituenda, nisi in processu criminali iudex, bono publico id exigente, aliquod eorum retinendum censuerit. Ante finem iudicii exemplar actorum et documentorum quae processui sunt acquisita sine iudicis mandato nemini tradi potest (**c. 1645**).

TITULUS IV

DE PARTIBUS IN CAUSA

(cc. 1646-1666)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, n. 57, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium* V, n. 158, ss. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, in hos cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in hos cc.

75. - **Partes** vocantur personae quarum litem definiri directe interest, sive ipsae litigent ut actor et reus, sive litigantes repraesentent, ut procurator, vel adiuvent ut advocati. In cap. I de litigantibus (cc. 1646-1654); in altero de mandatario et advocatis (cc. 1655-1666) agitur.

Cap. I. - De actore et de reo convento

76. - **Actor**, ab actione quam movet ita dictus, est persona quae in iudicio contentioso *rem*, in criminali *poenam* primus petit. Reus, a re debenda dicitur qui ab actore in ius vocatur seu convenitur. — Si reus ipse, ut se defendat, factum contra actorem alleget, excipiendo fit actor. Ista tamen voce designant tantum eum qui primus litem movit. Quod valet quoque ubi e natura litis uterque litigans actor est et reus, v. g. in causa familiae herciscundae seu hereditatis dividendae.

Actor et reus possunt esse personae physicae vel morales, collegiales vel non collegiales. Plures si fuerint, *consortes litis* vel *delicti complices* esse dicuntur.

Ut per se patet, in causa criminali, personam moralem non collegialem reum esse repugnat.

Cum affirmanti, non neganti vel se defendendi, onus probationis incumbat, actore factum non probante, reus absolvitur ; ideoque dicuntur favorabiliores esse partes rei quam actoris et in iudicio reus beneficio possessionis utitur.

Etsi iure naturali omnis homo sui compos iura sua tueri potest, in societate ad bonum commune necessarium est ut facultas utendi publica auctoritate ad iura sua tuenda pressius determinetur ; ideo quaerendum est quisnam ex lege personam standi in iudicio habeat. Distinguendum est ius agendi a iure respondendi.

Principium generale est hoc ; « Quilibet potest in iudicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur ; reus autem legitime conventus respondere debet » (**c. 1646**). — Quilibet respondere tenetur ne iustitia reddenda praepediatur. — Iamvero nonnulli *per se* agere vel respondere debent, alii non possunt ; alii excluduntur ab agendo, non a respondendo, alii ab agendo et a respondendo.

77. - 1. Actor et reus *personaliter* comparere debent, quotiens id iure definitur vel a iudice exigitur (**c. 1647**).

Amplior facultas hoc canone quam vetere iure iudici conceditur, qui vetabatur in causa contentiosa reum personaliter vocare extra casus iure expressos (c. 1. *de iudiciis*, II, I in VI°).

2. Infantes, minores, interdicti, personae morales collegiales *per alium* in plerisque casibus, personae morales non collegiales, ut patet, semper, agere debent, v. g. per parentes, tutorem, curatorem, rectores, administratores, etc. (**cc. 1648-1651. 1653**).

Quotiens tamen conflictus inter iura repraesentati et repraesentantis exsistit, procurator vel curator a iudice designatur.

Minoribus, si aetatem quattuordecim annorum expleverint, licet in causis *spiritualibus* et cum spiritualibus conexis sine patris vel tutoris consensu et per se ipsis agere et respondere (c. 1648, § 3). Curator civilis interdictis datus eorum nomine agere vel respondere non potest, nisi accesserit consensus Ordinarii, cui licet, re mature perpensa, alium curatorem pro foro ecclesiastico nominare. (c. 1651).

78. - 1. Non habent personam standi in iudicio nomine proprio *religiosi* singulatim sumpti, sine expresso Superiorum consensu, exceptis paucis casibus, sc. : 1° si contra ipsam religionem iura e professione quaesita vindicare vel contra ipsum Superiorem denuntiationem

instituere velint; 2° quia tacitum consensum habere censentur, si extra claustra legitime, v. g. ad studia facienda morentur et tuitio suorum iurium urgeat (c. **1652**).

2. Iure designantur qui nomine certarum personarum moralium stare possunt vel debent, sc. (c. **1653**) :

1° *Ordinarii locorum* nomine ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis. Requiritur consensus Capituli vel consilii administrationis si periculum vertitur circa summam intra 1000 et 30.000 libellarum ; pro summa minore alterutrum audivisse sufficit.

2. *Beneficiarius* nomine beneficii, cum licentia Ordinarii loci, etiam si beneficium sit domus religiosa.

Nota beneficiarium esse ipsam communitatem vel Capitulum, si ipsi cura habitualis incumbat ecclesiae paroecialis.

3° *Praelati* et *Superiores Capitulorum*, sodalitatum, collegiorum cum consensu communitatis, ad normam statutorum.

In his tribus casibus consensus ad liceitatem requiritur ; quo omisso, ius est personae morali ad refectionem damnorum. — In tertio casu, si statuta sileant, consensus requiritur. Possunt decernere consensum in certis casibus vel in nullo requiri.

Consensus *ad validitatem*, ut videtur, statutis requiri potest ; id enim non negat ius commune, etsi Praelatum et Superiorem facit collegii mandatarios.

4° *Superiores religiosi*, nomine communitatis, ad normam Constitutionum.

79. - *Excommunicati* vitandi vel tolerati, sed declarati vel condemnati, in poenam medicinalem excluduntur ab agendo. Proin neque conventis actionem reconventionalem movere licet. Exceptione tamen se tueri possunt, quia, etsi reus excipiendo fit actor, exceptio est mera defensio.

1° Agere per se possunt ad impugnandum iustitiam aut legitimitatem excommunicationis.

Quare, contra ac sub vetere iure quidam scribebant (1), absolvi prius non debent, si iniustitiam poenae probare conantur.

2° Agere possunt per procuratorem ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum, v. g. si nullitatem sui matrimonii demonstrare velint (c. **1654**, § 2). Quod enim ad sanandam animam est inflictum, in eius damnum verti non decet.

Alii excommunicati, etsi generatim in iudicio stare possunt (§ 2), ad instantiam partis vel, in causa criminali, a promotore iustitiae seu fiscali ante sententiam definitivam, quolibet momento repelli possunt (c. 1628).

(1) LEGA, I, n. 64.

Omittitur in Codice prohibitio olim excommunicatis facta quominus conventi per se responderent ; quare, nisi iudex ministerium procuratoris ipsis iniuxerit, id eis licebit (c. **1655**, § 3).

Caput II. - De procuratoribus ad lites et advocatis

80. - **Procurator** est « qui aliena negotia mandato domini administrat ». Si negotium est iudiciale *procurator ad lites* agit vel respondet aut utrumque facit nomine et vice actoris vel rei, cuius personam repraesentat. — **Advocatus** *coram iudice* perorat vel postulat pro litigante dum *iurisperitus*, stricto sensu, domi se continens, ius petentibus evolvit. Advocati munus est ostendere quomodo facta iuri concordent vel ab eo discrepent, et omnia media indicare quibus causa inducitur, sustinetur, urgetur, decisa restituatur, etc. — Utrumque munus procuratoris et advocati ab eadem persona idonea impleri, per se nihil vetat (c. **1656**, § 4). Ex ipso eorum officio, curnam pleraeque normae iam exponendae tales sint, satis explicatur.

I. DE MUNERE PROCURATORIS

81. - Procuratoris ministerium numquam est necessarium, nisi iudex in certis causis contrarium existimaverit vel episcopo causa propria agenda sit coram tribunali non pontificio (c. 1655).

Unicus esse debet et locus est praeventioni, si quando plures simul deputari adiuncta suaserint (c. 1656).

Cum vices tantum partis agat, per se nullae dotes speciales in eo requiruntur ; debet tamen esse *catholicus*, nisi necessitas aliud imponat, *aetate maior, bonae famae. Religiosus* esse nequit, nisi ipsa religionis suae utilitas agatur; *clerici* in tribunali ecclesiastico hoc munere libere fungi possunt (c. **1657**). Si causa inter religiosos exemptos eiusdem religionis agatur, procurator ex eadem religione sit oportet. In omni alia causa, eius electio omnino libera est (c. **1658**).

82. - 1. Procurator indiget mandato *speciali ad lites* ; immo quosdam actus processuales ponere nequit, nisi in ipso mandato specialis procuratio ad hos actus concedatur, v. g. ad renuntiandum actioni, transigendum, compromissum in arbitros admittendum, etc. (c. **1662**). A sententia definitiva, nisi mandans renuat, potest et debet appellare (c. **1664**, § 2).

2. Munus eius *cessat* : 1° si a iudice repellatur (c. **1663**) ; 2° cum a mandante remotio ipsi intimatur ; valent autem acta post litem contestatam, donec iudex et pars adversa de remotione monitae fuerint, quorum tamen approbatione ad remotionem nulla opus est (c. 1664,

§ 1) ; 3° post sententiam definitivam, *si* mandans appellationem renuat ; secus enim, procuratoris est appellationem interponere et prosequi (ibid, § 2).

3. Procurator modica tantum *emolumenta* exigere potest, exclusa, sub poena nullitatis contractus, omni pactione de parte rei litigiosae sibi vindicanda (**c. 1665**). — Si ob quamlibet rationem officium suum prodiderit, de damnis tenetur et congruis poenis plectendus est (**c. 1666**).

II. DE OFFICIO ADVOCATI

83. - Ministerio advocati nemo pro sua utilitate uti cogitur, sed ob rationem boni communis, v. g. ut melius protegatur, pericula morae vel nullitatis a causa difficili removeantur, sive iure sive a iudice imponi potest. Itaque :

1° In iudicio *criminali* reus semper debet habere advocatum.

2° Si agatur de minoribus aut in iudicio in quo bonum publicum vertitur, iudex ministerium advocati imponere, immo parti advocatum habenti, alium, si casus ferat, adiungere potest.

3° In aliis causis, iudicis est aestimare num ministerium advocati requiratur (**c. 1655**).

84. - 1. Praeter honestatem et aetatem legitimam (21 annorum), vera iuris, saltem canonici, peritia in advocato requiritur. Cum munere publico fungatur, eligi nequit nisi ab Ordinario loci, modo generali vel pro certa causa, aut a iudice a S. Sede delegato, coram quo acturus est, approbatus fuerit. — Etiam in tribunali ecclesiastico *laicus* esse potest ; *clericus saecularis* ab isto munere nullus excluditur ; *religiosus*, in causis ubi utilitas propriae religionis agitur, admitti potest ; si causa coram tribunali religioso agatur, advocatus eiusdem religionis esse debet atque ille quem defendit. Salvis hisce restrictionibus, electio advocati prorsus libera est, immo plures eligi nihil vetat (**cc. 1656-1658**).

C. 1657 proponit dotes quae *iure communi* in advocato requiruntur ; nihil autem prohibet Ordinarium loci quin alias exigat, ut advocatum ad causam in sua curia tuendam iuxta c. 1658, § 2 approbet. Quare advocati, approbati ad causas ecclesiasticas defendendas etiam apud curiam romanam, non exclusis advocatis consistorialibus, nullum ius habent ut, qua tales, ad defendendas causas ecclesiasticas in curiis dioecesanis admittantur, si dotes ab Ordinario loci propositas non habeant, v. g. si clerici non sint. Ita respondit S. Signaturae Apostolicae Tribunal, in causa *Romana*, Iurium, 15 dec. 1923 (1).

2. Ut munus suum impleat, indiget *commissione* ad instar mandati procuratorii (**c. 1661**).

3. Munus eius *cessat* : 1° si iusta de causa repellatur a iudice

(1) AAS, XVI, 1924, 105. — *Per.*, XIII, 96. — *Monit. eccl.*, 1924, 138.

(c. 1663) ; 2° si a litigante removeatur, iisdem condicionibus quae in remotione procuratoris indicavimus (c. 1664) ; 3° post latam sententiam definitivam.

4. De eius *emolumentis* vel de negligentia in officio, cf. ea quae de procuratore supra n. 82, 3 scripta sunt. Praeterea advocatus ab officio suspendi et, si recidivus sit, destitui et titulo privari potest (cc. 1665. 1666).

TITULUS V

DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS

(cc. 1667-1705)

Scriptores : Lega, *De iudiciis ecclesiasticis*, I, n. 165, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, V, tit. XVI. XVIII, ss. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, VII, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium in* l. IV, in h. cc.

85. - **Ordo dicendi.** Post brevem introductionem de actionibus et exceptionibus *in genere* (cc. 1667-1671), Codex earum varias *species* sex capitibus proponit (cc. 1670-1700), dein septimo capite modos quibus exstinguuntur definit (cc. 1701-1705).

INTRODUCTIO. DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS IN GENERE

86. - Postquam normae ad quas iudicium constituitur traditae sunt, exposuimus quodnam eius sit *subiectum* seu quaenam personae in iudicio agant, sive ut iudices eorumve auxiliarii sive ut partes earumve adiutores. Nunc est de *obiecto* iudicii remoto et proximo disserendum.

Obiectum remotum iudiciorum sunt ex c. 1552 iura, facta iuridica et delicta. Quia vero non omnia iura necessario lege proteguntur neque omnes cives in omni iudicio iura sua prosequi possunt, a iure controverso distinguendum est medium quo illud auctoritate publica prosequi licet, quae *actio* vocatur.

I. NOTIO ACTIONUM ET EXCEPTIONUM

87. - Ille *agere* dicitur qui ius suum in iudicio prosequitur ; **actio** est igitur ipsa actualis prosecutio iuris in iudicio (ut puta in locutione : actio instituitur). Saepius supponit vox *actio* pro actione in actu primo i. e. pro facultate eam exercendi ; quae rursus facultas, si obiective consideretur, est medium ius suum in iudicio prosequendi (et hoc sensu distinguuntur variae actiones, ut in praesenti titulo Codicis) ; si subiective, est « ius persequendi in iudicio quod sibi debetur » (*Inst.* 4, 6 h. t., pr.).

Nulla est actio nisi ad persequendum quoddam ius ; non omnia

autem iura actione muniuntur. — Controversia iuridica antequam in iudicium deducatur, **quaestio** dicitur, postea autem **causa**. — **Instantia** idem sonat atque actio in actu secundo, *lis*, idem ac causa. — Lis sensu magis presso, vocatur causa ex quo « formali conventi contradictione petitioni actoris, facta animo litigandi coram iudice » de terminis controversiae iuridice constat (cf. c. 1726).

Omnis actio supponit in reo ius se contra actorem tuendi. Quoties reus se non mera negatione iuris actoris tuetur, sed aliquid positive opponit, v. g. laesionem fuisse compensatam, tribunal esse incompetens, etc. defensio vocatur proprie **exceptio**. Adverte tamen vocem « exceptionem » nunc latius, nunc strictius in iure accipi.

Iam supra (n. 68) dictum est quid sit exceptio *peremptoria*, qua actio perimitur, et *dilatoria*, qua tantum differtur seu ad tempus suspenditur.

Reus, cum aliquid ipsa exceptione asserat, *excipiendo fit actor*. Si actor contra rei exceptionem vicissim excipiat, habetur stricte dicta *replicatio*; contra quam reus iterum excipere potest *duplicatione*, et ita porro. Reus tamen semper ultimus esse debet in respondendo.

88. - « Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua » (**c. 1667**).

Dum actiones, iis exceptis quae de statu personarum (cf. c. 1701) agunt, temporales sunt, id est praescriptione extingui possunt, exceptio qua talis impraescriptibilis est « cum actor quidem in sua potestate habeat quando utatur suo iure; is autem cum quo agitur non habeat potestatem quando conveniatur » (l. 5, § 6 ff. 44, 4). Inde exceptio « est suapte natura perpetua ». Voluntate tamen vel negligentia rei conventi potest renuntiatione vel peremptione (v. g. c. 1628) cessare.

II. DIVISIO ACTIONUM

Actiones **dividuntur** :

89. - 1. Ratione *generis iuris*, in actiones **reales** et **personales**, prouti sc. agitur ius in re vel obligatio.

Actio realis seu *in rem*, quae et *vindicatio* dicitur, tamquam obiectum habet *ius in re*, eaque actor rem aliquam determinatam, sive corporalem sive incorporalem, suam esse asserit. — Actio personalis seu *in personam*, quae et *condictio* appellatur, oritur ex obligatione dandi, faciendi vel omittendi, qua quis erga actorem vincitur.

Actiones quae de iuribus familiae et status exsistunt, realibus accensentur quia rem tribui, non obligationem declarari postulant et *praeiudiciales* dicuntur

quando ex earum solutione tota quaestio iam dirimitur, v. g. si quis legitimus, clericus, cognatus demonstretur, de eius iuribus saepe iam non est disceptandum.

Ob genus quoque iuris de quo controvertitur, quaedam actiones *mixtae* dicuntur, per quas simul agitur in rem et in personam, ut si quis a fure suam rem repetat et indemnis fieri velit. — Illa vox *actio mixta* alias quoque significationes habet et praesertim adhibetur, quando actio simul rem ac poenam prosequitur, vel in ea idem partes actoris et rei vicissim agit ; quae actio dicitur *reconventionalis* (cf. infra, n. 122). Cum actione mixti fori non est confundenda.

90. - 2. Ratione *speciei iuris*, actiones *reales* dividuntur in actiones **petitorias** et **possessorias**, prouti vindicatur aut dominium rei aut iuris possessio.

Dominium est *ius* utendi et abutendi re *corporali*, aut alterutrum faciendi, nisi lex prohibeat ; dum possessio per se dicit nudum *factum* seu physicam rei detentionem animo domini, quae modo cum iure, modo sine iure vel contra illud haberi potest. — Quia possessor exercet ius dominii, exercitium pacificum omnis iuris dictum est eius *quasi-possessio*, vel etiam in iure recentiore italico (a. 585) simpliciter eius possessio. Dicitur quasi-possessio, quia detentio de sola re corporali stricto sensu dici potest.

Possessio est saepe exercitium iuris domini, usufructuarii, etc. Quare opportune leges civiles factum huiusmodi possessionis ita tuentur, ut sub certis condicionibus novum ius oriatur et ita merum factum fiat factum iuridicum.

91. - Actione **petitoria** dimicat « qui ad rem sibi vindicandam, seu ad ius suum in iudicio persequendum titulo agit iuris auctoritate subnixo » (**c. 1668**, § 1).

Nititur actor dominio vel iure, et ad hoc tendit ut ipsum dominium vel ius sibi adiudicetur.

Actio **possessoria** ea est qua actor « rei possessionem vel iuris quasi-possessionem postulat », sive acquirendam, sive retinendam, sive recuperandam (c. 1668, § 2).

III. DE USU PLURIUM ACTIONUM IN EODEM IUDICIO

92. - *Cumulus* vel cumulatio actionum dicitur usus plurium actionum in eodem iudicio. Habetur :

1° Si actor *simul* pluribus actionibus *de eadem re* unum pluresve convenit, v. g. eandem rem vel eius valorem sibi restitui postulat ab uno ob furtum, ab alio ob iniustam detentionem.

2° Si actor pluribus *simul* actionibus *de diversis rebus* unum pluresve convenit, v. g. ab eodem repetere potest rem furto sublatam simulque se indemnem fieri exigere.

3° Si actor pluribus *successive* actionibus de eadem re vel de diversis reum convenit, v. g. primo actione petitoria, ut ex testamento, dein actione possessoria, ex usucapione. Ita aget v. g. quia male successit una actio.

93. - *Principia de cumulo actionum.*

1. Actori licet plures simul vel successive actiones in eodem iudicio

cumulare. « Ita enim lites facilius ad exitum deducuntur : frustra enim fit pluribus iudiciis, quod uno absolvi potest » (SCHMALZGRUEBER, *Ius eccles. universum*, tit. *de oblat.*, n. 9).

Duo tamen casus excipiuntur :

1° Si actiones secum ipsae confligant, v. g. si quis eandem rem simul ex testamento et ab intestato vindicet. Altera enim causa alteram elidet. In exemplo proposito actor, si testamentum validum implicite declaret, non potest simul rem ab intestato postulare.

2° « Si aditi tribunalis competentiam egrediantur », v. g. si iudex laicus circa ius spirituale rei temporali annexum in possessorio competens sit, qui in petitorio incompetens est (Cf. **c. 1669**, § 1).

94. - 2. Quod actori licet, a fortiori non est reo negandum, quare « reus non prohibetur pluribus exceptionibus uti », immo « etiam contrariis » (c. 1669, § 2).

Nam de petitione actoris valet illud : « malum ex quocumque defectu ». De competentia iudicis non est cur inquiratur ; qui enim pro actione competens est, necessario iudicare potest et debet de responsis.

95. - 3. Cumulatio actionis vel reconventionis petitoriae cum possessoria licet, « nisi res sit de spolio » (**c. 1670**).

Spolium est violenta deiectio ex possessione vel quasi-possessione. Iamvero qui se spoliatum esse probat, antequam in iudicio de aliis rebus ulterius procedatur, in possessionem rei vel iuris sui restituendus est (Cf. infra, n. 130). Quare ubi res est de spolio, in possessorio agendum est.

96. - 4. Actor potest ab actione petitoria ad possessoriam regredi :

1° semper antequam fuerit conclusum in causa, i. e. antequam iudex decreverit causam esse satis instructam (cf. c. 1860) ;

2° etiam post conclusionem in causa, si iudex id ex iusta causa permiserit, v. g. quia novum documentum repertum est vel testis aliud factum possessioni favens afferre potest (**c. 1671**, §§ 1 et 2).

In § 1 huius canonis dicitur licitus regressus a petitorio « ad possessorium adipiscendae vel recuperandae » possessionis. De « retinenda » possessione tacetur. Quo silentio dirimitur disputatio quae veteres auctores multum vexavit et reicitur sententia a REIFFENSTUEL, *Ius can. univ.* II, t. XII, nn. 276-284 tamquam probabilior proposita. Qui negabant regressum a petitorio ad possessorium retinendae possessionis licere, hunc regressum contradictionis arguebant cum ille qui in petitorio agat, tacite fateri visus sit se rem non possidere.

97. - 5. Contra atque ius vetus habebat, iudex iam non debet petitorium et possessorium simul una sententia dirimere, sed eius est « attentis partium allegationibus, aut utramque questionem unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prouti magis ipsi expedire videatur ad celeriorem et pleniorem iurium tuitionem » (c. 1671, § 3).

Etsi enim pars cui dominium rei assignatur simul eius possessionem servet vel recuperet, sententia quae in petitorio alteri favet non omnes quaestiones dirimit, quando cum actione possessoria concurrit vel reconventioni possessoriae opponitur. Fac v. g. alteram partem potuisse iustam possessionem demonstrare, nec fructus iam perceptos restituere, neque omnes iudicii expensas sola solvere debebit.

IV. DE SPECIFICATIONE ACTIONUM

98. - In iure romano, variae species actionum distinctis nominibus notabantur et certo numero exsistebant neque iudicialis defensio impetrabatur, nisi nomen proprium actionis proponeretur. In iure autem canonico, quod aequitati naturali magis consulit, non est certus numerus actionem, cum quodlibet ius, iuxta verba c. 1667, actione muniatur. Codex in capitibus quae sequuntur, processum quarundam actionum in specie determinat.

Caput I.
De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris

Cf. Lega, *o. c.* I, n. 701, ss. — Wernz, *o. c.* V, n. 559, ss. (1)

99. - **Sequestratio** est rei controversae vel fructuum eius apud tertium facta depositio.

Depositio inproprie intellegi potest quia sequestrantur quoque res immobiles et proprie non deponuntur nisi res mobiles. Hae tunc sub custodia personae fidae constituuntur. — *Finis* eius est avertere damnum quod alterutri parti imminere potest ex asservata apud alteram vel tertium quemlibet re sua aut securam facere debiti cuiusdam solutionem. Quare extendi potest non ad rem controversam tantum, sed ad alia quaedam debitoris bona, modo ius creditoris certum demonstretur (**c. 1673**).

Sequestratio potest fieri ex mutuo partium consensu aut decerni a iudice, sive ad instantiam partium sive ex officio, ubi bonum publicum id postulat (**c. 1672**).

Sequestrationi locus est, v. g. si maritus bona uxoris contra quam appellat dissipet, si reus contumax est et actorem in possessionem mitti minus oporteat, etc.

Sequester seu persona cui res litigiosa custodiae causa committitur, a iudice, partibus proponentibus, designatur, dissentientibus deligitur (**c. 1675**).

100. - **Inhibitio iuris.** Iudex potest, ad instantiam partis vel ex officio prohibere, donec lis fuerit composita, alteram partem iuris exercitio, quod alteri parti damnosum esse posset. Quae prohibitio vocatur

(1) Quia scriptores in hac materia ordinem a Codice satis diversum sequuntur, eos plerumque initio capitum allegabimus.

inhibitio iuris. Hanc prohibitionem si pars violaverit, habetur attentatum, quae est species spolii, contra quod altera pars actione nullitatis vel actione rescissoria procedere potest (c. 1672, § 2).

Exemplo sit alienatio rei quam altera pars possidet, cuius vero dominium vel legitima possessio controversiae subiacet.

101. - Quoties **cautio** sufficiens offertur seu summa pecuniae quae apta sit damno, si casus ferat, reparando, admittenda est ; neque tunc sequestratio vel iuris inhibitio decerni potest, ne ulli parti praeiudicium afferatur (**c. 1674**).

Caput II. - De actionibus ex novi operis nuntiatione et damno infecto

Cf. Lega, *o. c.*, I, n. 238, ss.

102. - **Nuntiatio novi operis** est actio qua quis intendit prohibere quominus alius exstruendo, mutando, demoliendo aedificium aut aliud opus, exercitium pacificum sui iuris turbet, donec utriusque partis iura sententia iudicis definiantur (cf. **cc. 1676. 1677**).

Ex iure romano (l. 1, § 11, ff. XXXIX, *De operis novi nunt.*), haec actio de operibus quae solo coniuncta sunt, ut sunt muri, saepes, silva, etc. agit. Lega (1) sane optabat ut ob alia quoque opera concederetur, quod Codice factum esse non perspicimus (Contra Noval, *o. c.*, n. 322, erronee allegantem Lega). — Non omnis mutatio operis actioni locum dat, sed si vetus opus magna ex parte immutetur (c. 1677). Exemplo novi operis potest esse aedificatio ecclesiae Regularium, quae parocho damnum inferat, quae populo et sic dioecesi detrimentum causet, etc.

103. - Ne praeiudicium reo convento inferatur vel damnum maius quam necessarium est :

1° Opus ex *iudicis licentia* continuari potest, dummodo reus idonea cautione caveat se omnia in pristinum statum restituturum, si absoluto iudicio victus recesserit ;

Veteri iure actor cautionem acceptare non debebat, dummodo intra tres menses suam instantiam absolvere posset. Ad acceptationem iam decreto iudicis cogi potest. Lege quoque tempus ad ius demonstrandum minuitur, etenim :

2° Nuntianti novum opus terminus bimestris praefigitur ad ius suum demonstrandum. Potest tamen iudex istud tempus non prorogare tantum, sed etiam reducere, audita altera parte.

104. - *De damno infecto.*

Damnum infectum est « damnum nondum factum quod futurum

(1) *De iudiciis*, I, n. 238.

veremur » (l. 3, ff. *De damn. infect.*). Agitur autem de damno quod ex fundo alterius nostro fundo timemus, sive veniat « ex alieno aedificio quod ruinam minatur, ex arbore », sive ex alia re quacumque (c. **1678**).

Finis actionis *de damno infecto*, est obtinere periculi remotionem vel cautionem de damno aut avertendo aut, si forte advenerit, compensando.

Potest v. g. dominus fundi cogi ut murum reficiat aut totum vel partim demoliatur, ut arbori adminicula applicet vel eam tollat, etc. — Actionem de damno infecto concedi contra futurum alius *actum*, qui mihi damnosus futurus sit, e verbis c. 1678 erui vix posse videtur. Etsi enim dicit « ex alia re quacumque », verbo « re » actus minus proprie designatur et natura actionis ad normam veteris iuris explicanda est. — Querela de novo opere et de damno infecto actionibus possessoriis ascribi potest, quia possessionem iuris vel rei saltem principaliter intendit, etsi interdum e quasi-delicto oriatur.

Caput III. - De actionibus ob nullitatem actorum

Cf. Lega, *o. c.*, n. 250, ss. — Wernz, *o. c.*, V, nn. 515, ss. 524, ss.

105. - Ne ex actibus vel contractibus qui nullitatis vitio inficiuntur detrimenta aliis gignantur, conceditur *actio* seu *querela nullitatis* (c. **1679**).

Actus vel contractus nullus esse potest sive iure naturali sive iure tantum positivo (cf. c. **1680**).

Ipso naturae iure invalidus est actus vel contractus cui deest elementum ipsi essentiale, v. g. usus intellectus in contrahente, exsistentia obiecti de quo contrahitur, reo possibilitas respondendi, etc.

Potestas publica potest ad iura civium melius protegenda in faciendis actibus et contractibus sollemnia vel condiciones habilitatis exigere, quorum defectu actus vel contractus ipso iure nullus sit, v. g. assistentiam testis authorizabilis, scripturam, subsignata nomina, aetatem contrahentis, etc. Exempla praebent promissio matrimonii (c. 1017), examen defensionis parochi (c. 2152), citatio rei (cc. 1715-1723).

Quia ius positivum confirmare ius naturale censetur, nisi plura expresse requirat, et quia nullitas actus plerumque ut poena consideratur quae legem certam supponit, omnis actus in iure naturae validus, etiam si lege prohibetur, validus tamen manet, nisi nullitas *expressis verbis* vel aequivalenter in lege pronuntietur et in dubio pro valido est habendus (cc. 11. 15).

Neque ultra terminos legis nullitas est extendenda, v. g. ad actus qui procedunt aut subsequuntur actum nullum et ab eo non dependent (c. 1680).

106. - Aliae nullitates, v. g. testamenti informis, in favorem privatorum, aliae, v. g. pleraque impedimenta dirimentia matrimonii, ob bonum publicum instituuntur. Quae sunt prioris generis a iudice ad instantiam tantum partium pronuntiantur, nam partes iure suo cedere possunt; quae sunt alterius generis, ex officio quoque declarari possunt vel debent. Ob rationem quoque boni communis et aequitatis,

iudex nullitatem actuum ex officio pronuntiare potest « si agatur de pauperibus vel de minoribus aliisve qui minorum iure censentur », ut sunt personae morales (cc. **1682**. 100, § 3).

107. - « Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam » (c. **1681**).

Idque etiamsi bona fide egerit, post sententiam iudicis facere tenetur tum erga partem quacum litigat, tum erga tertiam personam quae hac nullitate damnum passa est. Non enim de poena agitur, sed de damno quod quis a se illatum reparare debet.

108. - Ex defectu auctoritatis, nullus iudex ipso R. Pontifice inferior, etiam S. Congregatio, videre potest de valore confirmationis specifice datae ab ipso R. Pontifice alicui actui vel instrumento, nisi ipse de hoc examine expressum mandatum dederit.

Iudex inferior R. Pontifice est etiam S. Rota aut quaelibet S. Congregatio. Quare si quod rescriptum, si quae litterae fuerint confirmata in forma *specifica* ab ipso R. Pontifice aut a S. Congregatione, vi mandati *specialis*, nullus iudex R. Pontifice inferior sine eius mandato, quod *aperitio oris* vocatur, tenorem illius actus vel instrumenti tollere aut minuere potest. Clausulae quibus actus vel instrumentum cognitioni aliorum iudicum subducitur, praeiudiciales vocantur suntque decretum irritans et clausula *sublata*. Iudicibus tamen licet examini subicere ambitum quem ille actus *de facto* habet (1).

Quia sunt defectus quos R. Pontifex sanare non potest, v. g. defectus consensus in matrimonio, vel sanare non vult, saltem nesciens, v. g. damnum innocenti illatum, potest fieri ut eis confirmatio etiam in forma specifica inutilis sit. Attamen examen roboris istius confirmationis causa est ipsi R. Pontifici reservata (cf. c. **1683**. *Epitome*, I, 299, 4).

Caput IV. - De actionibus rescissoriis et de restitutione in integrum

Cf. Lega, *o. c.*, I, n. 255, ss. — Wernz, V, n. 515, ss.

109. - Etsi non omnis error, etiam e machinatione ortus, neque omnis metus iuridicos actus nullos faciunt, legislator ex aequitate saepe media comparare debet quibus, sic volente parte quae damnum passa est, omni virtute iuridica iidem actus privari possint (Cf. *Epitome*, I, 196).

Duo sunt remedia lege praestita, alterum ordinarium, i. e. actio rescissoria aut exceptio metus vel doli, alterum extraordinarium, i. e. restitutio in integrum.

§ 1. DE NATURA ACTIONIS RESCISSORIAE

110. - Actio rescissoria est ius petendi a iudice ut vi sua destitua-

(1) Cf. cc. 1. 2., X, *de confirmatione, utili vel inutili;* II, 30. — Lega, *De iudiciis* disc. 20, n. 10. — *S. Rota R.*, causa *Tranen.*, Conventionis, 30 ian. 1923 in AAS., XV, 1923, 125.

tur actus vel contractus qui ipso iure non sit nullus, sed vitietur metu, dolo, vel errore (**c. 1684**).

Actio rescissoria conceditur ob triplicem *causam*, nempe ob metum gravem et iniustum, ob dolum vel ob errorem graviter damnosum.

111. - 1. *Actio rescissoria ob metum.*

Ut actio concedatur, metus debet esse gravis et iniustus : *gravis*, etsi forte relative tantum, qui e sexu vel indole metum passi iudicatur ; nam levi metu ad rem alicuius momenti faciendam moveri non solemus et omnes actus vel contractus nutarent ; — *iniustus*, nam lex eum qui laesionem iuris passus est, adiuvare intendit.

Ex communiore sententia non sunt rescindibiles nisi actus qui ex metu *quod ad substantiam* iniusto et *ad extorquendum consensum* incusso positi sunt. Qui enim metum tantum *quod ad modum* iniustum patitur aut non incussum ad extorquendum consensum, in agendo iniuriam simpliciter non patitur vel ex metu agere simpliciter dici nequit (cf. Lega, *o. c.* n. 263). — Notandum est tamen Codicem declarare nullum matrimonium « initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, *a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium* » (c. 1087, § 1). At cum matrimonium contractus indissolubilis sit, nemo mirabitur legislatorem libertatem partium plenius munivisse. Diximus tamen (*Epitome*, II, 376, 2, d.) non omnes canonem 1087 isto modo interpretari.

112. - 2. *Actio rescissoria ob dolum.*

Actio rescissoria conceditur quoque ei qui dolo deceptus egit vel contraxit, quoties actus non est nullus ob errorem substantialem.

Dolus est omnis calliditas seu sollertia ad decipiendum apta. Cum non omnis simulatio inhonesta sit, dolus bonus intellegi potest, etsi vox *dolus* dolum malum simpliciter designet. — *Dolus malus* est calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum [contra ius] adhibita (L. 1, § 2. ff. *De dolo malo*).

Cum nemo malus praesumatur, dolus debet probari legitime, v. g. ex qualitate personarum, ex qualitate facti quod est v. g. prohibitum, etc. — Si dolus causam dedit contractui, praeter actionem rescissoriam, actio quoque ad indemnitatem, si casus ferat, lege conceditur (c. 2210). Sub iure veteri, actio rescissoria non dabatur ei qui dolo egerat quod etiam non deceptus egisset.

113. - 3. *Actio rescissoria ob errorem.*

Qui simplici seu non doloso errore contraxit, uti quoque potest actione rescissoria, at intra biennium tantum et ob laesionem gravem, sc. si laesionem ultra dimidium ex errore passus est, ut puta, si, remoto errore, dimidio minore pretio contraxisset (c. 1684, § 2).

§ 2. DE CONCESSIONE ACTIONIS RESCISSORIAE

114. - Haec actio institui potest :

1° Contra eum qui metum intulit vel dolum patravit, si in suum commodum egerit. Conceditur enim actio in odium doli vel vis illatae.

2° Contra eundem, etiam si in commodum alius talia peregerit (c. 1685, 1°).

Nota igitur contractum rescindi posse, etsi is quocum contraxeris dolum non adhibuit et a metu incutiendo prorsus innocens est. Sub veteri iure, in hoc casu actio tantum ad indemnitatem contra metum incutientem vel doli reum institui poterat.

Ceterum aequum est ut metum vel dolum passo ius suum plene restituatur ; altera pars innocens poterit contra metus vel doli auctorem actione ad indemnitatem uti.

3° « Contra quemlibet malae fidei et etiam bonae fidei possessorem, qui res metu vel dolo extortas possidet, salvo iure regressus contra quemlibet usque ad ipsum metus vel doli auctorem » (c. 1685, 2°).

Ius vindicandi rem suam a quolibet possessore **ius evictionis** vocatur ; ideoque *praestare evictionem* dicitur, qui partem quacum contrahit indemnem se facturum pollicetur, si res contractu acquisita a tertio repetatur.

115. - Quamdiu res est integra, i. e. actus vel contractus ad effectum nondum pervenit, locus non est actioni rescissoriae ; satis est ut dolum metumve passus actum vel contractum non exsequatur. Quod si exsecutio urgeatur ab eo qui metum intulit aut dolum patravit, alter *exceptione metus vel doli* se tueri poterit (c. **1686**).

Si exsecutio a parte innocente urgeatur, locus erit sequestrationi vel inhibitioni iuris de quibus supra, nn. 99-101.

§ 3. DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM

116. - **Restitutio in integrum** est « remedium iuris extraordinarium, quo graviter laesus ex naturali aequitate per officium iudicis reducitur in eum statum iuris, in quo fuerat ante laesionem » (LEGA, *o. c.*, n. 269).

117. - 1. *Quibusnam conceditur ?*

1° Ordinarie conceditur *minoribus* vel *minorum iure fruentibus*, in quibus semper causa iusta est ipsa minor aetas vel continua dependentia ab administratoribus vel rectoribus.

2° Heredibus et successoribus minorum vel eorum qui eodem iure fruuntur, etiam si aetate maiores sint, quia ratio actionis non est persona minoris, sed ipsa laesio.

3° Extraordinarie, *maioribus* quos deficit ordinarium iuris remediunt (c. **1687**).

118. - 2. *Quaenam causa requiritur ?*

Requiruntur : 1° in minoribus, *laesio iuris*, etsi eorum impruden-

tiae debeatur, et *defectus* remedii iuris ordinarii aeque saltem utilis.

2° In maioribus, praeter laesionem et defectum ordinarii remedii iuris, alia *iusta causa*, v. g. impedimentum ab instituenda actione ob iter vel negotia ad bonum rei publicae suscepta, etc. Sed probare debent laesionem suae imprudentiae non deberi.

Quia remedium est extraordinarium, non conceditur nisi deficiente remedio ordinario ; quia concessum ex aequitate, maiori facilitate et ambitu minoribus quam maioribus tribuitur.

3° In minoribus et maioribus, ut actus vel negotium sit validum et rescindibile. Secus enim petenda est declaratio nullitatis aut remedium deest (**c. 1687**).

119. - 3. *A quonam restitutio peti debet?*

Vi principii « Actor sequitur forum rei », restitutio in integrum petenda est a iudice competente respectu illius contra quem petitur.

Iudex autem, si de maioribus agatur, unice ad instantiam partium agere potest ; si de minoribus iisve qui eorum iure utuntur, etiam ex officio, audito vel instante promotore iustitiae. Id enim postulat tum aequitas naturalis, tum bonum commune quod iura tenuiorum sarta tectaque vult permanere (**c. 1688**).

120. - 4. *De tempore ad petendam restitutionem utili.*

Quia haec actio non ex iustitia, sed ex aequitate et extraordinarie conceditur, tempus eius *ad quadriennium* tantum prorogatur.

Quod tempus aliter computatur, si de minoribus, aliter si de maioribus vel de personis moralibus agatur.

1° Si agatur de *minoribus*, computatur ab adepta maioritate.

Adipiscuntur autem maioritatem expleto vigesimo primo anno, die nativitatis non computato. Sic qui natus est d. 1 ian. 1910, maiorennis erit d. 2 ian. 1931 a media nocte.

2° Si de personis *moralibus* vel de *maioribus* agatur, quadriennium computatur a die laesionis factae et cessati impedimenti, quo nempe a petenda rescissione vel appellatione vel restitutione prohibitae fuerunt. — Dies quo negotium peractum est vel cessavit impedimentum, non computatur (**c. 1688**).

Tempus istud *utile* dicendum est, quod legitime impedito non currit (cf. c. 35. *Epitome*, I, 121). Ideo, si variis impedimentis fuerit intermissum, quater 365 dies erunt computandi ; si *continuum*, anni sumendi erunt prouti sunt in calendario et tempus utile finietur incipiente ultimo die eiusdem numeri. V. g. qui maior d. 1 ian. 1921 factus est, restitutionem in integrum petere potest usque ad incipientem diem 1 ian. 1925 (cf. c. 35). — Contra lapsum temporis quadriennalis non datur restitutio in integrum ; quod si olim erat dubium, nunc silentio Codicis certum videtur (Cf. Lega, *o. c.*, n. 277).

121. - 5. *De effectu restitutionis in integrum.*

« Restitutio in integrum id efficit ut omnia revocentur in pristi-

num, id est restituantur in statum in quo erant ante laesionem, salvis iuribus quae alii, bona fide, ante petitam restitutionem quaesiverint » (c. **1689**).

Quare possessor bonae fidei fructus perceptos conservat ; res vendita cuius pretium restituitur, ipsa est reddenda ; quae si melior facta fuerit, restitutus in integrum compensationem debet ; dilatio qua restitutus ante actum gaudebat iterum acquiritur ; etc.

Caput V. - De mutuis petitionibus seu de actionibus reconventionalibus

Cf. Lega, *o. c.*, n. 172, ss. — Wernz, V, n. 426, ss.

122. - 1. **Definitio.** Reconventio dicitur : « Actio quam reus coram eodem iudice in eodem iudicio instituit contra actorem ad submovendam vel minuendam eius petitionem » (c. **1690**, § 1).

Mutuae petitiones conventio et reconventio vocantur.

Reconventio sensu proprio ab exceptione reconventionali differt. Dum exceptio mera *defensio est*, qua nihil petitur, reconventio per se est *actio*.

Exceptione reus valorem actionis *directe* impugnat, v. g. ex defectu competentiae in iudice, ex defectu valoris actus, ob errorem substantialem vel metum gravem, etc. ; dum actione reconventionali, *indirecte* petitionem actoris submovere vel minuere intendit ; petendo enim et ipse aliquid ab actore, exsecutionem intentionis actoris ex integro vel partim elidet. V. g., si Caius a Titio 1000 libellas petat ob merces venditas, Titius vero a Caio 700 libellas repetat ob pecuniam mutuo datam et 300 libellas ob damnum ex contractu ortum.

2. Reconventio est *necessaria* vel *libera*. Necessaria est in quibusdam actionibus in quibus utraque pars ex re litigiosa necessario aliquam partem sibi vindicare debet, v. g. si agitur de finibus agri iudicandis, de hereditate dividenda, de divisione cuiuslibet rei communis. — Ubi libera est, hoc commodi interdum habet quod coram eodem iudice, uno iudicio plures lites inter easdem partes absolvuntur.

3. Etsi actori reconvento omnis species exceptionis competit, « *reconventio reconventionis* non admittitur » (c. 1690, § 2), ne detur processus in infinitum. Sed ab initio iudicii, potuit actor pluribus simul actionibus quae secum ipsae non confligerent reum convenire, ut dictum est supra n. 93 (c. 1669).

123. - « Actio reconventionalis locum habere potest in omnibus *causis contentiosis* », etiam non conexis, nam ipsa petitione compensationis conexae fiunt, « exceptis causis spolii », quia spoliator numquam ad agendum admittitur priusquam rem restituerit (c. **1691**. cf. c. 1698).

« In criminalibus vero non admittitur » ; etenim, si actor quoque delictum commisit, inde reo innocentia nullo pacto restituitur : « nisi ad normam c. 2218, § 3, » iuxta quem mutua iniuria compensatur, si tamen fuerit utrimque aequalis (c. 1691).

124. - Reconventio seu mutua petitio « proponenda est iudici coram quo actio principalis instituta est » ; ipsa enim reconventione eius competentia, si id necesse fuerit, ad novam causam prorogatur, « nisi sit absolute incompetens » (c. **1692**. Cf. supra, n. 22).

Caput. VI. - De actionibus seu remediis possessoriis

Cf. LEGA, *o. c.*, I, n. 211, ss. — WERNZ, V, nn. 493. 500, ss.

§ 1. NOTIONES ET PRINCIPIA GENERALIA

125. - Possessio per se est nudum factum quo quis rem corporalem per aliquod temporis spatium detinet eaque tamquam sua utitur. Plerumque dominium perfectum vel imperfectum istud factum comitatur, quamquam ab isto patet separari posse. Quare, etsi simplex detentio *per se* nullum ius creat, ad tuenda iura civium lex ipsam possessionem certis vestitam condicionibus praesidio munit. Tunc possessio *ex naturali civilis* evadit.

Qui rem possidere coepit actu quem lex agnoscit, v. g. contractu, testamento, etc., *titulo* legitimo possidet. Vitiosa vero possessio est, si res a domino vel iusto possessore *vi* eripiatur aut *clam* servetur ne ab eodem vindicetur. Dicuntur *precario* detineri, quae non fuerint petenti *(precanti)* tradita, nisi ea condicione ut domino vel possessori exigenti restituerentur. De *quasi-possessione*, cf. supra n. 90.

126. - Ad tuendam iustam possessionem duo instituta iuridica iam sub iure romano exsistebant, *interdicta* sc. et *praescriptio*. — Interdicta erant formulae seu sententiae Praetoris, quibus ante decisam litem vetabat *(interdicebat)* statum possessionis mutari. Quando ipso iure, non actu tantum speciali Praetoris, data sunt, *actiones* evaserunt *adipiscendae, retinendae* vel *recuperandae possessionis*.

Ius canonicum duas mutationes invexit : 1° actiones seu interdicta iure romano stricte definita, maximo numero auxit vel potius certis iam formis non definivit; 2° iuribus quoque spiritualibus et personalibus actiones possessorias seu media retinendae vel recuperandae quasi-possessionis tribuit (cf. LEGA, *o. c.*, n. 211).

Etsi actio per se possessioni iustae conceditur, nihil prohibet quin possessioni etiam iniustae contra tertiam personam tribuatur, quae in re nullum ius habet.

Ex his facile intelleguntur cc. 1693. 1694, qui sequuntur :

127. - « Qui ad possessionem alicuius rei adipiscendam, vel ad alicuius iuris exercitium obtinendum munitur titulo legitimo, petere potest, ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur » (c. **1693**).

Aliis verbis, qui actu legitimo ut sunt contractus, testamentum, etc. ius in certa re vel ad aliquos actus ponendos demonstrare potest, petere potest ut res in suas manus tradatur vel ut ipsi potestas fiat sui iuris re vera exercendi.

128. - « Non solum possessio, sed etiam simplex detentio praestat, ad normam canonum qui sequuntur, actionem vel exceptionem possessoriam » (**c. 1694**).

Iure et merito simplex detentor protegitur contra omnes qui non sunt ab eo iniuste spoliati, cum ius *in re* nullum habeant ; et simul cavetur ne veri domini vel possessoris iura laedantur.

De actione *adipiscendae* possessionis, normae speciales non dantur.

§ 2. DE ACTIONIBUS RETINENDAE POSSESSIONIS

129. - 1. Actio *retinendae possessionis* conceditur ne quis a possessione vel quasi-possessione turbetur, adversus molestiae auctorem, intra annum ab illata molestia. Sic protegitur possessio vel quasi-possessio publica, titulo legitimo munita et quae per annum integrum duraverit (**c. 1695**).

2. Si quis *vi*, *clam* aut *precario* possidet, actione retinendae possessionis uti potest adversus omnes, praeter personam a qua rem surripuit vel precario accepit (**c. 1696**).

Ei qui *precario* detinet, secundum legem gallicam non est ius ad actionem possessoriam, quia in iure gallico detinet *nomine* alterius (1).

3. Si controversia sit uter duorum possideat :

a) Si alter intra annum frequentiores et potiores actus possessionis posuit, praefertur.

b) Si, omnibus pensatis, dubium manet, possessio utrique pro indiviso tribuitur.

c) Si adiuncta hanc pro indiviso possessionem non patiantur, locus est sequestrationi vel iurium inhibitioni, usque ad iudicii petitorii exitum (**c. 1697**. cf. supra, n. 99-101).

§ 3. DE ACTIONIBUS RECUPERANDAE POSSESSIONIS

130. - 1. Actio recuperandae possessionis tribuitur ei qui a rei possessione vel exercitio iuris deiectus est. Si deiectio violenta fuerit, **spolium** vocatur (**c. 1698**).

Notandum est iure canonico : 1° *actiones de spolio* extendi ad omnes res sive mobiles sive immobiles, sive corporales sive incorporales, i. e. ipsa iura, v. g. ad ius consortii coniugalis, ius eligendi Superiorem, etc. ; 2° constitui *exceptionem spolii*, qua spoliatus adversus spoliatorem se defendere possit (**c. 1699**, § 1) ; 3° possessionem rei spoliatae

(1) Cf. Planiol, *Traité élémentaire de droit civil*, I (6e éd.), n. 2311, ss.

ante omnem iuris quaestionem esse restituendam ; 4° actionem de spolio vel exceptionem spolii etiam contra dominum vel rei iustum possessorem moveri posse, ita ut prosit etiam praedoni quem non in continenti seu in ipso invasionis actu dominus repulerit vel nisi notoria sit spoliatio a praedone facta.

2. Actio et exceptio praebentur non tantum adversus spoliatorem, sed etiam adversus quemlibet rei detentorem et adversus possessorem bonae fidei.

Exceptio spolii est dilatoria tantum, i. e., iudicium principale differendum est donec spoliatus, spolatione probata, restituatur vel, non probata, ab exceptione reiciatur.

Inter actionem et exceptionem maximum est discrimen quod ad tempus ; dum enim actio anni spatio concluditur, exceptio perpetua est. De tempore per quod agere liceret, ante Codicem non ita constabat. — Annus est tempus utile seu currit a momento quo spoliatus detrimenti notitiam habuit et reparationem persequi potuit.

3. Ne tamen restitutio damnosa fiat alterutri parti, iudex ad instantiam eius vel promotoris iustitiae, poterit, si casus ferat, decernere « aut restitutionem suspendi, aut rem vel personam apud sequestrem custodiri, donec causa petitorio iudicio definiatur » (c. 1699, § 3).

§ 4. DE PARTIBUS IN IUDICIO POSSESSORIO CITANDIS

131. - « Iudicia possessoria absolvenda sunt, citata dumtaxat adversa parte in iudiciis retinendae vel recuperandae ; » sententia enim afficit tantum spoliatorem vel rei detentorem ; « citatis vero omnibus iis quorum interest, in iudiciis adipiscendae » ; nam in hac causa aliae quoque personae, quae cum possessore contraxerunt, iuribus suis cavere debent (**c. 1700**).

Caput VII. - De exstinctione actionum

Cf. Lega, *o. c.*, n. 304, ss. — Wernz, *o. c.*, V, n. 172.

132. - Exstinctio actionum est resolutio iuris reum conveniendi. Inter varios modos quibus actiones exstinguuntur, *praescriptio* praecipuum locum occupat, de qua praesertim in hoc capite agitur.

Codex primo loquitur de exstinctione actionis contentiosae (c. 1701), dein de exstinctione actionis criminalis (cc. 1702-1704), indicatis istius modis (c. 1702), tempore necessario (c. 1703) et effectu (c. 1704) ; tandem de tempore a quo praescriptio in utroque casu currit (c. 1705).

133. - Ad exstinctionem actionum quod attinet, distinguendum est inter actiones in quibus boni privati et eas in quibus boni publici

interest. Prioris naturae sunt omnes contentiosae ; alterius speciei actiones omnes criminales ; quae statum personarum spectant, iure speciali reguntur.

Ubi bonum privatum agitur, actio transactione vel renuntiatione exstingui potest ; at oportet praeterea ut lex terminos actionibus praescribat, ne iura semper incerta maneant ; ubi bonum publicum agitur, transactio vel renuntiatio privata excluditur, sed, ne delicta prorsus praeterita pacem fidelium iterum perturbent, lex actioni quoque criminali introducendae tempus definit. Actiones vero de statu personarum numquam exstinguuntur.

I. DE ACTIONE CONTENTIOSA

134. - « In contentiosis actiones tum reales tum personales exstinguuntur praescriptione ad normam canonum 1508-1512 ; actiones autem de statu personarum numquam exstinguuntur » (**c. 1701**).

Sicut in *Epitome*, II, n. 828 est explicatum, quaedam *iura* praescriptioni non sunt obnoxia, quare actiones de illis non exstinguuntur. — *Tempus* ad praescribendum in actionibus realibus varium est pro variis rebus, sive iure civili sive iure canonico tempus praescriptionis determinetur. — Actiones vero personales omnes spatio triginta annorum exstinguuntur secundum pleraque civilia iura (Cf. Cod. gall. a. 2262). Eorum disciplinam Codex in ista re non imitatur.

135. - **Status personarum** privatus in iure romano condicionem personarum significabat quod ad libertatem (liberi seu ingenui, libertini, servi), familiam (paterfamilias, cognati, etc.), civitatem (cives romani, latini, peregrini). — In Ecclesia, si statum sumpseris pro summa obligationum et iurium quae *lege* cuique competunt ex speciali vitae condicione, triplex status hodie est, sc. coniugatorum, clericorum, religiosorum. — Praeterquam quod pleraque iura vel obligationes ex his statibus orta solo privatorum consensu, ideoque transactione vel renuntiatione cessare nequeunt, ad bonum publicum pertinet ut actiones quibus status exsistere vel non exsistere asseritur, numquam exstinguantur. De actionibus in causa matrimoniali cf. cc. 1903. 1972 ; de causis contra sacram ordinationem, cf. c. 1993, ss. ; de professione religiosa, cf. cc. 586. 646, ss.

II. DE ACTIONE CRIMINALI

136. - Iure Codicis temperatur rigor iuris anterioris ac praesertim decr. S. Congr. *EE. et RR.*, d. 22 mart. 1898, iuxta quod actiones in delicta quaedam, ut haeresim, simoniam, parricidium, etc., numquam praescriptione perimebantur.

137. - Omnis actio criminalis seu ad delictum declarandum vel puniendum omnino et ipso iure exstinguitur :

1° « Morte rei », nam delictum et poena sunt personalia.

Quare excommunicatio post mortem novo iure iam non exstat.

2° « Condonatione legitimae potestatis ».

Poenas in foro externo condonare possunt ii qui iurisdictione in eodem foro potiuntur ; si reservatae sint, facultates seu privilegia iure communi aut particulari concessa consulenda sunt. Poenam lege Superioris statutam, semel applicatam, iudex remittere non potest (Cf. cc. 2236. 2237).

3° « Lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam » i. e. praescriptione proprie dicta, cuius condiciones in c. 1703 proponentur (c. **1702**).

III. DE ACTIONE POENALI

138. - *De tempore ad praescribendum requisito* (c. **1703**).

« ... tempus utile ad actionem criminalem proponendam est *triennium...* » Attamen :

1. Reservatur *ius S. Officii* agendi ad suam normam specialem.

2. Actio *iniuriarum* seu, sensu stricto, laesionis honoris dictis scripto, factis, *uno anno* perimitur.

3. Actiones ob *delicta qualificata* contra VI et VII divinum praeceptum, i. e. quae violatae castitati vel iustitiae aliam qualitatem seu speciem coniungunt, *quinquennio* perimuntur.

4. Actio ob *simoniam*, sive iuris divini sive iuris humani (cf. *Epitome*, II, nn. 4-6) vel ob *homicidium decennio* perimitur.

Quia *abortus* propriis verbis (v. g. c. 985, 4°) vel canonibus poenalibus (cc. 2350. 2354) ab homicidio distinguitur, actionem ob abortum triennio praescribi dicemus.

139. - Iuxta c. 2240 « ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio c. 1703 ». — NOVAL, *o. c.*, n. 377, animadvertit hunc canonem sua difficultate non carere. Etsi enim actio poenalis praescribi potest quotiens promotor iustitiae latam sententiam efficaciter non exsequitur, quia tunc consensus Superioris praesumitur, si de poena latae sententiae agitur, videtur praescriptio locum non habere ; illae enim poenae ipso facto reum tenent et in utroque foro obligant.

At, ni fallimur, c. 2240, collatis cc. 2232 et 1703, hanc explicationem patitur : poena in foro *externo* exigi nequit, nisi notoria sit facto vel iure vel saltem certo publica. Post tempus legitimae praescriptionis, actio ad obtinendam delicti et poenae declarationem exstincta erit. Quare etiamsi delictum iam publicum vel facto notorium fiat, eius poena saltem a nemine exigi poterit.

140. - 1. Delictum *duplici actioni* locum dare potest, sc. actioni criminali vel poenali, qua iudex violatae legis reparationem prosequitur, et actioni contentiosae, qua iudex laeso iuri privato opitulatur. Quia obiecto omnino differunt, nihil mirum si « sublata per praescriptionem actione criminali, non est hoc ipso sublata actio contentiosa, forte ex delicto orta, ad damna sarcienda » (c. **1704**, 1°).

2. Quia delictum iam diu praeteritum, cuius actio praescriptione est perempta, aliquem ad sacrum ministerium ineptum, vel ob scan-

dalum, reddere potest, semper licet Ordinario istum clericum a ministerio sacro removere. Nec obstat praescriptio actionis, cum haec remotio rationem poenae non induat (cc. 1704, 2° ; 2222, § 2).

141. - *De die a quo praescriptio currit* (c. **1705**).

1. Praescriptio currit in contentiosis a momento quo actio potuit primum proponi, sive impedimentum defuerit sive cessaverit ; in *criminalibus*, a die patrati delicti, etiam si fuerit omnino occultum, nam Codex non distinguit. Quia de tempore utili agitur, eadem restrictio pro actione criminali est apponenda ac pro contentiosa, i. e. modo defuerit vel cessaverit impedimentum.

2. Ne cuiquam sua perversa voluntas prosit vel delictum poenam effugiat, in casu delicti qui tractum successivum habet, ut sunt concubinatus, apostasia, etc., praescriptio non currit nisi a die qua delicti tractus cessavit. Eadem norma utendum est, si agitur de delicto habituali vel continuato ; immo, repetitio actuum facit ut primi actus eiusdem delicti praescriptione non tegantur.

DE IPSIUS PROCESSUS ORDINE

142. - 1. Postquam notiones traditae sunt de potestate iudiciali, de personis quae in iudicio partes habent et de formis actionum, iam ad ipsum processum seu ordinem iudicii veniendum est.

Cum iudicium ecclesiasticum sit praesertim iuris *declarativum* (cf. c. 1552), de ipsa *exsecutione* sententiae breviter (tit. XVII) agitur, quae variis disciplinae mediis obtinetur. Atque in ipsa processus expositione, ea quae ad *instructionem* pertinent maiorem sibi locum vindicant quam quae ad *definitionem* causae. Possunt igitur reliqui tituli in tres partes dividi, sc. 1° de introductione et instructione iudicii (tit. VI-XII) ; 2° de iudicii definitione seu conclusione (tit. XIII-XVI) ; 3° de exsecutione sententiae (tit. XVII). Age vero prima pars sic procedit.

2. Omnis actio *libello litis* introductorio seu certa petitione actoris incipit, quam si iudex accipiendam esse aestimaverit, reum *citatione* in iudicium vocat (tit. VI, de causae introductione). Ipsa contestatione (tit. VII), *instantia* seu exercitium actionis incipit, quae variis modis in tit. VIII, *de litis instantia* expositis, interrumpi vel perimi potest. Iam causae *inquisitio* seu instructio a iudice est facienda, interrogando partes (tit IX) et earum argumenta examinando, praesertim depositiones testium et documenta seu instrumenta (tit. X, *de probationibus*). Accidit autem ut, occasione quaestionis principalis, quaestiones accessoriae inter partes vel cum tertia persona moveantur, quarum cognitio vel solutio definitioni sententiae praeponenda sit. Quare tit. XI est *de causis incidentibus.* Finita instructione, restat ut acta

cum partibus communicentur, ultimae responsiones audiantur et causa discutiatur (tit. XII). Quae cum peracta sunt, iudex ad sententiam procedere potest ; sed haec ad partem sequentem pertinent. — Haec omnia ita quoque dividi possunt : processus declarativus iuris vel delicti et poenae duo momenta complectitur : instructionem praeparatoriam (tit. VI-XI) et definitivam (tit. XII) (1).

I. DE IUDICII INTRODUCTIONE ET INSTRUCTIONE
(Tit. VI-XII)

TITULUS VI

DE CAUSAE INTRODUCTIONE
(cc. 1706-1725)

143. - **Ordo dicendi**. Causa introducitur duplici actu, sc. oblatione libelli, et citatione rei, quod est obiectum duorum capitum in quae titulus dividitur.

Caput I. - De libello litis introductorio

Cf. Lega, *o. c.*, n. 401, ss. — Wernz, V, n. 376, ss.

144. - 1. Ex ipsa rei natura, actio contentiosa introduci non potest sine formali actoris petitione. Generatim haec petitio scripto facienda est seu libello. Si tamen actor scribere nesciat vel adiunctis prohibeatur aut causa facilioris investigationis vel minoris momenti sit, petitio oretenus fieri potest, cuius tamen actus a notario scriptus actori legendus est et ab eo probandus (**cc. 1706, 1707**).

2. Libellus est brevis scriptura continens actoris petitionem et petendi causam. Proponet clare et breviter *nomen* actoris, iudicis et rei ; *domicilium* actoris et rei ; *facta* quae petitioni locum dederunt ; *ius* quo haec nititur, v. g. contractum, legem, delictum ; *obiectum* petitionis, i. e. quid et quantum petatur ; *diem*, mensem et annum ; *subscriptum* nomen actoris vel eius procuratoris.

Non est necesse ut actio qua actor ius suum declarari cupit definito nomine indicetur ; in iure enim canonico numerus actionum certis formulis non finitur. Neque probationes iam indicandae sunt, etsi opportunum est illas breviter innuere (**c. 1708**).

Ex his iudex aestimabit num ipse competens sit et actio admittenda vel reicienda, v. g. quia falsitas factorum est notoria vel petitio manifeste iniusta.

3. Contra repulsam iudicis remedium praebetur, sc. recursus ad superiorem iudicem ; itemque contra eiusdem in admittendo vel rei-

(1) *Monit. eccles.* XLV, 1921, 113.

ciendo libello negligentiam, nova post mensem apud eum instantia, quae si intra 5 dies nullum effectum habuerit, conceditur recursus ad superiorem iudicem (cc. **1709**, **1710**).

4. Etiam *post* simplicem libelli oblationem *res integra* manet, quippe quae omnis controversiae adhuc expers sit. Quare libellus ab actore ante citationem legitime peractam retrahi vel in parte non substantiali mutari potest. Nam si in parte substantiali mutetur, diversa constituitur actio, de qua iudex novum examen circa competentiam suam et petitionis obiectum facere debet.

Caput II
De citatione et denuntiatione actorum iudicialium

Cf. Lega, *o. c.*, n. 407, ss. — Wernz, *o. c.*, V, n. 390, ss.

145. - 1. Actor, si ipse reum convenit, quod in iure civili plurium nationum obtinet, citationem quae petitionem continet, ope publici cursoris transmittit. In iure canonico, citatio seu in ius vocatio a iudice proficiscitur. Proinde si partes *sponte* se sistant, iudex citationi renuntiare potest, quod actuarius in actis semper significabit (c. **1711**)

2. Citatio reo denuntianda est vel, si non habet liberam administrationem rerum de quibus disceptatur, eius parentibus, tutori, curatori, rectori, etc. ad normam cc. 1648-1654 (cc. **1712**, **1713**). Semel facta sufficit, nec est iteranda, nisi iudex contumaci poenas ecclesiasticas imponere velit, quo casu de iterata citatione constare debebit (cc. **1714**, 1845, § 2). Quare *peremptoria* dicitur, quae trinae citationi aequivalet et ex intentione iudicis reum, si non compareat, contumacem constituit.

146. - 1. Scheda citatoria, ut citatio *valeat*, munienda est sigillo tribunalis et indicet necesse est : « a quo iudice, ob quam causam saltem verbis generalibus indicatam, quo actore, reus, nomine et cognomine rite designatus, conveniatur ; nec non locum, et tempus, i. e. annum, mensem, diem et horam ad comparendum praefixam » ; praeterea subscripta nomina iudicis *vel* eius auditoris *et* notarii (cc. **1715**, 1723).

Duplici conficitur exemplari, quorum alterum reo remittitur, alterum in actis asservatur (c. **1716**).

2. Cum ipso iure naturali nemo nisi auditus vel contumax condemnari possit, omnino oportet ut de transmissa ad reum citatione certo constet nec media huius certitudinis acquirendae arbitrio iudicum relinquenda videntur. At nihil obstat quin medio tutissimo quolibet praesertim secundum leges regionis, iudex utatur. Quare sapienter ius

canonicum triplicem modum citationis transmittendae agnoscit, sc. plerumque traditione *personali* seu in proprias rei manus per cursorem tribunalis (**cc. 1717, 1718, 1721, 1722**) : ob iustam causam, transmissione per tabellarios publicos vel alio modo tutissimo « secundum locorum leges et condiciones » (**c. 1719**) ; quotiens, inquisitione peracta, domicilium rei ignoratur, affixione et publicatione edicti, quae *citatio edictalis* dicitur (**c. 1720**). Ad *validitatem* citationis requiritur ut unus ex his modis adhibeatur (**c. 1723**).

Controvertebant num citatio in alieno territorio per apparitorem denuntiari posset (LEGA, *o. c.*, n. 411) ; Codex expressis verbis affirmativam sententiam confirmat (c. 1717, § 2).

3. Cursor de iis quae peregerit scripto ad iudicem referre debet nec potest citationem apud reum aliamve personam relinquere, nisi suo nomine subsignatam, adnotato die et hora qua tradita est (cc. 1721, 1722).

Regulae pro citatione statutae aliis iudicii actibus sunt applicandae, congrua congruis referendo (**c. 1724**).

147. - *De effectibus legitimae citationis* (**c. 1725**).

« Cum citatio legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium venerint : »

« 1° Res desinit esse integra », i. e. causa iuridicum statum ita mutavit ut, v. g. libellus introductorius vel partim iam mutari non possit.

« 2° Causa fit propria illius iudicis aut tribunalis, coram quo actio instituta est » ; ideoque si plures sint iudices competentes, praeventio huic tribunali favet.

« 3° In iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non exspiret resoluto iure delegantis » ; cf. c. 207. *Epitome,* I, n. 283, 2.

« 4° Interrumpitur praescriptio... », quae iam civiliter non currit contra eum qui legitime ius suum possidenti opposuit.

« 5° Lis pendere incipit ; et ideo statim locum habet principium : « *lite pendente, nihil innovetur* ».

Cum iura enim in controversiam veniunt, in eo statu servanda sunt quo condicio veri domini non minuatur.

6° Praeterea reus, si tempore et loco definito non compareat, *contumax* efficitur.

TITULUS VII

DE LITIS CONTESTATIONE

(cc. 1726-1731)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, nn. 419-433. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 449, ss. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, in hos cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in hos cc. — Roberti, Fr., *De processibus*, I.

148. - *Notio contestationis litis.*

1. Reus cum petitionem actoris citatione cognoscit, aut statim iure cedit aut iudicium exceptionibus dilatoriis vel peremptoriis vitare conatur aut petitioni formalem contradictionem animo litigandi coram iudice opponit.

2. Contestatio litis *definitur* petitio actoris in iure de negotio principali et congrua negatio rei secuta animo litigandi. Alia sollemnis est, alia simplici comparatione habetur (cf. **c. 1726**).

3. Petitio debet fieri coram iudice vel viro ab ipso legitime delegato ; negatio autem rei ferri debet in principale negotium et sic indicare intentionem litigandi. Etenim litis contestationem non inducunt negationes assertorum seu positionum actoris, quae ad iudicem mere informandum opponuntur. — Reus litem contestari potest, sive per se sive per alium qui eius nomine agere valet, ut sunt tutor, curator, syndicus.

149. - 1 *De contestatione non sollemni.* **C. 1727** confirmat usu tritam doctrinam, sc. ad litis contestationem nullam sollemnitatem esse necessariam. Etsi per se sufficit oretenus facta contestatio, idem canon requirit ut « in actis inseratur petitio actoris et contradictio conventi ».

Defectus huius insertionis actionem non irritat, sed haec praescribitur ut de litis contestatione iuridice constare possit, cum ob eius defectum iudicium *ordinarium* nullitatis defectu laboret.

2. *De forma sollemniori contestationis.*

Forma sollemnior in eo est quod definiuntur *dubia concordanda*, i. e. intentio actoris et rei assertis et negationibus accurate proponitur. Locum habet concordatio dubiorum in causis intricatioribus. — Fit ad instantiam partium vel post citationem ex officio a iudice decretam (**c. 1728**).

Iudex citat partes ad comparendum statuto a se die. Concordatio dubiorum fit : 1° *ex officio a iudice*, si altera pars non compareat nec iustam absentiae causam alleget aut si partes dissentiant vel earum conclusiones iudici non probentur ; 2° *ab ipsis partibus*, sive ex interrogationibus a iudice propositis sive serie assertorum seu articulorum actoris, quibus reus conventus suas negationes opponit (**c. 1729**, §§ 1-3).

Si actor et reus de dubiis conveniant nec iudex aliquid corrigendum ducat, formula *decreto* firmatur. — Ad mutandam formulam semel statutam requiritur novum decretum, non concedendum nisi ob gravem causam. Omnis enim mutatio alterutri parti detrimentum afferre potest; quare non suscipitur nisi « audita utraque vel altera parte eiusque rationibus perpensis » (c. 1729, § 4).

150. - *De effectibus litis contestationis.*

1. Cessat prohibitio *procedendi ad auditionem testium* et recipiendi alias probationes (**c. 1730**).

Id enim vetatur fieri, lite non contestata, quia frustraneum esset plerumque examinare testes vel probationes exquirere de obiecto nondum definito. Excipiuntur tamen casus sequentes:

1° Casus *contumatiae*, sc. si actor post oblatum iudici libellum legitime citatus se absentet aut si reus legitime citatus intra tempus iure vel decreto definitum non compareat.

2° Si periculum est ne postea impossibilis vel difficilior sit receptio testium. Iudicium de hac re prudenti iudicis arbitrio remittitur.

2. Omnis essentialis *mutatio libelli excluditur*; secus enim prior instantia revocaretur et nova institueretur; excipe « nisi, reo consentiente, iudex iustis de causis censeat mutationem esse admittendam, salva semper reo compensatione damnorum et expensarum, si qua debeatur » (**c. 1731**, 1°).

Quidquid petitionem minuit, aut ad solum probationis modum vel ad aequivalens rei pretium petendum refertur, libellum mutare non censetur. Hae enim mutationes reo favent vel sunt mere accidentales.

3. « *Possessor rei alienae* desinit esse bonae fidei » (c, 1731, 3°).

Iudex enim rem esse litigiosam declaravit; quare interrumpitur praescriptio brevioris et longioris temporis, cum suis privilegiis.

« Quapropter damnatus rem restituere, non solum rem ipsam, sed et rei fructus a litis contestatae tempore restituere tenetur et damna praeterea sarcire, si qua secuta fuerint » (c. 1731, 3°).

4. Ab hoc momento *initium* fit *instantiae* seu iudicium proprie constituitur (**c. 1732**).

5. Exceptiones *dilatoriae* iam regulariter proponi nequeunt; item exceptiones *peremptoriae litis finitae* (cc. 1628. 1629. Supra, n. 68).

6. *Actiones poenales*, quod ad effectus civiles, in heredes rei transeunt, i. e. pro rata bonorum eius parte quae ad eos pervenit, tenentur de damnis quae actione *civili*, occasione delicti vel quasi-delicti, intentatur.

151. - Post litis contestationem, iudex debet congruum tempus partibus constituere probationibus proponendis et explendis, quod potest, ad instantiam partium, intra congruos fines prorogare (c. 1731, 2°).

TITULUS VIII

DE LITIS INSTANTIA

(cc. 1732-1741)

Scriptores : LEGA, *De iudiciis*, I, n. 310, ss. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, T. VI, in h. cc. — NOVAL, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

152. - **Instantia** litis seu exercitium actionis incipit litis contestatione, ut numero superiore dictum est. In hoc titulo declaratur quomodo interrumpatur vel finiatur.

Iamvero *finis* instantiae *imponitur* (**c. 1732**) :

1° omnibus modis quibus ipsum iudicium finitur, v. g. sententia definitiva quae in rem iudicatam transierit.

2° Peremptione ex desidia partium.

Peremptio *instantiae* cum *actionis* exstinctione non est confundenda, de qua supra, n. 132, ss.

Etenim, etsi prior instantia agitari iam non potest, nihil impedit quin actio seu ius ad novam instantiam recurrendi persistat.

3° Renuntiatione.

153. - *De interruptione instantiae.*

Instantia interrumpitur :

1. Si causa nondum conclusa, i. e. quamdiu durat tempus ad probationes proponendas utile (cf. c. 1860, ss.), *pars* litigans *moriatur aut statum mutet*, v. g. religiosus e religione dimittatur aut cesset ab officio, v. g. curatoris, Rectoris, etc. cuius ratione agebat.

Interruptio cessat statim ac heres defuncti vel successor litem instaurat, aut in locum procuratoris vel curatoris alius nominatus fuerit aut partes per se ipsae agere se velle professae fuerint (c. 1735).

2. Controversia *de iure ad beneficium* morte aut renuntiatione alterutrius e litigantibus non interrumpitur ; nam promotor iustitiae eam prosequi debet, nisi Ordinarius, si beneficium sit liberae collationis, illud superstiti adiudicare voluerit (**cc. 1733-1735**).

154. - *De peremptione instantiae.*

1. Instantia *ipso iure* et *adversus omnes* exstinguitur seu perimitur *omissione* libera *omnis* actus processualis, post biennium in prima instantia, post annum in gradu appellationis (**cc. 1736. 1737**).

Instantiae veteri iure canonico eo sensu erant *perpetuae* quod partibus nullus terminus praefigebatur, quo elapso instantia perimeretur. Obligatio enim finem causae intra biennium imponendi, iudices directe afficiebat. (Cf. c. 1620. Supra n. 62.)

2. *De effectibus peremptionis.*

1° Peremptione causae exstinguuntur acta processus, non autem *acta causae*, i. e. quae non ad ritum seu formam processus, sed ad *meritum* causae pertinent, veluti probationes (cf. supra, n. 74); immo in alia instantia, quae inter easdem personas de eadem re intercedat, vim habere possunt (**c. 1738**).

2° Expensas quas partes usque ad diem peremptionis quaeque fecerunt, ipsae ferunt (**c. 1739**).

155. - *De renuntiatione.*

1. Renuntiatio est cessio sui iuris sive ad instantiam sive ad acta processus vel causae. Actor utrique iuri, reus actis tantummodo renuntiare potest idque in quolibet statu et gradu iudicii (**c. 1740**).

2. Renuntiatio ut *valeat*, debet :

a) peragi *in scriptis ;*

b) fieri personaliter vel vi mandati *specialis ;*

c) ab altera parte renuntiationis certiore facta saltem non impugnari ;

d) a iudice admitti (ibid.).

3. *Effectus* eius sunt iidem ac peremptionis, sed expensae actorum, ad quae est renuntiatum, a renuntiante solvendae sunt (**c. 1741**).

DE INSTRUCTIONE IUDICII

156. - Lite legitime contestata, si nullae exceptiones opponantur, ad instructionem causae procedi potest, quae proponendis probationibus, oralibus vel scriptis, et dirimendis causis incidentalibus constat. — Ex veteri iure statim post litem contestatam, iudex partibus *iuramentum calumniae* aut *malitiae* deferebat, de quo Codex non loquitur, nisi in processibus de Coelitum honoribus conferendis (c. 2037, § 4). Censendum est igitur abrogatum. Hoc iuramento asserebant partes se causam suscipere et prosequi velle bona fide. Cui accedebat *iuramentum credulitatis*, quo persuasionem de bono suo iure affirmabant.

Probationes e triplici fonte emanant, sc. ex attestationibus partium et aliarum personarum atque examine iudicis. *Attestationes* autem partium vel simplices sunt, quae confessionem (c. 1750, ss.) constituunt, vel sollemnes sunt seu iuramento firmantur. *Confessio* vero aut sponte fit aut interrogationibus iudicis respondet (c. 1742, ss.); iuramentum ab altera parte (*decisorium*, cc. 1834-1836) aut a iudice (*suppletorium vel aestimatorium*, cc. 1829-1833) petitur. Quae ab aliis atque a partibus declarantur, interrogationibus semper respondent. Nemo enim privata auctoritate iudicio se immiscere potest.

Asserta de factis quorum cognitio visu, auditu, etc. ad allegantes pervenit, *testimonia* sunt (cc. 1754-1791); *sententia* vero quam personae ob specialem scientiam vel peritiam a iudice rogatae proferant, *peritia* vocatur (cc. 1792-1805).

Praeterea iudex ipse causam interdum examinat personali accessu ad locum ubi res litigiosa iacet (cc. 1806-1811). — Dum omnes probationes istae in ipso processu acquiruntur, aliae ante ipsum iam exsistunt, sc. documenta (cc. 1812-1824) et praesumptiones (cc. 1825-1828). (1)

(1) *Monit. eccles.*, 1921, 117.

TITULUS IX

DE INTERROGATIONIBUS PARTIBUS IN IUDICIO FACIENDIS

(cc. 1742-1746)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, n. 499, ss. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, VI, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

157. - Ordo dicendi. Codex proponit primo quod ad partium interrogationes officium et potestatem iudicis (c. 1742) ; dein officium partium (cc. 1743. 1744) ; tum ius partium et coadiutorum iudicis (c. 1745) ; tandem obligationem partium se sistendi (c. 1746).

158. - *De facultate interrogandi partes* **(c. 1742).**

Ius canonicum non imponit iudici officium requirendi omnes probationes iuris, etiam privati, partium, neque ipsi facultatem negat interrogationibus suis ea inquirendi quae boni publici intersunt, sed media via incedit. Quare iudex « ad eruendam veritatem facti quod *publice* interest » *debet* partes interrogare ; in aliis casibus, *potest*, etiam ex officio, illustrationem probationis allatae interrogatione quaerere. Interrogationes post conclusionem in causa non admittuntur, nisi in tribus casibus : 1° Quando agitur de causis quae numquam transeunt in rem iudicatam, v. g. de vinculo matrimoniali ; 2° Si documenta nova tunc primum reperiuntur ; 3° Si testes tunc praesentantur qui ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt (Cf. c. 1861).

159. - *De obligatione respondendi.*

Obligatio respondendi iudici legitime interroganti oritur : 1° in iudicio contensioso, eo quod partes ut iura sua defendant ad ministerium iudicis recurrunt ;

2° eo quod iudex legitima potestate fungitur.

Quia tamen ab hodierno iure alienum est a reo sive confessionem proprii delicti sive responsa quibus convincatur exposcere, obligationi respondendi de suo delicto non subicitur **(c. 1743**, § 1**)**.

160. - *De iuramento praestando.*

« Iusiurandum de veritate dicenda in causis criminalibus nequit iudex accusato deferre ; in contentiosis, quotiens bonum publicum in causa est, debet illud a partibus exigere ; in aliis, potest pro sua prudentia » **(c. 1744)**.

Nemo se ipsum infamare tenetur et, nostris saltem diebus, dicta rei in iudicio criminali tamquam medium merae defensionis accipiuntur nullaque fides

eis per se est adhibenda. Quare ipsi iuramentum deferre esset minus humanum et iure canonico prohibetur. In contentiosis vero, quasi-contractus inter partes habetur et de iuribus agitur ; quare, ex iustitia, si boni privati id interest, si vero publici, ex iustitia vel obedientia, partes veritatem dicere debent.

161. - Interrogatio, etsi fit semper a iudice, simul tamen, contra atque in Codice civili quandoque habetur, ope *positionum* quas partes praestiterint, praeparari potest.

Nimirum ipsae partes possunt exarare asserta quae sub forma simplicis interrogationis a iudice alteri parti proponuntur ut obtineatur *confessio*, si admittantur, maior controversiae determinatio, si negentur (**c. 1745**. Coll. cc. 1773-1781).

Partes personaliter iudici se sistere debent, ita ut hoc canone procurator etiam cum mandato speciali excludi videatur. Illustres tamen vel impeditae personae vel in loco dissito commorantes, etsi personaliter, alibi tamen vel alii iudici respondent (**c. 1746**).

TITULUS X

DE PROBATIONIBUS

(cc. 1747-1836)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, n. 439, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, V, nn. 578-661. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

162. - Titulus X dividitur in octo capita, praemissa introductione, in qua principia quaedam generalia de probationum necessitate, effectu et admissione proponuntur (cc. 1747-1749). Ordo quo capita se excipiunt melius intellegetur cum notiones generales explicatae erunt.

INTRODUCTIO. NOTIONES ET PRINCIPIA GENERALIA

I. Notiones

163. - 1. **Probatio definitur** : *rei* dubiae et controversae per *legitima* argumenta *iudici* facta ostensio.

Cognitio iuris in iudice supponitur, sed, ut illud recte applicet, facta ipsi ostendenda sunt. Ne tamen probationum abusus fiat, non omnis probationum forma vel usus iure positivo admittitur. Sic v. g. quaedam personae a testando excluduntur ; post conclusionem in causa, iam novae probationes sine gravi causa non admittuntur, etc.

2. Dividuntur probationes praesertim :

1° Ratione *fontis* in directas et indirectas.

Directae eae sunt quae sua natura rem probant vel ex facto de se

ad probandum ordinato oriuntur. Huiusmodi sunt : confessio partium, testimonium, peritia, etc.

Indirectae proveniunt e factis quae per se ad probandum non ordinantur, sed quae ex legislatoris coniectura pro probatione habentur et praesumptiones vocantur, v. g. ex dilata exceptione conicitur reus ei renuntiasse.

De praesumptionibus, cf. infra n. 204, ss.

Ratione *obiecti* aliter intellegitur divisio probationis in directam et indirectam. Probatio *indirecta* intendit veritatem *facti* stabilire vel evertere ; *directa* intendit rectitudinem vel falsitatem *coniecturae ex facto* desumptae demonstrare.

2° Ratione *effectus*, in probationem **plenam** vel **semi-plenam**, prout rem evidenter ostendit aut aliquam facit fidem et potius opinionem suggerit.

Veteres canonistae de vi semiplenae vel quartae probationis et de modo alias aliis complendi satis subtiliter disseruerunt. Sapienter monet Lega (*o. c.*, n. 443) his regulis abstractis intellectum futuri iudicis formari posse, in iudicio vero vim coniecturae et additarum semiplenarum probationum regulis abstractis definiri non posse, sed ex adiunctis esse perpendendam. — De usu autem praesumptionum iuris ipse Codex normas tradit, quae iudici observandae sunt. Nec pro suo arbitrio, sed secundum *acta et probata* in iudicio sententiam proferre debet.

II. PRINCIPIA

164. - I. Non indigent probatione (c. **1747**) :

« 1° Facta notoria », sive facto sive iure.

Notorietas ea est quae pro delictis definitur c. 2197 : « Delictum est..... *notorium notorietate iuris*, post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ad normam c. 1750 ; *notorium notorietate facti*, si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit ; »

« 2° Quae ab ipsa lege praesumuntur. »

Id est enim commodi in praesumptione ut is cui favet ab onere probandi relevetur ; immo, si praesumptio *iuris et de iure* sit, adversarius non admittatur ad coniecturam legis directe evertendam.

« 3° Facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur ».

Si enim alter contra se aliquid legitime confessus fuerit seu in adiunctis quae mox proponentur, nulla melior probatio haberi potest.

165. - II. « Onus probandi incumbit ei qui asserit », actori ergo semper, reo autem si exceptionem movet, cum actori positivum assertum opponat. Sequitur necessario istud : « actore non probante, reus

absolvitur ». Nihil enim contra ipsum afferri potest, nisi quod actor demonstraverit (c. **1748**).

Casu quo praesumptio iuris favore alterutrius militet, non est vera exceptio, cum ipsa praesumptio species probationis sit.

Quia iudicis officium est curandi ut lites nec perpetuae nec longiores fiant, debet removere probationes quae videntur ad moras iudicio nectendas postulari, nisi *necessariae* videantur v. g. ob aliarum defectum (c. **1749**).

III. DIVISIO TITULI

166. - Iam divisio huius tituli facile perspici potest. Agit enim primo de probationibus *directis* et in iudicio *constituendis* (C. I, de confessione ; C. II, de testibus et attestationibus ; C. III, de peritis ; C. IV, de accessu et recognitione iudiciali) ; dein de probationibus *directis* iisdemque iudicio *praeconstitutis* (C. V, de probatione per instrumenta) ; tum de probationibus *indirectis* (C. VI, de praesumptionibus) ; tandem subnectitur C. VII, *de iuramento partium*, quod interdum defectum probationum supplet.

Caput I. - De confessione partium

167. - Proposita definitione confessionis iudicialis (c. 1750), Codex definit eius vim (c. 1751), dein condiciones eius retractationis (c. 1752). C. 1753 proponitur natura et usus confessionis extraiudicialis.

I. Confessio est asseveratio facti confitenti contrarii, adversario favorabilis. Distinguitur *iudicialis* et *extraiudicialis*, prouti fit coram iudice pro tribunali sedente aut extra iudicium, coram adversario vel aliis personis.

Confessio *regina probationum* iure romano et veteri iure canonico habebatur. Iura vero recentiora ei multo minus deferunt, quippe quae momentum nimis subiectivum habeat. Quapropter forte et ipse Codex eam ad fines satis arctos reduxit, cum ei vim probandi in causis in quibus ad bonum publicum interest non concedat et in pluribus casibus eam retractari permittat.

168. - II. 1. Confessio *iudicialis* est « assertio de aliquo facto, in scriptis aut oretenus ab una parte contra se et pro adversario coram iudice, sive sponte sive iudice interrogante peracta » (c. **1750**).

Interrogatio iudicis tota ab ipso proficiscitur vel, ope positionum actoris, rei, promotoris iustitiae vel defensoris vinculi proponitur. Iam diximus (n. 161) hunc esse maxime positionum finem, sc. confessionem adversarii provocare.

2. *De vi probandi* (c. **1751**).

Ut confessio iudicialis adversarium ab onere probandi relevet, tres condiciones requiruntur :

1° Ut « agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum ».

Quare confessio plenam probationem non faciet in causa matrimoniali, criminali, etc.

2° Ut confessio fiat libere.
3° Ut fiat considerate.

Itaque confessio eorum qui propter aetatis vel animi imbecillitatem agere non valent, etsi indicia praebere potest, probationi non aequiperatur. Confessio fieri potest a procuratore, vi mandati *specialis*.

3. *De retractatione confessionis* (c. **1752**).

« Pars, aliquid confessa in iudicio, non potest contra confessionem suam venire, nisi aut in continenti hoc faciat, aut probet confessionem ipsam vel carere condicionibus in c. 1750 expressis vel errori facti esse ascribendam » (c. 1752) (1).

Etsi principium erat in iure romano « In iure confessi pro iudicatis habentur » (l. 5. 6, *de re iudic.* ff. XLII, t. 2), in iure canonico praxis contraria invaluit. Atque primo licet confessionem revocare *in continenti*, i. e. sine intervallo, v. g. antequam in scriptis sit redacta vel confessus a conspectu iudicis recedat, immo paulo postea, si id iudex pro adiunctis personae aequum duxerit. Et tunc censetur confessus suum errorem statim agnovisse, quam probare non debet (REIFFENSTUEL, *Ius eccles. univ.*, II, 18, n. 77, ss.). Post intervallum vero, debet probari vel carentia condicionum quas c. **1750** requirit, sc. inconsideratio, fraus, metus ; aut error *facti*, cum ignorantia iuris nemini per se patrocinetur.

Impugnatio confessionis post intervallum fieri potest aut appellatione post sententiam definitivam aut exceptione ante illam.

Confessio facta coram iudice absolute incompetente *ratione obiecti aut gradus*, qui defectus sanari nequit, habetur extraiudicialis.

169. - III. *De confessione extraiudiciali* (c. **1753**).

1. Confessio extraiudicialis definitur : « confessio sive scriptis sive oretenus, ipsimet adversario aut aliis extra iudicium facta ».

Confessio facta in una instantia, in altera, inter easdem partes, *iudicialis*, quia acta causae vim retinent, adversus tertios *extraiudicialis* habetur.

2. *De eius effectu.* « ... eaque in iudicium deducta, iudicis est, perpensis omnibus rerum adiunctis, aestimare quanti facienda sit ».

Minus enim considerate facta saepe praesumi potest, nisi praesentia adversarii, determinatione debiti, eiusve causae, etc. serius et verus confitentis animus demonstretur.

(1) In editione media Codicis (an. 1919), in hoc canone c. 1760 mendose pro c. 1750 allegatur.

Caput II. - De testibus et attestationibus

170. - Cum partes de suo facto asserentes semper suspectae sint et iuramentum suppletorium medium extraordinarium veritatis cognoscendae praebeat, asserta eorum ad quos causa non pertinet et qui rem controversam noverunt, medium obvium ad veritatem indagandam constituunt. At testes quoque decipi vel ad veritatem celandam adduci possunt ; quare testimoniis probationes scriptae hodierno iure multum praeferuntur. Ius canonicum, etsi testimoniis fidem maiorem adhibet, quam pleraque iura civilia, maxima tamen cura omnes condiciones huius probationis formae definivit.

Post brevem introductionem de *usu* testimoniorum (cc. 1754. 1755), caput II hanc magni momenti materiam septem articulis absolvit (cc. 1756-1791).

INTRODUCTIO. DE USU ATTESTATIONUM

171. - 1. Probatio per attestationes a nulla causa excluditur, sed eius usus regulis satis minutis quas observandas iudex curabit, definitur, ut efficacia eius quam maxima evadat (**c. 1754**).

2. Testis debet esse rogatus ; in spontaneum enim facile suspicio favoris vel odii oritur. A iudice legitime interrogatus obligatione respondendi et veritatem pandendi tenetur. Illegitime interroganti, negatio responsi sive aperte sive qualibet formula quae ius testis protegat, opponi potest. Neque umquam de cognitis ex confessione sacramentali, *etiam de consensu paenitentis*, quaestiones ponere aut testimonium ferre licet. Praeterea ab obligatione respondendi solvuntur, qui loqui nequeant, nisi 1° res sub secreto commisso cognitas patefaciant ; aut 2° sibi vel suis proximis testimonio grave nocumentum afferant, ut infamiam, periculosas vexationes, etc.

3. Obligatio veritatem dicendi gravibus poenis sancitur, quibus ii quoque plectendi sunt qui testes ad mendacium vel reticentiam induxerint (**cc. 1755. 1743.** Cf. supra n. 168).

Art. I. - Quinam testes esse possint

172. - 1. Principium generale *de capacitate* testandi est omnes, etiam feminas, quas ius vetus plerumque excludebat, posse esse testes, nisi expresse a iure, sive naturali sive positivo, repellantur in omnibus aut in quibusdam causis (**c. 1756**).

2. In testibus requiruntur simul scientia, probitas et prompta veritatis dicendae voluntas. Quare repelli possunt vel debent *non idonei*, ut impuberes et mente debiles ; *suspecti*, qui fidem non merentur ob grave delictum vel ob gravem in partem inimicitiam ; *incapaces*.

Incapaces dicuntur quos ius relate ad certas personas vel res inhabiles ad respondendum fecit : 1° quia causa eorum interest, uti tutor in causa pupilli ; vel 2° ob bonum commune, ut confessarius, quod ad

audita in confessione vel occasione confessionis ; vel 3° quia maiorem affectus ad partes causam habent, ut consanguinei vel affines in omni gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis.

3. Dum incapaces penitus excluduntur, non idonei et suspecti ex decreto iudicis, et generatim iniurati, audiri possunt ; neque eorum attestatio vim indicii vel adminiculi probationis superabit (c. **1758**). Excipe si eorum testimonium unicus vel praecipuus sit fons veritatis detegendae, v. g. in causis de statu personarum (c. **1757**).

Praelati, Rectores ecclesiarum, clerici beneficiati a ferendo testimonio super negotio ecclesiae suae non sunt repellendi ; nisi enim agant tamquam actor vel procurator aut commodum directe ad ipsos, ad ecclesiam indirecte pertineat, non sunt testes in causa *sua*.

Iura enim ecclesiae ad ens morale eius, non ad personam Praelati, Rectoris, pertinent.

Art. II. - A quibus, quomodo et quot testes induci et qui excludi possint

173. - Praeter pauca verba, canones 1759-1766 nullam, ut videtur, difficultatem interpretationis facessunt. Iura et officia diversarum personarum sic breviter proponi possunt.

174. - I. *De partium iure et officio.*

1. Partes quarum interest lucem causae afferre, praesertim possunt *testes inducere* (c. **1759**, § 1) habiles et idoneos, nec nimio numero, ne moras inutiliter nectant. Quare intra diem peremptorium a iudice statutum, nomina et domicilium testium tribunali indicent ; praeterea articulos argumentorum super quibus testes sint interrogandi exhibeant (c. **1761**. De *positionibus*, cf. supra, n. 161). Nomina testium sibi invicem nota facere debent ante eorum examen aut, ob gravem causam, saltem ante testificationum publicationem (c. **1763**).

2. Postquam testem induxerunt, eius *examini renuntiare* (c. 1759, § 4) aut eius dicta reprobare licet, sed eius personam reprobare nequeunt « nisi nova reprobationis causa supervenerit » (c. **1764**, § 3), i. e. quae post inductionem non nota, sed orta fuerit (Cf. Noval, *o. c.*, in h. c.).

3. Adversarius potest postulare : 1° ut testis cui altera pars renuntiat examini subiciatur (c. 1759, § 4) ; 2° ut testis excludatur. Haec exclusio quae *reprobatio personae testis* dicitur, cum eius famae nocere possit et per se iuri alterius partis detrahat, requirit iustae exclusionis causae demonstrationem (c. 1764, § 2).

4. « Reprobatio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata fuerunt nec postea facta admittatur,

nisi a parte demonstretur vel saltem iuramento affirmetur defectum testis antea sibi notum non fuisse » (c. 1764, § 4).

175. - II. *De iure et officio promotoris iustitiae et defensoris vinculi.* Tam promotor quam defensor vinculi potest inducere testes, si id ad causam intersit. Quare id facient etiam in causis privatis in quibus boni publici intersit, v. g. ad probandam vinculi matrimonialis validitatem (c. **1759**, § 2).

176. - III. *De iudicis iure et officio.*

1. Iudex, quotiens bonum publicum agitur, testes ex officio inducere potest (c. 1759, § 3).

Nec istud ius ad causas criminales restringitur ; *in qua re*, nota partes iudicis in iure canonico magis quam in iure civili dilatari. Ipse textus mentionem causarum facit in quibus agitur de minoribus aliisve qui minoribus aequiperantur, sc. de personis moralibus (c. 100, § 3), cum eorum iura plenissime muniri ad mores publicos multum intersit.

Potest admittere vel repellere testem sponte comparentem (c. **1760**, § 1).

Potest et, si iusta causa sit, debet concedere adversario ut testis examini subiciatur, cui a se inducto altera pars renuntiare velit (c. 1759, § 4).

2. Debet excludere testes :

1° Qui spontanei compareant, moras nectendi vel iustitiae et veritati officiendi causa (c. **1760**, § 2) ;

2° Si numero inutiles vel nocivi iudicio futuri sint (c. **1762**) :

3° Quos adversarius ob iustam causam reprobandos demonstrabit (c. **1764**, § 2).

Si testis reprobetur, « iudex... reprobationis discussionem in finem litis reservet, nisi contra testem stet praesumptio iuris, aut defectus sit notorius vel statim ac facile probari possit vel postea probari nequeat » (c. 1764, § 5).

Difficultate non carent verba « in finem litis ». Iuxta Noval, *o. c.*, n. 479, R. II, haec verba significant « post examen testium..., sed non post testium (*sic*) evulgationem, quia, hac facta, cessat facultas reprobandi testis personam (c. 1783, § 1), de qua reprobatione hic agitur ». — At, ni fallimur, nova petitio reprobationis post evulgationem testificationum prohibetur, non vero ipsum exclusionis decretum nitens discussione motivorum quae ante examen testium pars proposuerat. Quare potius cum scriptore periodici *Monitore eccles.* 1921, p. 154, admitti potest ut examen motivorum reprobationis post evulgationem testimoniorum fiat ; tunc enim forte pars reprobationem iam non urgebit. Contradicunt, ratione non addita, Claeys-Simenon, *Manuale i. c.*, n. 1104.

3. Iudex debet testes decreto citare, quod eis intimatur iuxta normas in cc. 1712-1725 pro citatione rei statutas (Cf. supra, nn. 145-147).

177. - IV. *De iure et officio testium.*

1. Testes non vetantur sponte comparere, sed tunc ad testimonium ferendum iure non fruuntur, nisi pro prudenti iudicis arbitrio (c. 1760, § 1).

2. Testes non idonei, suspecti vel inutiles repelli possunt ; debent vero, si indebito fine compareant, vel ob iustam causam reprobentur, vel incapaces sint ad normam iuris (cc. 1760, § 2 ; 1762. 1764, § 2).

3. « Testis rite citatus parere debet aut causam suae absentiae iudici notam facere » (c. **1766**, § 1).

Contumax in comparendo vel *respondendo* puniri et, si damnum causaverit, mulctari potest (c. 1766, § 2).

Leges ad istud officium rite implendum cogere possunt et debent, quippe quod ad bonum publicum adeo intersit, etiam si in causis mere civilibus suscipiatur.

Art. III. - De iuramento testium

178. - 1. Testis ad triplex iusiurandum adigi potest vel debet sc. ad *iusiurandum dicendae veritatis*, seu de tota et sola veritate dicenda (c. **1767**, § 1), ad iusiurandum *de veritate dictorum* (c. 1768) et *de secreto servando* (c. 1769).

2. Testes *omnes* de gravi obligatione totam et solam veritatem dicendi a iudice commonendi sunt. Non idonei et suspecti plerumque iniurati audiuntur (c. 1758), dum alii *per se* ad iusiurandum veritatis adigendi sunt. Cum tamen solum partium privatum bonum agitur, earum consensu a iuramento eximi possunt. Nisi gravis causa obstet, ius est partibus earumve procuratoribus in causis contentiosis iuramento testium assistere. (c. 1767, § 2. Cf. cc. 1758. 1763).

Etsi testes totam veritatem se dicturos pollicentur, ad plura quam quae quaestiones iudicis exigunt proferenda non tenentur. Si partes vel procuratores iure suo usi non sunt, v. g. tardius veniendo, nihil inde contra validitatem instantiae excipere possunt. Inter causas quae boni publici intersunt nec renuntiationem ad iusiurandum permittunt, citandae sunt v. g. causae matrimoniales et beneficiales.

3. Iusiurandum *de veritate dictorum*, exigitur ex speciali personarum vel rerum causa pro prudenti iudicis arbitrio (c. **1768**).

Hoc iusiurandum in regulis S. Rotae, § 114, n. 2 praescriptum, haud omnino novum est ut patet inspicienti c. 5, *de testibus et attestationibus*, X, II, 20, contra atque AUGUSTINE, in h. c. asserere videtur (1).

4. Iusiurandum *de secreto servando*, sive ad tempus sive in perpetuum, ob iustas causas a testibus, ut ab aliis personis in iudicio partem habentibus, ad prudens iudicis arbitrium imponi potest (c. **1769**. Cf. c. 1623, § 3. Supra, n. 64).

---

(1) Cf. LEGA, *o. c.*, I, n. 188 nota 1.

Art. IV. - De testium examine

179. - Ordo dicendi. Articulus IV agit primo de examinis *loco* (c. 1770), dein de *personis* quae ei intersunt (cc. 1771. 1773), tum de eius *forma* (cc. 1773-1780), tandem de eius *iteratione* (c. 1781).

180. - I. *De loco examinis testium* **(c. 1770).**

Testes sunt examinandi in ipsa tribunalis civitate et aula, exceptis iis qui sequuntur :

1° Personae *in* maiore *dignitate constitutae,* quibus ius ecclesiasticum vel civile facultatem facit eligendi locum ubi audiantur. Sunt Cardinales, episcopi et varii pro variis regionibus magistratus vel personae praenobiles.

2° Qui *impedimento* physico, ut morbo, vel morali, ut condicione vitae, v. g. Moniales, detenti, domi suae audiendi sunt.

3° Qui a tribunalis loco *remoti,* ad ipsum sine gravi incommodo accedere nequeunt.

Ad eos audiendos dantur a iudice interrogationes et instructiones sive iudici loci, si in alia dioecesi versantur, sive propriori alicui sacerdoti idoneo a iudice delegato, si intra fines dioecesis commorantur.

Litterae iudici alius loci datae cum articulis ad interrogandum vocantur litterae *remissoriales seu rogatoriae.*

181. - II. *De personis assistentibus.*

1. Testes regulariter singuli, et remotis partibus vel aliis testibus, interrogandi sunt **(cc. 1771. 1772,** § 1).

Nullum itaque ius partibus proprium agnoscitur assistendi testium examini, cum cognitionem testimonii scripto exarati facile postea possint accipere et se contra illud tueri.

Iam ante Codicem ius Decretalium, quo ius assistendi concedebatur partibus, erat S. Sedis instructionibus mutatum. Cf. Lega, *o. c.*, nn. 488. 489.

2. Immo iudici condiciones certae collationis seu confrontationis praestituuntur. Nimirum ut collatio testium inter se vel cum parte admittatur, requiritur ut simul :

1° *Gravis* et *substantialis* dissensus exsistat, sive inter ipsos testes sive inter testem et partem.

2° Nullum aliud medium detur veritatem facilius investigandi.

3° Nullum « scandali vel dissidiorum periculum » inde sit pertimescendum (c. 1772, §§ 2. 3).

Haec enim incommoda ex collatione testium inter se et praesertim cum parte adversa facile oriri possunt.

182. - III. *De forma examinis.*

1. *Quisnam interroget.*

Uni *iudici* ius et officium est interrogandi sive per se sive per delegatum seu auditorem. Interrogationes, quas partes vel promotor iustitiae vel defensor vinculi addi velint, iudici vel eius delegato proponendae et á testibus deferendae sunt (c. **1773**).

2. *De materia examinis.*

Interrogationes aliae *generales* dicuntur, aliae *speciales.*

Testes interrogandi sunt primo generaliter de his quae eorum personam attinent, dein de necessitudine cum partibus ; tandem in specie de ipsa causa, tum quid sciant tum quomodo in eam cognitionem pervenerint (c. **1774**. Cf. quoque c. 1789).

3. *De forma interrogationum.*

Requiritur ut interrogationes sint breves, clarae, sincerae neve responsum suggerant vel quemquam offendant, ad causam dilucidandam utiles vel necessariae (c. **1775**).

Quare iurisperiti consulunt ut interrogationes sint satis generales, ita ut ex ipsis verbis testi responsum non suggeratur. Totum enim iudicis officium in eo est ut veritatem *inquirat*, non assertum *suggerat*.

« Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae », ut responsum, quo magis est spontaneum, eo quoque sit magis sincerum.

Poterit tamen iudex testem de his prudenter antea monere, quae, nisi praevisa fuerint, in memoriam revocari verisimiliter non possint (c. **1776**).

4. *De forma responsionum.*

Testimonium *oretenus* est faciendum ; excipiuntur tantum ea quae ad calculum vel ad rationes pertinent, pro quibus licebit annotationes consulere (c. **1777**).

183. - IV. *De munere actuarii.*

Actuarius toti testium examini interesse debet (c. 1773). In continenti responsa scripto redigit ipsis testis verbis, quantum licet, utendo, nisi iudex, attenta causae exiguitate, substantia responsorum sit contentus (c. **1778**). Praeterea in actis mentio fiat eorum omnium quae memoria digna videantur, ut de praestito vel remisso iureiurando, de interrogationibus a partibus vel ex officio additis, etc. (c. **1779**).

184. V. *De exitu examinis.*

1. Testi praelegenda sunt quae de eius testimonio scripta sunt, ut si necesse fuerit, illud augere vel mutare possit. De variatione eius, ut patet, ratio habebitur, ubi de fide eius erit iudicandum.

Statim ac testis scripto testimonio contentus est, illud subscribit ; idem, post ipsum, faciunt iudex et notarius (c. **1780**).

2. Novum examen testis, etiam de *iisdem* articulis, admitti potest, sive parte postulante sive, in causis quoque privatis, ex officio, « si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum » (**c. 1781**).

Collusio est pactum iniustum cum adversa parte initum ; **corruptela** autem, influxus iniustus ab alterutra ex partibus in testem exercitus. — Novum examen ante evulgationem actorum est faciendum, quia tunc minus est periculum collusionis vel corruptelae, cum maior supersit utrique parti spes alteram vincendi.

Art. V. - De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione

185. - 1. Evulgatio *testimoniorum* est communicatio eorum cum parte adversa vel tertiis facta. Quotiens partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, cum facta non sunt notoria, evulgatio haec ad defensionem est utilis, immo quandoque necessaria (**c. 1782**, § 1).

Evulgatio testimoniorum, dum sub veteri iure dicebatur *de substantialibus processus*, ita ut eius negatio, etsi *iudicio* defectum substantialem non afferret, appellationi locum daret, canone 1782 non stricte praecipitur, sed permittitur.

Opportunum eius *tempus* est « statim post absolutum omnium testium examen », sed pro prudenti iudicis arbitrio differri potest in tempus quo cetera probationum capitula, v. g. examen documentorum, peritia, etc. fuerint absoluta (c. 1782, § 2).

2. *De reprobatione testimonii.*

Iam vidimus reprobationem *personae testis* intra triduum ab eius inductione esse faciendam (cf. supra, n. 174, 4) ; neque post evulgationem testimoniorum admittitur, nisi pars probet vel iuramento asserat defectum testis sibi antea notum non fuisse. — Sed reprobatio *testimonii* nunc fieri licet sive ratione *modi*, quo examen peractum est, sive ratione ipsius *attestationis* (**c. 1783**).

In priore casu exceptio movetur ob neglectas iuris regulas in forma examinis ; in altero, ob falsitatem, variationem, obscuritatem testimoniorum.

Iudicis est decernere utrum reprobatio reicienda vel admittenda sit : quo casu brevem terminum ad probandam reprobationem praestituet. Quomodo tunc procedendum sit, indicabitur infra, n. 212, ss., ubi de causis incidentibus (**cc. 1784. 1785**).

186. - 3. *De novo testium examine.*

Regula generalis est super iisdem articulis testes iam auditos iterum non adduci, etiam in gradu appellationis, neque novos admitti.

Codex exceptiones quasdam e veteri iure desumit (**c. 1786**), sc. :

1° In causis quae numquam in rem iudicatam transeunt, ut sunt matrimoniales et criminales. *Gravis* tunc ratio requiritur et sufficit.

2° In aliis causis, si *gravissima* causa sit.

V. g. c. 35 *de testibus et attest.*, X, II, 20 « Statuitur... quod si ex prioribus publicatis attestationibus resultet aliquod facti adiunctum a testibus unius partis comprobatum, vel saltem in medium adductum, quod a parte adversa praevideri non potuit, quaeque nunc postulat idem impugnare, iudex admittat testes super illo articulo, quando haec facti qualitas valde influit ad veritatem facti detegendam » (LEGA, *o. c.*, n. 496).

Quia tamen res est plena incommodis, utpote quae subornationi vel vexationibus iniustis locum dare possit, iterata auditio speciali iudicis decreto est definienda neque admittitur nisi omnibus mediis ad supradicta pericula removenda adhibitis, « altera parte audita, et requisito voto promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, si hi iudicio intersint » (c. 1786).

Art. VI. - De indemnitate testium

187. - Testes pro impensis itineris et commorationis et pro interrupto negotio vel opere ius ad aequam compensationem habent, quae a iudice, auditis parte, teste et, si casus ferat, peritis, determinatur (**c. 1787**).

Solutio huius compensationis secura fit deposita a partibus, ante citationem suorum testium, quantitate pecuniae quam iudex definiverit. Ex omissione huius praestationis praesumptio iuris oritur partem examini testium renuntiasse (**c. 1788**).

Art. VII. - De testimoniorum fide

188. - 1. De modo fidem testimoniorum aestimandi, etsi regulae quaedam generales dari possunt, quas considerasse iudici utile fuerit, res tamen fere tota a iudicis prudentia et ex singulorum temporum et causarum adiunctis pendet. Quare Codex sapienter paucis regulis et principiis proponendis contentus est.

2. Imprimis *qualitas personae* est examinanda ; dein *fons* scientiae ; tum *constantia* in dictis ; tandem *numerus* testimoniorum. Praesertim ad fontem scientiae est attendendum (**c. 1789**).

Testes enim alii testificantur de scientia propria, qui factum ipsi viderunt *(testes de visu)* aut audierunt *(testes de auditu proprio)* ; alii, *de credulitate*, quia ex facto quodam viso vel audito aliud coniecerunt, ut si reum aufugientem cum viderint, eum furti reum coniecerint quod in domo erat perpetratum ; alii *de fama* referunt, qui ex pervulgata populi opinione rem noverunt aut *de auditu ab aliis*, qui facti narrationem ab uno vel pluribus audiverunt.

3. Etiam si testimonia inter se discrepent, simul vera esse possunt, saltem quod ad substantialia et interdum, re melius perspecta, aliud alio compleri videbitur (**c. 1790**).

Testimonia quae diversis assertis alia aliis confirmantur, **adminiculativa**

vocantur, ut si de substantia facti constet ex iis quae unus testis *vidit*, alius *audivit*.

189. - *De numero testium* (**c. 1791**).

1. Unius testis depositionem generatim plenam fidem non facere est principium iuris, e iure romano desumptum. Merito tamen Lega (*o. c.* n. 492) ait in causa minoris momenti aut si nullum adsit tertii damnum et alter testis haberi non possit, ab hac regula iudicem interdum recedere posse, v. g. si vir omni fide dignus testetur aliquem esse baptizatum, vel recepisse ordines.

Exceptio ipso iure (c. 1791) statuitur de teste *qualificato*, i. e. qui in officio publico et iurato constituitur, v. g. Ordinarius, episcopus, notarius, etc., si de rebus ex officio gestis deponat, ut puta si parochus delegationem a se datam ad matrimonium benedicendum asserat ; si Cancellarius amissum incardinationis documentum a se exaratum affirmet ; etc.

Adde privilegium Cardinalium in iure contentum, quo « fidem faciunt in foro externo de oraculo pontificio testantes » (c. 239, § 1, 17°).

2. Si duae vel tres personae idoneae, omni suspicione maiores, capaces testandi, sub iuramenti fide de aliqua re vel facto ex scientia propria in iudicio testentur et inter se cohaereant, plena probatio habetur. Potest tamen iudex ob negotii gravitatem vel ob dubia de assertis pleniorem probationem requirere.

Ipso iure plures testes in quibusdam causis exiguntur, v. g. in causis impotentiae vel inconsummationis matrimonii, si testibus dirimenda est (Cf. c. 1975).

Caput III. - De peritis

190. - **Ordo dicendi.** Caput III, supposita necessitate peritorum (c. 1792), definit normas ad quas primo eligi (cc. 1793. 1795. 1796), dein munus implere (cc. 1794. 1797-1799), praesertim in scriptis examinandis (c. 1800) debeant ; tum quomodo sententiam proponant (cc. 1801. 1802) ; quis fiat sententiae usus (cc. 1803. 1804), tandem quaenam pro opere compensatio tradenda sit (c. 1805).

191. - Periti sunt testes qui, innixi principiis seu regulis scientiae vel artis propriae, de facti exsistentia, natura, causa, effectibus, sententiam promunt.

Adhibendi sunt in multis causis in quibus a factis per attestationes notis ad ignota quaedam ope ratiocinii scientifici deveniendum est. Citari possunt novi operis nunciatio, controversiae de finibus territorii, causae de authentia cuiusdam scripti, de impotentia vel de matrimonii inconsummatione, etc. (**c. 1792**).

192. - *De electione peritorum.*

Iudex propria auctoritate peritos designat, sive eos ex officio eligat

sive in causis privatis ad postulationem partium accedat. Numerus tamen peritorum interdum lege definitur, v. g. duorum ad inspectionem corporalem faciendam (c. 1793. Cf. c. 1979).

In peritis, praeter scientiam ordinariam et probitatem, specialis scientia vel peritia requiritur. Quare excluduntur non idonei, suspecti et incapaces ad normam cc. 1757. 1758 (c. 1795) et a partibus recusari possunt ob easdem causas ac testes reprobantur (c. 1796).

193. - *De peritorum officio ac munere.*

1. Sicut testes, periti totam et solam *veritatem dicere* debent et mendaces puniendi sunt (c. 1794. Cf. c. 1743, § 3).

2. Ad suscipiendum munus, contra ac testes, *non coguntur*, sed praestito iureiurando de munere fideliter implendo, istud suscepisse censentur. Quare iam damnorum tenebuntur, si munus suum tempestive non perfecerint vel omnino defugerint (c. 1798).

Partibus ius agnoscitur cum praestationi iuramenti, tum exsecutioni muneris periti assistendi (c. 1797).

3. Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, decreto definiat quid agere, intra quodnam tempus examen perficere et votum suam praesentare debeant (c. 1799).

4. *De peritia scriptorum.*

Ad probandam scripti authentiam, normae hic praestituuntur quae explicatione non indigent, sc. peritis offerri debent scripta originis *certae*, quibus dubia suo auctori tribuere ex collatione possint.

Quare praebentur peritis scripta de quorum genuitate nulla est controversia ; vel si de hac partes dissentiant, scriptorum exemplaria, quae v. g. fidem publicam fecerunt ; aut adigitur persona, de cuius scriptura dubia moventur, ad quaedam suae scripturae specimina coram iudice eiusve delegato danda. Et notandum recusationem scribendi, nisi iusta causa probetur, pro confessione haberi (c. 1800).

194. - *De voto seu sententia peritorum.*

1. Votum peritorum *in scriptis* ab iis vel profertur vel a notario statim redactum subsignatur. Perspicue ab ipsis indicanda sunt tum via qua ad sententiam pervenerunt, tum argumenta quibus potissimum nititur (c. 1801).

2. Vota singulatim proferri regula generalis est et quandoque, v. g. si de inspectione corporali agitur, lege praecipitur (c. 1981) ; quod ni fiat, liberum erit iudici iubere pro rei opportunitate, unam ab omnibus formulam subscribi ; quod si fiat, discrimina sententiarum sedulo annotanda erunt (c. 1802).

195. - *De vi sententiae peritorum.*

1. Iudici licet eorum suffragia peritiori submittere vel de eadem re

alios peritos arcessere, sive priores inter se discrepent, sive ob quamlibet iustam causam vis eorum suffragii infirmetur, velut si suspecti facti sint (c. **1803**).

2. Porro iudici sententia pro sua persuasione est ferenda neque iudicio peritorum tenetur, etsi debet indicare quare eorum votum admiserit aut reiecerit (c. **1804**).

Hoc canone quo instructiones anteriores S. Sedis (excepta instructione Austriaca, § 228) innovantur, Codex ad normas iuris civilis plurium nationum, v. g. Galliae (Cod. proc. a. 323), Italiae (Cod. proc. a. 270) accedit.

196. - *De compensatione pro munere.*

Cum munus peritorum voluntarium sit, ad expensarum et operis compensationem ius habent, quae a iudice iuxta loci consuetudinem definienda est (c. **1805**).

Caput. IV. - De accessu et recognitione iudiciali

197. - 1. Potest esse valde utile vel necessarium, ut iudex naturam rerum de quibus est controversia, v. g. nunciatum novum opus, fines regendos, etc. inspectione oculata recognoscat. Quare lex hanc facultatem ipsi semper concessit. Sed cum istud probationum complementum potius extraordinarium sit, illud nec partibus rogantibus concedere, nec ipse, nisi necessarium videatur, decernere debet. Quo utilius vero peragatur, ea quae in accessu praestanda sint, decreto in antecessum determinabit (c. **1806**).

2. Recognitio delegato, litteris rogatoriis munito, committi potest (c. **1807**).

De litteris rogatoriis, cf. n. 180.

3. Iudex potest quoque in ipsa recognitione adhibere peritos (c. **1808**), partes vel earum advocatos, nisi iurgia vel perturbationes sint timenda, admittere (c. **1809**) et testes, sive novos sive iam excussos, modo testificationes nondum publici iuris factae fuerint, examini subicere (c. **1810**).

In criminalibus accessus secretus sit oportet, ut ex c. 1943 facile eruitur.

4. De accessu ex scripto notarii semper constare debet et subscribenda sunt a iudice et a notario instrumenta peractae recognitionis, quibus referuntur dies et hora recognitionis, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta, aut peracta aut a iudice decreta sint (c. **1811**).

Caput V. - De probatione per instrumenta

Cf. Lega, *o. c.*, I, n. 520, ss. — Wernz, V, n. 625, ss.

INTRODUCTIO. NOTIO INSTRUMENTORUM

198. - Codex, postquam de probationibus in iudicio constituendis egit, ad probationes ipsi iudicio praeconstitutas transit, quae sunt instrumenta (cap. V) et praesumptiones (cap. VI).

Instrumentum, etsi lato sensu designat « omnia quibus causa instrui potest ; et ideo tam testimonia quam personae instrumentorum loco habentur » (L. 1, ff. h. t.), stricto sensu *definiri* potest : « Scriptura qua probatio alicuius rei praeberi potest ».

Veteres definiebant instrumentum « scripturam quae fit ad probationem alicuius rei in futurum faciendam » (Reiffenstuel, *Ius can. univ.* II, t. 22, n. 4). Sed Codex, c. 1813, § 3, inter instrumenta utique privata simplices litteras, etiam ob diversum finem scriptas, recenset. — Porro, contra ac Lega (*o. c.*, n. 522) suo tempore asserere poterat, iam non est verum scripturam in iure canonico esse quandam sollemnitatem ad *probationem* tantum actus, non vero ad eius *substantiam*. Decem iam annis ante Codicem, scriptura facta est condicio *valoris* promissionis sponsalitiae (Decr. *S. C. C. Ne temere*, 2 aug. 1907) ; nunc Codex ius civile hodiernum relate ad contractum canonizavit (c. 1529) ; iure autem isto scriptura ad substantiam non nullorum actuum requiritur. — Quare nos fugit vis asserti contrarii in Noval, *o. c.*, n. 542.

199. - *Divisio.* Instrumenta dividuntur :

1. Ratione *auctoris* et auctoritatis in *publica* et *privata*.

Publica sunt quae manu publica seu a persona in officio publico constituta qua tali, et si requiratur, sub forma lege determinata, confecta sunt ; **privata,** quae a persona privata (manu privata) sub quavis forma, nisi certa iure exigatur, ad probandum apta, scripta sunt.

Instrumenta publica subdividuntur in *ecclesiastica* et *civilia,* prout a persona ecclesiastica vel civili, qua tali, confecta sunt.

2. Ratione *originis* in *authentica* et *exemplaria.*

Authentica seu *originalia* vocantur quae ab ipso instrumenti auctore procedunt, exemplaria quae ex ipso originali immediate vel mediate transsumpta sunt. Vocantur quoque apud canonistas medii aevi : *copiae.*

Authenticum dicitur quoque documentum quod per se fidem facit. Qui sensus in hoc Codicis capite adhibetur, cum iubeat produci « originalia aut in exemplari authentico... », i. e. in exemplari quod sicut originale fidem faciat, quia v. g. conforme originali demonstratur manu personae publicae vel publico sigillo.

3. Ratione *sinceritatis* in *genuina* et *apocrypha.*

Genuinum id re vera est quod dicitur, seu originale seu fideliter transsumptum exemplar ; apocryphum vocatur copia quae pro originali traditur vel immutatum exemplar.

4. Ratione *formae* in *legitima* et *informia*, prout sollemnitates ad validitatem lege praescriptae servatae vel omissae sunt.

5. Caput V duobus articulis exponit quaenam sit natura instrumentorum et quamnam fidem faciant (cc. 1812-1818) ; quaenam forma, a quibusnam ac cuiusnam actionis ope exhibenda sint (cc. 1819-1824).

Art. I. - De natura et fide instrumentorum

200. - 1. Instrumenta seu documenta, tum publica tum privata « in quolibet iudicii genere », i. e. criminali et contentioso, in possessorio et in petitorio, etc. tamquam medium probationis admittuntur (**c. 1812**).

2. *Instrumenta ecclesiastica, civilia, privata.*

Praecipua documenta *ecclesiastica* publica ea sunt quae de actione sacra, v. g. de sacra ordinatione, etc. vel actu ecclesiastico, v. g. de inscriptione baptismi, matrimonii, etc. fidem faciunt et a persona idonea fidei in hac re faciendae, v. g. Ordinario, parocho, Superiore maiore religionis exemptae confecta sunt.

Personae ecclesiasticae quae praesertim documenta publica faciunt, sunt S. Pontifex, Officiales quidam SS. Congregationum et tribunalium, Ordinarii locorum, notarii, Superiores religiosi et parochi. Praecipua vero documenta ecclesiastica sunt acta S. Sedis, acta iudicialia, inscriptiones recepti sacramenti vel initi contractus.

Publica documenta habentur ipsae inscriptiones factae in regestis i. e. in actis tabulae publicae, attestationes de iisdem a competente Superiore scriptae et exemplaria authentica, i. e. sigillo vel testimonio competentis personae ecclesiasticae recognita.

3. « Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur » (**c. 1813**, § 2).

Iisdem fere condicionibus subiciuntur ac documenta ecclesiastica suntque pleraeque inscriptiones de actionibus suis a magistratibus vel officialibus factae vel acta a notariis confecta.

4. « Litterae, contractus, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta, privatorum documentorum numero habentur » (c. 1813, § 3).

Iam (n. 198) diximus his verbis ampliari definitionem quam antea de instrumento tradebant.

201. - 1. Instrumenta publica privatis quod ad auctoritatem et fidem dupliciter excellent :

1° Documenta publica genuina *praesumuntur* (**c. 1814**) ; privata a parte sunt agnoscenda vel a iudice recognoscenda, ut fidem faciant.

Genuina dicuntur quae ab eo confecta sunt cui, tamquam auctori, tribuuntur. — *Praesumptio iuris* est tantum, quam tamen non evellunt nisi evidentia argumenta.

« Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad instar causae principalis » (c. 1815).

2° Documenta publica plenam fidem faciunt *adversus omnes*, « de iis quae directe et principaliter in iisdem affirmantur » (c. 1816).

Persona enim publica interdum de quibusdam tantum lege determinatis negotiis fidem facere potest et interponit suam auctoritatem unice de iis quae directe et principaliter asserit, v. g. notario asserenti partes coram se comparuisse et declaravisse se contractum emptionis-venditionis inire, fides est adhibenda. Utrum re vera emerit altera pars, altera vendiderit necne, non est notarii testari.

Documenta privata probant per se « adversus *auctorem* », aut, si alter scripsit, alter subsignavit, « adversus *subscriptorem* et causam ab eis habentes ». — Adversus extraneos per se, i. e. ratione instrumenti privati, non probant, sed ad normas testimoniorum iudicanda sunt.

Probant autem contra priores personas « perinde ac confessio extra iudicium facta » (c. 1817) cuius vis a iudice, omnibus adiunctis perpensis, est prudenter aestimanda.

« Causam ab aliquo habere » dicitur qui ius suum ab alio tenet, iuri alius succedit, v. g. heredes.

2. De vitiis instrumentorum materialibus, ut est abrasio textus, vel formalibus, ut est interpolatio vel mutatio genuini textus, iudicis est aestimare an et quantum valorem instrumenti minuant vel tollant (c. 1818).

Art. II. - De productione instrumentorum et actione ad exhibendum

202. - I. *De producendis documentis.*

1. Documentum, ut vim probandi in iudicio habeat, duplici condicioni satisfacere debet, sc. 1° ut sit originale vel exemplar authenticum; 2° ut penes tribunalis cancellariam seu apud eius notarium deponatur, ut a iudice et ab adversario examinari possit. Excipiuntur documenta publici iuris ceu leges rite promulgatae (cc. 1819. 1820).

2. Ad solvendum dubium de authentia exemplaris, iudex potest exigere documentum originale aut saltem collationem, praesentibus partibus, sive totius sive articuli exemplaris cum originali (c. 1821).

203. - II. *De actione ad exhibendum.*

Actio ad exhibendum est actio quo detentor rei circa quam alius actionem instituere velit, cogitur eam exhibere seu praesentem facere. Exemplo sit actio

concessa legatario, qui inter varias res eligere potest, ut is qui illas res detinet omnes exhibeat et sic permittat actionem ad legatum obtinendum. Praeter *actionem ad exhibendum*, erant quoque in iure romano *interdicta ad exhibendum* v. g. documentum, quo ius alicuius personae statim appareret v. g. testamentum quo aliquis quaedam bona obtinebat. In cc. 1823 et 1824 de nulla *actione* sermo est, sed tantum de facultate concessa litigantibus ut ab adversario exhibitionem documenti utilis postulent. Iudex *decernit* quaenam sint exhibenda. Negatio exhibitionis locum dare potest causae incidenti quam iudex *sententia interlocutoria*, i. e. non definitiva solvit. Quare verba « *actio ad exhibendum* » in titulo articuli sensu lato et improprio adhibentur.

1. Quilibet e litigantibus potest exhibitionem postulare documentorum quae utrique parti sunt communia, v. g. quia hereditate utrique obvenerunt, aut quae de communi negotio agunt v. g. de contractu inter partes inito (**c. 1822**),

Praeterea notat Noval (*o. c.*, n. 556) ex Reifenstuel, (II, tit. 22, n. 8) reo ius esse postulandi ab actore documenta etiam non communia quibus sive actor actionem, sive ipse reus exceptionem fundat, dum actor a reo exigere nequit, nisi documenta quibus ille exceptionem probat.

2. Nemo tamen cogitur documentum exhibere quod secretum est vel cuius exhibitio exhibenti vel eius proximis infamiam, periculosas vexationes aliudve malum gravissimum causare potest (**c. 1823**).

3. Negatio exhibitionis potest dare locum *causae incidenti* (cf. infra n. 212, ss.). Iudicis erit « altera parte postulante, auditoque, si opus sit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, interlocutoria sententia statuere, an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit » (**c. 1824**). Eiusdem est aestimare quanti facienda sit recusatio parendi, v. g. utrum necne renuens pro confesso sit habendus (ibid.).

Caput VI. - De praesumptionibus

204. - 1. Mira brevitate Codex definitionem et divisiones (c. 1825) praesumptionum, vim praesumptionum iuris (cc. 1826. 1827) et usum praesumptionum hominis (c. 1828) proponit.

2. « Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura » (**c. 1825**, § 1), seu iudicium probabile de veritate rei incertae desumptum plerumque ex pluribus factis vel indiciis ; *quare* titulus est de praesumptionibus, non de praesumptione.

Praesumptio « alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur », ita ut ipse legislator pro vero et probato habeat quod ex certis factis est verisimilius ; « alia hominis, quae a iudice conicitur » (c. 1825, § 1), id est quam legislator prudenti iudicis deductioni permittit.

A praesumptione fictio iuris, quam vocant, sedulo distinguenda est. Definitur autem **fictio iuris** : « legis adversus veritatem in re possibili ac ex iusta causa dispositio » (Alciatus, *Parergon iuris*, VI, cap. 1).

Legislator, dum in praesumptione ex signis quibusdam veritatem conicit, in fictione, non vera pro veris ex quadam aequitate habet. V. g. lex canonicis quibusdam, qui a choro legitime absunt, fructus praebendae concedit ac si praesentes essent (cf. c. 420) ; filios qui extra matrimonium concepti vel nati sunt, legitimos declarat vel legitimis assimulat, postquam parentes matrimonium inierunt (cf. cc. 1114. 1116). *Fictione iuris*, ut aiunt, legislator eos tamquam praesentes habet, qui adesse *possent* et ex *iusta causa* absunt ; eos tamquam legitimos habet, qui legitime concipi vel nasci potuissent et ex subsequente parentum matrimonio vel ob eorum errorem digni sunt quibus lex istud ius concedat. Tales leges *fictione iuris fundari* dicuntur.

At mentio fictionis revera inutilis est, nisi forte tamquam brevior et facilior legis enuntiatio ; praeterea nihil explicat. In casibus allegatis aliisque similibus, legislator, quin falsum pro vero assumat aut quidquam fingat, iura quaedam concedit ex aequitate iis quibus deest titulus quo haec iura aliis competunt. Atque absentia omnis fictionis interdum, v. g. ex verbis c. 420, satis apparet : « *Ita* **excusantur** a choro *ut percipiant* fructus praebendae ac distributiones quotidianas : 1°.... » etc.

3. « Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure » (c. **1825**, § 2), prout maiorem minoremve vim probativam lex ei tribuit.

Praesumptione iuris simpliciter censentur sui compotes impuberes, septennio expleto (c. 88, § 3) ; pater prolis in iustis nuptiis natae, is qui matris maritus est (c. 1115, § 1) ; puberes cognoscere essentiam matrimonii (c. 1082, § 2) ; etc. — Praesumptione iuris et de iure « res iudicata habetur vera et iusta » (c. 1904, § 1).

205. - *De vi praesumptionum iuris.*

1. Omnis praesumptio iuris eum cui favet *ab onere probandi liberat*, quod in partem adversam reicitur (c. **1827**).

Ut quis beneficio praesumptionis iuris utatur, satis est ut facta quibus praesumptio nititur probet.

2. Praesumptio eam vim habet, nisi contrarium probetur. Etenim « contra *praesumptionem iuris simpliciter* admittitur probatio tum directa tum indirecta ; » (c. **1826**).

Praesumptio iuris evelli potest probando defectum consequentiae, i. e. ex facto concesso ad veritatem alius facti falso ratiocinio procedi (*probatio directa*) ; aut probando falsitatem facti, cui praesumptio nititur (*probatio indirecta*). Ut vir v. g. praesumptionem paternitatis relate ad puerum evertat (c. 1115, § 1), potest probare vel se maritum matris non esse, quo facto praesumptio nititur, vel se ultra decem menses nullum cum matre pueri commercium carnale potuisse habere, contra ipsam iuris praesumptionem.

Quaedam praesumptiones iuris *violentae* dicuntur, quia probatio in contrarium manifestissimas rationes requirit. Qui casus est praesumptae paternitatis in marito matris (c. 1115, § 1).

3. « Contra *praesumptionem iuris et de iure*, (admittitur) tantum indirecta (probatio), hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum » (c. 1826).

Praesumptio iuris et de iure permittit ei cui favet repellere omnem actionem exceptione *peremptoria.* Probatio autem indirecta non ipsam praesumptionem aggreditur, sed eius suppositum seu facta quibus nititur. — Contra praesumptionem iuris et de iure non admittitur appellatio neque iuramentum.

Potest enim boni publici interesse ut legislator prohibeat quominus aliquis, admisso v. g. aliquo facto inhonesto, eius consectaria naturalia vitare velit. Sic sub iure Decretalium, concumbens cum ea, quam *sub condicione* desponsaverat, praesumebatur condicionem remisisse et absolute in matrimonium consensisse (c. 6, *de condit. appos.*, X, IV, 5). Prohibitio probationis in hoc tandem recidebat ut cogeretur condicioni renuntiare in poenam concubitus, si re vera non renuntiasset.

Ubi tamen *notoria* est falsitas huius praesumptionis, haec notorietas a iudice admittenda est neque probatione indiget ; nam contra manifestam veritatem ferre sententiam non licet. Praesumptio iuris et de iure destrui quoque potest confessione eius *cui favet.* At in hoc casu, de probatione contraria non agitur (cf. Schmalzgrueber, *Ius eccl. univ.* II, t. XXIII, n. 12, ss).

206. *De praesumptione hominis.*

Cum pronum sit homines ex praesumptione errare, neque sententiae iudiciales sola probabilitate, quantum fieri potest, niti debeant, Codex iudicem monet ne quidquam coniciat « nisi ex facto certo et determinato quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat » (c. 1828).

Minus restringunt iudicis libertatem iura civilia quae requirunt tantum « complexum praesumptionum gravium, certarum et concordantium ». Abstractas enim et minus determinatas praesumptiones adhiberi sinunt.

Praesumptio hominis, nisi gravissima sit vel violenta, onus probandi in adversam partem non reicit et impeti potest, sive directe sive indirecte.

Caput VII. - De iureiurando partium

Cf. Lega, *o. c.*, I, n. 460. — Wernz, *o. c.*, V, n. 637.

207. - Iuramentum definitur « invocatio Nominis divini in testem veritatis » (c. 1316, § 1). Hic agitur de iuramento iudiciali ad probationem in iudicio supplendam adhibito. Iuramentum istud assertorium est.

Quod Codex iuramentum tamquam extraordinarium probationis medium habeat vel ex eo deduci potest quod post omnes alias probationes istam inducit, dum per se de iuramento in casu de interrogationibus loquendum erat. Idem confirmatur ex c. 1830, ss. quibus iuramenti usus finibus satis angustis definitur. De divisionibus iuramenti cf. *Epitome*, II, 650.

Iusiurandum *iudiciale* prout est species probationis, dividitur in *suppletorium, litis aestimatorium et decisorium.*

Iuramentum *purgatorium* quo reus inquisitus ad probandam suam innocentiam admittebatur, iam antehac in desuetudinem abierat et nunc certo e iure tollitur, cum iudex c. 1830, § 2 prohibeatur deferre iuramentum suppletorium in causis *criminalibus.*

I. DE IUREIURANDO SUPPLETORIO

208. - 1. **Definitio.** Iuramentum suppletorium illud est quod, « si habeatur semiplena tantum probatio nec alia probationis adiumenta iam supersint », a iudice uni ex partibus defertur (c. **1829**).

Quia tum actor, tum etiam reus, positive excipiens, sua asserta probare debent, iudex ad iuramentum deferendum recurrere non debet, nisi probationes deficiant, illudque medium appareat aptum ad consulendum bono litigantium et ad liti finem imponendam. Differt a iuramento extraiudiciali quia necessarium, non voluntarium est, etsi contra ac LEGA, *o. c.*, n. 467 sentiebat, alteri parti referri potest.

Differt ab aliis iuramentis iudicialibus 1° quia non potest deferri ubi res est satis probata aut nihil probatum est ; 2° quia a iudice non ex conventione partium defertur, etsi ad instantiam partis vel promotoris iustitiae vel defensoris vinculi deferri potest (c. **1830**, § 3).

2. *De usu iurisiurandi suppletorii.*

1° De *causis* in quibus adhiberi potest. *a*) Ipsi maxime locus est in causis *de statu personarum*, v. g. ad probandum vinculum matrimoniale, sacrae ordinationis vel professionis religiosae (c. 1830, § 1).

b) Excluditur ab omnibus causis *criminalibus* et ab iis causis *contentiosis*, in quibus eius obiectum nimii momenti foret vel factum non esset proprium personae cui deferendum est (ibid., § 2).

His praescriptionibus legislator amovere vult periculum peierandi vel iuramenti ex formula nimis incerta praestiti.

2° *Quis eum deferat ?* Deferri potest *a solo iudice*, at non ex officio tantum, sed « ad instantiam alterius partis vel promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, si iudicio intersint » (ibid., § 3). Iudex solus tamen decernit an et quando sit deferendum (ibid., § 5).

3° *Cuinam deferendum sit ?*

« *Regulariter* deferatur ei qui pleniores habet probationes » (ibid., § 4), i. e. ei qui meliores quam adversarius probationes affert.

Regulariter, at non semper, nam v. g. qualitas personae parum honestae potest causa esse cur alteri parti potius deferatur ; quod est *fini* huiusmodi probationis consentaneum. Sub veteri iure (c. 36, *de iureiurando*, X, II, 24) dicebatur regulariter *reo* deferendum, quia delatio huius iurisiurandi favor habetur, cum ab onere ulterioris probationis relevet. Quare, si ex utraque parte probatio aequalis fuerit, nunc quoque reo regulariter deferetur.

4° *De effectibus delationis* (c. **1831**).

Semel delatum iuramentum praestari debet aut recusari vel adversario referri potest.

a) Praestari debet in causa de *statu personali*, in aliis causis, iusta de causâ, recusari vel adversario referri potest.

Iusta causa fuerit defectus scientiae quod ad obiectum iurisiurandi vel non servatae a iudice regulae supra propositae.

b) *Recusatio*, quanti sit facienda, a iudice aestimabitur.

Sine iusta causa recusare iusiurandum confessioni facile aequiperabitur. Sed valde temperatur rigor veteris iuris, quo recusatio confessioni magis absolute aequiperabatur.

c) « Iusiurandum suppletorium, ab una parte praestitum, potest ab altera impugnari », sive directe in eadem instantia sive in appellatione (**c. 1831**, § 3).

II. DE IUREIURANDO AESTIMATORIO

209. - 1. *Definitio*. Iusiurandum **litis aestimatorium** seu *in litem* defertur illi parti quae se damnum passam esse certo probavit, quantitatem vero damni ex facto culpabili vel doloso alterius partis certo demonstrare nequit (**c. 1832**).

2. Deferri potest, sed non debet (1), a solo iudice, sive ex officio sive ad instantiam partis.

3. Iuramentum praestatur in *notulam* quam pars iuratura ex mandato iudicis conficit, designantem « res sibi ablatas vel dolo perditas earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem » (**c. 1833**, 1°), non autem secundum affectum suum.

Iudex ad aequos fines taxationem reducere potest, quam nimiam aestimet. In hunc finem ad ministerium quoque peritorum recurrere ei licet (c. 1833, 2°).

III. DE IUREIURANDO DECISORIO

210. - 1. Notio. Iuramentum **decisorium** aliud est extraiudiciale, aliud iudiciale.

Iusiurandum decisorium *extraiudiciale* illud est quod ad evitandum iudicium altera pars alteri defert ea condicione ut, si illud praestiterit, pro vero habeatur et pars quae iuramentum detulit, sine alia probatione, iure suo cedat.

Iudiciale illud est quod « pendente lite et in quolibet eius momento et statu, altera pars potest, iudice probante, alteri deferre, ea condicione ut quaestio, sive principalis sive incidens, secundum iusiurandum decisa habeatur » (**c. 1834**).

Quare iuramentum decisorium est species *transactionis;* etenim, etiam si de *re* controversa partes nihil cedant, de *modo* tamen *agendi* aliquid remittitur. — Iusiurandum extraiudiciale est verus contractus cui leges civiles regionis applicandae sunt (c. 1529) ; iudiciale defertur ex formula a iudice probata.

2. *Condiciones delationis et praestationis.*

Condiciones, item iura et officia quae sequuntur, ad normam legum civilium

---

(1) Cf. Wernz, *Ius decret.*, V, n. 646, nota 43.

intelligenda sunt, si agitur de iuramento extraiudiciali ; ad normam canonum, si iuramentum in iudicio defertur vel praestatur.

Delatio et praestatio huius iuramenti supponunt rem de qua cessio vel transactio admittitur, non nimii momenti ; personas transigendi capaces ; defectum plenae probationis ex parte illius cui defertur ; obiectum proprium eius qui iurare debet (**c. 1835**).

Quae condiciones ex ipsa huius iuramenti natura explicantur, quia transactioni aequivalet. Momentum rei lege civili vel a iudice aestimatur, capacitas autem personarum ex ipsa lege ; ubi vero plena est probatio, non est locus transactioni, sed simplici cessioni vel donationi.

3. *De iure et officio partium* (**c. 1836**).

Iuramentum *delatum*, si praestitum fuerit, a deferente iam revocari nequit (§ 1) ; et liti iuxta suam formulam finem imponit (§ 2). *Negatum* non necessario aequivalet confessioni (§ 3) et *relatum* sub poena causae perdendae praestandum est (§ 4).

Qui primus enim iusiurandum detulit de modo probandi transegit nec recusare potest sibi ius applicari quod adversario imponi voluit.

TITULUS XI

DE CAUSIS INCIDENTIBUS

(c. 1837-1857)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, n. 555, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 663, ss. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, VII, in hos canones. — Noval, O. P., *Commentarium*, in hos cc.

211. - Ordo dicendi. Postquam de actibus necessariis et essentialibus dictum est, ad partem accessoriam seu ad causas incidentes devenitur. — Post brevem introductionem de causis incidentibus in genere (cc. 1837-1841), tres praecipue quae decursu litis obvenire possunt et formam specialem habent, totidem capitibus exponuntur, sc. contumacia (cc. 1842-1851) ; interventus tertii in causa (cc. 1852. 1853) ; attentata, lite pendente (cc. 1854-1857.)

Etsi Codex tres tantum causas incidentes in specie pertractat quae circa *formam processus* versantur, quaestiones incidentes *de merito causae* excludere non videtur, cum c. 1785 reprobationem testimoniorum inter causas incidentes enumeret (1).

INTRODUCTIO. DE CAUSIS INCIDENTIBUS IN GENERE

212. - 1. *Notio.* « **Causa incidens** habetur, quotiens, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur, quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilo-

(1) Cf. *Monitore eccles.*, 1921, 182.

minus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem » (c. **1837**).

Tres igitur condiciones requiruntur ut causa *incidens* vocetur :

1° *Initum iudicium*, sed non necessario per litis contestationem. V. g. exceptio de incompetentia iudicis contestationem litis praecedere potest.

2° Causa *accessoria*. Si enim in libello litis introductorio expresse contineatur, saltem pars est causae principalis.

3° Talis *conexio* cum causa principali ut haec plerumque solvi non possit quin illa prius fuerit soluta.

Exemplo sint causarum incidentium exceptio de iudicis incompetentia, de defectu idoneitatis alterius partis standi in iudicio, quaestiones de sequestranda re litigiosa, de iuramento deferendo, de admittendo interventu tertii in causa, de expensis iudicialibus, etc. (Cf. Lega, *o. c.*, nn. 556-559).

2. *De propositione et admissione quaestionis incidentis.*

1° « Causa incidens proponitur vel *oretenus* vel per *libellum* ». Servandae vero sunt, quantum fieri potest, normae propositae in cc. 1706-1725 de libello litis introductorio et de citatione et denuntiatione actorum iudicialium (Cf. supra, n. 144, ss. c. **1838**).

2° Iudicis est aestimare num condiciones causae incidentis impleantur ; quo casu, eam admittere debet, « aliter decreto suo eam reiciat » (c. **1839**).

3° *De modo procedendi.*

Causa incidens potest definiri aut *simplici decreto* aut *iudicii forma* servata.

In priore casu, iudex « rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat » ; in posteriore casu, servantur, quantum licet, formae iudicii ordinarii, sed iudici curandum est « ut dilationum termini sint quam maxime breves » (c. **1840**).

213. - *De sententia* (c. **1841**).

1. Sententia qua causa incidens solvitur, vocatur interlocutoria, per oppositionem ad definitivam, a qua plurimum differt, praesertim quod ad vim et efficaciam.

Ac primum cum iurisdictionem iudicis non expleat, « iudex interlocutoriam sententiam potest iusta intercedente causa, *corrigere* aut *revocare* », sive ex officio sive ad instantiam partis. Quare partes et, si bonum publicum agitur, promotor iustitiae vel defensor vinculi rationes suas contra sententiam interlocutoriam exponere possunt vel debent. — Deinde a sententia interlocutoria non datur *appellatio*, nisi vim definitivae habeat, id est nisi in definitivam necessario influat aut eius effectus sententia definitiva corrigi nequeant (cf. c. 1880, 6°).

2. Plerumque, at non semper, *ante* sententiam definitivam profertur.

3. Semper *scripto* proferenda est, cum vel decreto vel servata iudicii forma exprimatur. Quae est iuris praecedentis, saltem partialis correctio (Cf. LEGA, *o. c.*, n. 561).

Caput I. - De contumacia

Cf. LEGA, *o. c.*, n. 588, ss. — WERNZ, *o. c.*, V, n. 533, ss.

214. - *Notio.* Contumacia, *stricto* sensu, est « inoboedientia erga iudicem legitime vocantem cum pertinacia commissa » (WERNZ, *l. c.* n. 534).

Habetur quotiens pars, post citationem rite factam et intimatam nullo impedimento detenta, neque per se neque per procuratorem comparet vel si, postquam primae citationi obtemperavit, in progressu iudicii iam non comparet (cc. 1842. 1848. 1849).

Vi verbi, *contumacia* omnem inoboedientiam designat et iurisprudentia istud nomen ad omnem erga iudicem praecipientem inoboedientiam extendit. Sed Codex strictam notionem restituit, quam scriptores ius romanum secuti tenebant sc. inoboedientiam quae consistit in non comparendo, iubente iudice. Id clare patet e cc. 1842. 1849, collata capitis rubrica. Ceteris inobedientiae erga iudicem formis apte in aliis canonibus, v. g. 1640, § 2 ; 1824, etc. provisum est (1).

In contumacia duo sunt attendenda, nimirum *contemptus* auctoritatis et *praesumptio* derelicti iuris defensionis. Quare comparata sunt contra contumaciam *remedia poenalia* ad frangendam contumacis pertinaciam et remedia *non poenalia*, ut pars quae comparet, non obstante adversarii absentia, ius suum prosequi possit.

Triplex casus examinandus est, sc. contumaciae solius rei (cc. 1842-1848), solius actoris (cc. 1849-1850), utriusque partis (c. 1851).

Contumacia significatione non prorsus eadem in iudicio et in materia poenarum accipitur. In hac designat perversam voluntatem eius qui sciens aliquem actum esse prohibitum, cum tamen ponit. Perdurat contumacia quamdiu reum sui delicti non sincere et efficaciter paenitet.

I. DE CONTUMACIA REI

215. - *De contumacia declaranda.*

1. Reus *contumax* est, dummodo legitime citatus, sive initio sive progressu iudicii, sine iusta causa nec ipse per se, nec per procuratorem comparet (**cc. 1842. 1848**).

2. Antequam contumacia declaretur, constare debet de moraliter certa cognitione citationis et de pertinacia rei, qui absentiam nullo vel

---

(1) F. X. d'AMBROSIO, O. M. C., *De contumacia iudiciali in antiqua et nova iuris can. disciplina. Ius pontif.*, 1924, II, ss.

insufficienti modo excusat. Iudex, ut haec probet, potest omni apto medio uti, v. g. testimoniis fide dignis, neque iubetur ad novam citationem recurrere (**c. 1843**).

216. - *De effectibus contumaciae rei.*

Tres possunt esse effectus contumaciae rei : 1° condemnatio rei ; 2° eius punitio ; 3° refectio expensarum et indemnitas praestanda.

1° Iudex contra reum quem contumacem declaravit, usque ad exsecutionem sententiae definitivae procedere potest.

Ius actori concessum diversum erit, prout lis contestata fuit vel non. In posteriore enim casu, iudex sola petita in libello respicere debet ; si lis fuit contestata, quaecumque reus actori concedenda dicebat, statim concedet ; de aliis ex factis et allegatis sententiam feret (**c. 1844**).

2° « Sed potest quoque iudex ad frangendam rei contumaciam comminari ecclesiasticas poenas », non valide tamen antequam constet *iteratam* citationem cum poenarum comminatione effectu caruisse (**c. 1845**).

Canon 1845, § 1 non contradicit c. 2220, § 1, vi cuius « qui iudiciali tantum [potestate pollent], possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare ». In c. 2220 agitur de poenis ob delicta de quibus in causa agitur et de iudice in quantum ipsam causam dirimit.

Cum Codex autem iudici potestatem faciat in quibusdam casibus decretis seu praeceptis iurisdictionalibus partes vel alias personas ad aliquid faciendum vel omittendum cogendi, vi ipsius c. 2220 iudex potest decretis seu praeceptis poenam annectere ; quod in c. 1845 asseritur. Cf. cc. 1640, § 2. 1705, § 2.

3° Reus contumax condemnandus est ad expensas litis ob eius contumaciam factas, v. g. ob iterandam citationem, et si casus ferat, ad damna actori secuta resarcienda (**c. 1851**).

217. - *De remediis iuris reo contumaci concessis.*

1. *Recessus a contumacia* ante sententiam definitivam reo ius confert ut audiatur. Cavendum autem iudici ne mala fide iudicium protrahatur (**c. 1846**).

2. Intra trimestre a lata sententia definitiva, concedi potest reo *restitutio in integrum* ad appellandum ; immo, semper, si agatur de causis quae non transeunt in rem iudicatam, ut sunt causae matrimoniales et criminales (**c. 1847**).

Nam simplex appellatio a sententia contra contumacem lata non conceditur (c. 1880, 8°).

II. DE CONTUMACIA ACTORIS

218. - 1. Actor *contumax* est cum in termino citationis reo intimato, sine iusta causa, non comparet neque novae citationi paruit vel cum inchoatum iudicium prosequi negligit (**c. 1849**).

Declaratio contumaciae supponit : 1° certitudinem moralem de cognita citatione ; 2° carentiam iustae causae absentiae vel negligentiam in tali causa afferenda. — Fit ad instantiam rei conventi, promotoris iustitiae vel defensoris vinculi. — Iudex contumaci actori poenas comminari potest, ad normam c. 1845.

2. *De effectibus contumaciae actoris* (**c. 1850**).

1° Perimitur *ius ad instantiam* prosequendam.

Quare nova ipsi actio instauranda est, si postea ius suum prosequi velit. Poterit tamen promotor iustitiae vel defensor vinculi, in causis quae ad bonum publicum intersunt, instantiam ipse prosequi.

2° Reo petenti unum e quattuor subsequentibus remediis, in veteri iure sic specificatis, concedi potest :

a) *Circumscriptio edicti* citationis, qua nempe effectus citationis rescinditur et reus libere a iudicio abire licet.

Actor, antequam reum denuo citet, ei expensas et damna primae citationis, et ipse cautionem de se iudici sistendo solvere debebit.

b) *Absolutio ab observatione iudicii*, qua reus, quando lis erat contestata vel ulterius erat progressa, petit ut « nulla habeantur omnia eo usque gesta », seu omnia iudicii acta.

c) *Absolutio ab impetitione actoris*, si reus nitens suis probationibus petat ut causa, etiam absente actore, usque ad sententiam definitivam perducatur.

d) *Sententia definitiva* in favorem rei *adversus omnes*.

Haec est forma plenior remedii praecedentis, et habetur si non tantum actio plene repellitur, sed praeterea ius aliquod rei ex eius probationibus asseritur (Cf. Lega, *o.*, *c.* n. 594).

3° Actor contumax expensas ob eius contumaciam factas solvere et reum, si casus ferat, indemnem facere debet (**c. 1851**, § 1).

III. DE CONTUMACIA UTRIUSQUE PARTIS

219. - 1. In contentiosis, iudex citationem nullius effectus iudicialis esse vel litem peremptam declarare potest.

Lega, *o. c.*, n. 593 hac citatione praescriptionem fuisse tamen interruptam censet. In criminalibus iudex contumaces poenis coercebit.

2. Actor et reus ad expensas litis *in solidum* tenentur (c. 1851, § 2).

Caput II. - De interventu tertii in causa

Cf. Lega, *o. c.*, n. 571, ss.

220. - 1. *Notio.* « Res inter alios acta aliis non nocet », i. e. neque pro tertia persona, neque contra ipsam in iudicio invocari potest. Attamen iura partium cum iure tertii intime conecti vel ipsum tertii

ius esse possunt, cui tunc sententia definitiva *facto* nocere poterit. Ideo tertia persona debet interdum admitti, immo ex officio vocari : qui dicitur *interventus tertii in causa* (c. **1852**). Exemplo sint legatarii, ubi valor testamenti impetitur ; fideiussor, si bona eius pro quo respondet ab alio vindicantur, etc.

2. Duplex distinguitur interventus, *voluntarius* alter, alter *necessarius*. Nempe vel tertia persona ipsa postulat, aut, si una e partibus interventum tertii sibi utilem fore iudicet vel boni communis id intersit iudex ad instantiam partis vel ex officio interventum iubere potest (c. **1853**).

3. *Tempus* utile ad interveniendum usque ad conclusionem in causa currit. Postquam sententia definitiva data est, necdum exsecutioni mandata, aliud tertio remedium suppetit, nempe *oppositio* (cf. c. 1898, ss.). Si sententia exsecutioni est mandata, laeso ad actionem in eum a quo iniuste laeditur, est recurrendum.

4. Ne iudicium ob interventum protrahatur, intervenienti acta sunt sumenda in statu quo iam versantur ipsique brevis ac peremptorius terminus ad probationes exhibendas est assignandus (c. 1852).

Caput III. - De attentatis lite pendente

Cf. Lega, *o. c.* n. 582, ss. — Wernz, *o. c.* V, n. 554, ss.

221. - 1. *Notio attentati.*

« **Attentatum** est quidquid, lite pendente, aut altera pars adversus alteram aut ipse iudex adversus alterutram vel utramque partem innovat, parte dissentiente et in eius praeiudicium ; sive innovatio respiciat litis materiam, salvo tamen praescripto cc. 1672. 1673, sive respiciat terminos partibus a iure vel a iudice assignatos ad ponendos certos actus iudiciales » (c. **1854**).

Attentatum tribus elementis constat, sc. mutatione iuris de quo est controversia vel iuris ad agendum concessi ; praeiudicio partis adversae ; dissensu huius partis. — Lis pendet ubi citatio a iudice est reo legitime intimata. Ab hoc tempore partibus iura sua integra servanda sunt, donec, definitiva sententia, controversia inter eos orta dirimatur. Quare titulus XVI Decretalium (l. II) erat : « Ut lite pendente nihil innovetur ». *Innovat* autem qui transgreditur inhibitionem iure vel a iudice latam eo fine ut iura partium controversa nullum detrimentum patiantur. Exemplo sint alienatio rei cuius dominium in controversiam vocatum est ; separatio coniugum quorum matrimonii valor dubius est ; nova electio ad beneficium, dum inter duos de prioris electionis legitimo exitu disputatur, etc. — Consensus adversarii iniuriam tollit, ut patet. — Ea vero quae cc. 1672. 1673 praescribunt, non sunt verae exceptiones c. 1854, cum intendant iura innocentium securiora reddere.

2. *De effectibus attentati.*

1° Etsi « attentata sunt ipso iure nulla », nullitatis *declaratio* a

parte laesa petenda est coram iudice causae principalis. Contra iudicem qui innovaverit, pars laesa exceptionem suspicionis movere potest (**c. 1855**. Cf. c. 1615). Simplici iudicis decreto omnia in pristinum statum reponentur.

Regulariter quaestio de attentatis, suspensa causa principali, quam expeditissime pertractanda est ; quia tamen eius solutio interdum a merito ipsius causae melius elucet, iudicis erit aestimare num praestet utramque causam simul resolvere (**c. 1856**).

Praeter nullitatem attentatorum ex officio declarandam, pars laesa indemnitatem obtinere poterit, si vi vel dolo attentatum patratum sit (**c. 1857**).

TITULUS XII

DE PROCESSUS PUBLICATIONE, DE CONCLUSIONE IN CAUSA ET DE CAUSAE DISCUSSIONE

(cc. 1858-1867)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, 1, n. 548, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, V, nn. 660. 661. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

222. - **Ordo dicendi.** Ut partes suam defensionem praebere possint, debent ipsis communicari omnes probationes ab adversario allatae (cc. 1858. 1859). Quibus si nihil addi potest vel licet, conclusio in causa decernitur (cc. 1860 1861). Iamque absoluta probatoria instructionis parte, ad defensiones fit transitus (cc. 1862-1867).

223. - **Publicatio** processus est facultas partibus earumque advocatis concessa acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar (**cc. 1858. 1859**).

Facienda est antequam partes defensiones suas proponant et extenditur ad omnes probationes in iudicio allatas, etiam eas quae sive in causa contentiosa sive in criminali hucusque secretae permanserunt, ut sunt v. g. nomina testium in causa criminali.

224. - *De conclusione in causa.*

1. Si partes novas probationes afferre velint, ipsis est terminus peremptorius a iudice constituendus. Si nihil aliud deducendum habeant vel terminus elapsus sit vel ipse iudex causam sibi satis instructam esse declaret, decretum ferri debet **conclusionis in causa** quo sc. clauditur periodus probatoria (**c. 1860**).

2. Iam novae probationes admitti non poterunt, nisi 1° « agatur de causis quae numquam transeunt in rem iudicatam », ut sunt causae de vinculo matrimoniali, de receptis sacris ordinibus, etc., aut 2° « de

documentis nunc primum repertis », quod erit demonstrandum ; aut 3° « de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt », quod etiam strictius est probandum ad cavendum periculum subornationis (**c. 1861**, § 1).

3. Sane iudicis est decernere utrum necne novae probationes admittendae sint ; concesso tamen instructionis supplemento, debet, *sub poena nullitatis* iudicii, alteri parti « congruum tempus concedere ut novas probationes cognoscere et se defendere possit » (c. 1861, § 2).

4. Dum Lega, *o. c.*, n. 551 asserere potuit conclusionem in causa tacite, non expresse, statui solere, c. 1860 exigit ut decernatur, i. e. formali et scripto decreto pronuntietur. Quae sollemnitas validitatem iudicii non afficit, etsi eius omissio restitutioni in integrum facile locum praebere potest.

225. - *De causae discussione.*

Nunc terminus, qui ad instantiam partium prorogari vel coarctari poterit, partibus a iudice praestituitur ut defensiones suas seu allegationes in iure et in facto proponant (**c. 1862**). — Defensio *in scriptis* est facienda tot saltem exemplaribus quot sunt personae quae iudicio intersunt, sc. iudices, promotor iustitiae, defensor vinculi, altera pars. Immo iudex potest, si partium gravamen non sit nimium, exigere ut defensio typis mandetur, prius exhibito manuscripto et venia illud publicandi obtenta (**c. 1863**). — Iudicis est moderari extensionem defensionum et ipsam discussionem. Partibus ius est semel respondendi, nisi iudici videatur concedenda duplex vel triplex responsio (**cc. 1864. 1865**). — Prohibentur informationes orales ipsi iudici privatim factae, sed coram tribunali, si iudex id admittat, discussio oralis moderata permittitur cui notarius assistat, ut quae sunt scripto exhibenda ex continenti possit scribere (**c. 1866**).

In causis contentiosis, licet partibus iuri se defendendi renuntiare ; quod si fecerint et iudex rem iam perspectam habeat, poterit statim sententiam pronuntiare (**c. 1867**).

DE IUDICII DEFINITIONE SEU CONCLUSIONE
(Tit. XIII-XVII)

226. - Etsi iudicium seu ipsa quaestio iudicialis variis modis absolvi potest, v. g. transactione, renuntiatione iuri, legitima et ordinaria iudicialis quaestionis definitio *sententia iudiciali* obtinetur (Tit. XIII). Contra sententias minus recte latas *remedia* quaedam ipso iure conceduntur (Tit. XIV). Post certum vero tempus, sententia ius firmum constituit seu *rem iudicatam* contra quam praebetur remedium extraordinarium restitutionis in integrum (Tit. XV). A quaestione sententiae, *expensae* pro iudicio et patrocinio solvendae separari nequeunt (Tit. XVI). Sectionem de iudiciis in genere absolvit titulus XVII *de exsecutione sententiae.*

TITULUS XIII

DE SENTENTIA IUDICIALI
(c. 1868-1877)

Scriptores : LEGA, *De iudiciis*, I, n. 627, ss. — REIFFENSTUEL, *Ius canonicum univ.*, II, tit. XXVII. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, V. n. 663, ss. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, in h. cc. — NOVAL, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

227. - Ordo dicendi. Tradita *notione* sententiae (c. 1868), Codex indicat quanam interna persuasione niti debeat (c. 1869) ; dein tempus, locum et modum ipsius proferendae (cc. 1870. 1871) ; tum eius materiam et formam exteriorem (cc. 1872-1874) ; tandem, definita applicatione harum normarum (c. 1875), necessitatem et formam publicationis (cc. 1876. 1877).

228. - *Notio et divisio sententiae.*

Sententia **definitur** : « Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit » (c. **1868**, § 1) ; « ceterae iudicis pronuntiationes **decreta** vocantur » (ibid., § 2).

Hae pronuntiationes sunt iussa, ordinationes, prohibitiones, quae in contradictorio litigantium non nituntur nec causam iudicialiter dirimunt. Plurima eorum exempla in hac Codicis parte reperiuntur, v. g. cc. 1607, § 2 ; 1635. 1639, § 1 ; 1672, § 3 ; etc.

Sententiae **dividuntur** in *definitivas* et *interlocutorias*, prout causam principalem vel incidentem dirimunt.

Sententia **definitiva** in criminalibus *condemnatoria* dicitur, si a iudice poena decernitur, aut *declaratoria*, qua iudex definit reum poenam ipso iure statutam iam contraxisse ; iis opponitur sententia *absolutoria*.

Sententia **interlocutoria** potest esse *simplex* vel *mixta* seu *vim definitivae* habens. — Simplex est quotiens causae principali non obest vel spem sententiae definitivae favorabilis illi qui quaestionem incidentem movit, non aufert ; secus est mixta. — Sic v. g. vim definitivae habet quae declaret iudicem incompetentem aut, saltem in quibusdam causis, alteram partem minorennem vel natu maiorem vel decernat exceptionem peremptoriam excludendam esse, etc.

229. - *De scientia ad ferendam sententiam necessaria.*

1. Ad sententiam ferendam *certitudo moralis*, saltem late dicta, requiritur, id est non quaelibet seria probabilitas, sed is saltem probabilitatis gradus qui in negotiis magni momenti omne dubium serium

excludit (c. **1869**, § 1). — Quia iudex tamquam persona publica sententiam fert, non ex scientia sua privata, sed ex actis et probatis tantum iudicare debet, quae tamen iuxta conscientiam aestimabit, nisi lex vim quarundam probationum determinet, v. g. instrumentorum publicorum, iurisiurandi decisorii, etc. (ibid., §§ 2. 3.)

In aestimanda vi probationum, praesumptio hominis debet cedere praesumptioni iuris, regula specialis (v. g. condonari debitum, si chirographum redditur creditori) regulae generali (nemo vult res suas perdere), casus extraordinarius facto consueto (WERNZ, *o. c.*, V, n. 659).

Quaeritur num iudex in causa criminali possit aut immo debeat condemnare eum quem ex scientia privata certo innocentem cognoscat, dum ex actis et allegatis reus esse videatur. — Scriptores in varias sententias abeunt. — Omnes censent iudici omnia tentanda ut innocentem a gravi malo liberet, v. g. petendo ut causa ab alio iudicetur et munus testis assumendo. Quae si fuerint impossibilia vel inutilia, S. Thomas iudicem ad condemnandum obligat (2. 2, q. 64, a. 6 et q. 67, a. 2); Lessius (de iust. l. 2, c. 29, n. 78) cum aliis multis ad absolvendum, saltem si de poena capitali vel gravi mutilatione agitur. Sed de hac quaestione adi Theologos in tract. de officiis laicorum aut de iustitia.

2. Quotiens certitudo moralis acquiri non potuit, reus est definitive absolvendus. In causa tamen favorabili, uti sunt causae matrimoniales, in favorem causae, i. e. pro valore vinculi est pronuntiandum. — In causis possessoriis, si de actuali possessore non constat, possessio utrique parti pro indiviso tribuatur (c. 1869, § 4). (Cf. c. 1697, § 2), salva exceptione c. 1697, § 3. Cf. supra, n. 129, 3.

230. - *De tempore, loco et modo ferendae sententiae.*

1. Sententia fertur *statim ab expleta disceptatione*, nisi rei difficultas protractum eius studium suadeat (c. **1870**).

2. Generatim sententia *in ipsa tribunalis sede* profertur.

3. Tribunal, si fuerit collegiale, 1° praeses locum et tempus conventus designat (c. **1871**, § 1); 2° singuli iudices afferunt scripto exaratas suas conclusiones earumque rationes in iure et in facto (ibid., § 2); 3° moderata discussio praesertim partis dispositivae sententiae habetur, in qua, post Ponentem, alii secundum praecedentiam, loquuntur (§ 3); 4° licet unicuique in ipsa discussione conclusiones, quas actis causae inserendas, sed sub secreto servandas attulerat, corrigere (§ 4); intra hebdomadam nova discussio haberi potest et debet, si iudices in prima ad sententiam non devenerint (§ 5).

231. - *De ipso sententiae documento.*

1. Sententia exaranda est a iudice, si unicus est, a Ponente, si tribunal est collegiale (c. **1872**).

2. *De obiecto sententiae* (c. **1873**).

In sententia duae partes distinguuntur: altera *dispositiva*, quae iura aestimat et sancit, altera quae *motiva* definitionis continet.

1° Sententia, qua dispositiva est, debet esse *certa*, sive de re sive de quantitate et *conformis libello* introductorio litis. — Debet ergo *a*) absolvere vel condemnare reum, iuxta tenorem libelli vel eius contestationem, « data singulis dubiis seu controversiae articulis congrua responsione » ; *b*) determinare quantitatem et formam debiti, quantum fieri potest ; sufficit enim determinatio generica, v. g. per verba : iuxta aestimationem peritorum ; *c*) statuere quis et quotas expensas litis solvere debeat.

2° Can. 1873, § 1, 3° magis absolute quam ius anterius iubet sententiam « continere rationes seu *motiva* quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur ».

De modo exponendi facta et ius plurima exempla videre licet in AAS, quae causas coram S. R. Rota fuse expositas continent.

3. *De forma externa sententiae.*

Canon **1874** enucleate exponit quaenam elementa et quonam ordine sententiae sint inserenda. Sententia orditur ab invocato divino Nomine. Sequitur clara determinatio personarum quæ partem in iudicio habuerunt, sc. iudicum, partium vel earum procuratorum, promotoris iustitiae et defensoris vinculi. Succedit brevis facti expositio cum partium conclusionibus. Tum, praemissis eius rationibus in facto et in iure, sententia proponitur. Indicatis tandem die et loco in quibus exaratum est, documentum subscribunt ad validitatem *omnes* iudices et notarius. (1)

In AAS, referuntur sententiae rotales, iisdem fere omnibus elementis constantes, at ordine paululum immutato. Praemittitur tamquam titulus nomen dioeceseos vel religionis ad quam reus conventus pertinet, et indicatio causae controversae, v. g. Bergomen. — Reditus cappellaniae. — Dein sic procedit : « *Pio Pp. XI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno...., die... 19.., RR. PP. DD. A. A.* Ponens, M. M.. N. N., *Auditores de turno, in causa* Bergomen. — Reditus cappellaniae, *inter* X. X., *actorem, repraesentatum per legitimum Procuratorem* P. P., *advocatum*, et Y. Y., *repraesentatum per legitimum Procuratorem* R. R., *advocatum, sequentem tulerunt definitivam sententiam.* »

Tum proponuntur breviter factum et conclusiones partium aut saepius sententia in prima instantia lata et brevissime dubium controversum exprimitur, v. g. « appellavit actor ad N[ostrum] T[ribunal], coram quo disputatur hodie : An ad cappellanum loci X. spectat ususfructus praedii de quo agitur. »

Iam veniunt rationes in iure (*Ius quod spectat*), e Decretalibus et Codice cum sententiis clar. commentatorum desumptae, et in facto (*Factum quod spectat*). — Postea sequitur sententia his prolata verbis : « *Quibus omnibus, tum in iure tum in facto, perpensis, NN infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, proposito dubio respondentes : Affirmative, seu ad cappellanum loci X. spectare usumfructum praedii de quo agitur. Praeterea declaramus controversi praedii fructus a die contestatae litis restituendos cappellano, ac statuimus, eo praesertim quod causa agitari coepta est ante promulgatum Iuris canonici Codicem, expensas iudiciales utriusque instantiae inter partes esse compensandas,...* »

(1) Cf. Resp. *Comm. I. C.* 14 iul. 1922 ad XIII, 171. - *AAS*, 1922, 529. - *Per.*, XI.

Quae sequuntur mandant exsecutionem sententiae. Finis imponitur his verbis : Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die... 19...

A. A., *Ponens.*
M. M.
N. N.

L. † S.

Ex cancellaria, die.... 19...
A. X., *Notarius.*

232. - Regulae de forma sententiae, numero praecedenti propositae, servandae sunt in omni sententia *definitiva*. In sententia *interlocutoria*, illae servandae sunt quas res patitur : v. g. brevis relatio facti et conclusionum partium, motiva sententiae, indicatio diei et subscriptio iudicis et notarii (c. **1875**)

233. - *De publicatione sententiae.*

Publicatio sententiae est eius cum partibus communicatio. Quam primum est facienda (c. **1876**) uno ex his modis :

1° Iudex coram tribunali sedens sententiam coram citatis partibus e scripta formula sollemniter legit.

Iuxta c. 5 *de sententia et re iudic.*, II, 27 in VI°, « sententia quam ab ipso iudice stando, non sedendo, proferri contingit, nullius penitus est momenti », nisi agatur de processu summario. Ex verbis c. 1877 nihil innuit hanc sollemnitatem ad validitatem actus pertinere ; quod vel ex concessione aliarum formarum facile erui potest.

2° Denuntiatur partibus sententiam apud cancellariam tribunalis esse eisque fit facultas documentum legendi eiusque exemplar sumendi.

3° Exemplar sententiae in forma authentica ad partes transmittitur per viam iuxta locorum consuetudinem tutissimam, praesertim per tabellarios publicos in litteris commendatis et cum syngrapha receptionis (c. **1877**. Cf. c. 1719).

TITULUS XIV

DE IURIS REMEDIIS CONTRA SENTENTIAM

(c. 1878-1901)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, n. 645, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 687, ss. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

234. - **Conexio materiae.** Etsi partes sententiae definitivae plerumque acquiescunt, haud ita raro ea quae se laesam existimat sententiam favorabiliorem sibi impetrare satagit. Immo in causis matrimonialibus defensor vinculi contra primam sententiam quae matrimonium declaraverit nullum, ex officio novam instantiam postulare debet. Quare Codex cum Lega, *o. c.*, recte primo de remediis contra sententiam agit, dein de re iudicata, i. e. de firma sententia quae directe iam impeti nequit.

235. - 1. **Remedia iuris** sunt media partibus lege concessa, quibus se tueri possint contra gravamina processualia, sive fuerint inflicta per decreta vel omissiones iudicum sive per propriam actionem vel omissionem (Cf. WERNZ, *o. c.*, n. 689).

2. **Dividuntur** in remedia **ordinaria et extraordinaria.** Ordinarium remedium ab extraordinario distingui potest aut condicione personarum cui conceditur aut tempore quo eius usus permittitur. Nempe remedium est ordinarium, si conceditur personis quae partem in iudicio habuerunt, sc. partibus, promotori iustitiae, defensori vinculi aut eis usus certo tempore, generatim satis brevi, definitur ac praesertim antequam res iudicata habeatur. — In aliis casibus remedium est extraordinarium.

Quare haec divisio sic proponi potest :

A. Post sententiam definitivam, ex principiis generalibus iuris, ergo via *ordinaria*, licet :

1° Petere novum examen eiusdem causae, iisdem probationibus, etc. quia videtur erronea aestimatio de facto vel iure admissa esse (*appellatio*) ; (c. 1879, ss.)

2° Petere ut sententia nulla declaretur ob vitium formae lato sensu sumptum (*querela nullitatis*) (c. 1895).

Hae actiones ab iis omnibus proponi possunt qui iuxta principia iuris generalia ad movendam actionem circa hoc obiectum admittendi sunt ; aliis enim haec sententia est « *res inter alios acta* » ; quare iuxta generalia iuris principia, res ad ipsos non pertinet.

Praeterea hae actiones proponendae sunt vel ante fatalia legis (*appellatio*) vel ante tempus praescriptionis (*querela nullitatis*). Quod generalibus iuris principiis est conforme.

Quare appellatio et querela nullitatis sunt remedia iuris ordinaria.

B. Derogatione principiis iuris generalibus seu ordinariis :

1° *Tertia persona* quae ob sententiam latam indirecte laeditur, potest exsecutionem, etiam re adhuc integra, impugnare (*oppositio tertii*) (c. 1898).

2° Cum sententia in rem iudicatam transiit et exsecutioni est mandata, re iam non integra, lex processum extraordinarium concedit, quo, ad causam denuo instaurandam, fundamentum praesumptionis iuris et de iure c. 1904 tollitur (*restitutio in integrum*) (c. 1905).

Quare oppositio tertii et restitutio in integrum sunt remedia extraordinaria.

Haec remedia tamen, sub aliis rationibus, aliter quoque aliud ab alio dividi possunt.

Remedia dicuntur **devolutiva** quae rem ad aliud tribunal deferunt (devolvunt), secus non-devolutiva sunt. **Suspensiva** vocantur, quae vim sententiae usque ad definitum novae petitionis exitum impediunt. Divisio appellationis *in devolutivo* et *in suspensivo* paulo diversum sensum habet, qui mox explicabitur.

3. Si ergo correctionem mere materialem seponimus, quattuor casus proponi possunt, pro quibus totidem remedia praebentur, sc. :

1° Sententia vitio nullitatis laborat, quod probatur in *querela nullitatis.*

2° Pars existimat se valida sententia laesam ; ipsi ius est exponendi suas rationes alii iudici per *appellationem*. Dicimus : *alii*, non *superiori* iudici, ut comprehendamus casum appellationis ab uno S. Rotae turno ad turnum sequentem.

Si vincat pars in prima instantia condemnata, alteri generatim ius est a nova sententia appellandi. Sed haec tertia sententia omnino definitiva est et forma magis consueta rei iudicatae seu praesumptionis iuris et de iure sententiam esse obiective iustam (c. 1902).

3° In paucis casibus, taxative definitis, conceditur adversus rem iudicatam remedium extraordinarium quod est *restitutio in integrum* (c. 1905).

4° Etiam si partibus adversus sententiam nihil est agendum, potest tertia persona cuius iura laesa videantur, latae sententiae se opponere, uti poterat in qualibet litis instantia intervenire. Hoc remedium vocatur *oppositio tertii* (c. 1898. Cf. c. 1852, ss.).

4. Codex normas huius materiae sub duplici titulo definit, sc. tit. XIV *De iuris remediis contra sententiam* et XV *De re iudicata et de restitutione in integrum*. Prior, post canonem praeliminarem de correctione materiali (c. 1878), de tribus remediis contra sententiam totidem capitibus agit, sc. de appellatione (cc. 1879-1891), de querela nullitatis contra sententiam (cc. 1892-1897), de oppositione tertii (cc. 1898-1901).

CANON PRAELIMINARIS. DE MATERIALI SENTENTIAE CORRECTIONE

236. - Iudex potest ad instantiam partis et, si res evidens est, ex officio debet ipse corrigere errorem materialem « qui inciderit vel in transcribenda parte dispositiva sententiae vel in referendis factis aut partium petitionibus aut in ponendis calculis » (c. **1878**, § 1). Si refragetur altera pars, habetur quaestio incidens, quae decreto ad calcem sententiae correctae referendo definitur (ibid. § 3. Cf. c. 1840, § 3).

Caput I. - De appellatione

237. - *Notio*. Appellatio definitur : « Provocatio a iudice ad superiorem rite facta, sententiae corrigendae vel infirmandae causa » (Cf. c. **1879**).

Dividitur a scriptoribus in *iudicialem* et *extraiudicialem*, prout ab actu iudiciali vel extraiudiciali ad Superiorem maiorem provocatur. Codex voces « appellatio extraiudicialis » non usurpat, etsi rem non sustulit ; sed eam nomine « recursus » v. g. c. 2243, § 2 designavit. Ceterum maximum inter utramque discrimen vigebat.

Quando re vera nullum gravamen iniustum e sententia ortum vel oriundum est, appellatio vocatur *frivola* seu *irrationabilis*, quae futili ratione nititur, vel *frustatoria*, quia iudicium impedit.

Appellare possunt pars victa, pars etiam vincens, sed quae totum

intentum iniuste, ut putat, non obtinuit, promotor iustitiae et defensor vinculi. Immo iste a prima sententia contra vinculi matrimonialis firmitatem appellare debet.

Excommunicatis omnibus a sententia in suum detrimentum lata *appellare* ius vetus permittebat (1). Quod defensionis remedium etiam sub novo iure negandum non est ; id enim postulat aequitas naturalis (2), admittit per se c. 1879 (*pars victa*) et quatenus appellatio potius cum exceptione quam cum actione conferri potest, canone 1654 (supra, n. 79) non excludi censemus.

238. - *De causis quae appellationem non admittunt.*

Etsi lex partibus omnia media sui iuris prosequendi debet suppeditare, appellationem stricte dictam concedere non tenetur. Est tamen optimum iustitiae exercendae medium ; quare a legibus nationis excultae vix exsulat. Sunt tamen causae in quibus non admittitur, quae c. 1880 *taxativae* proponuntur.

« Non est locus appellationi (**c. 1880**) :

« 1° A sententia ipsius S. Pontificis », quia Superiorem in terris non habet (c. 1556), « vel Signaturae Apostolicae », quae iure communi supremum tribunal constituitur, ita ut rationes suarum sententiarum exprimere non debeat (Cf. cc. 1602. 1605).

« 2° A sententia iudicis qui a S. Sede », i. e. a R. Pontifice vel a Tribunali ordinario S. Sedis, « delegatus est ad videndam causam cum clausula « *appellatione remota* » ».

Alii iudices ordinarii vetare non possunt quin a sententia suorum delegatorum appelletur.

« 3° A sententia vitio nullitatis infecta ».

Reformari enim non potest, quod non est.

« 4° A sententia quae in rem iudicatam transiit ».

Quia bonum publicum exigit ut intra certos temporis fines causae finiantur. Iam vero lex praesumit iudicem omnia recte gessisse et partes, quae appellationem omiserunt, ipsi sententiae consensisse (cf. c. 1904).

« 5° A definitiva quae iureiurando litis decisorio innixa est ».

Continet enim transactionem seu iuri renuntiationem.

« 6° A iudicis decreto », contra quod patet recursus extraiudicialis ; « vel a sententia interlocutoria, quae non habeat vim definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva ; »

Unio enim utriusque appellationis absolutionem causae magis expeditam et celerem facit.

« 7° A sententia in causa pro qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam ; » v. g. in causa suspicionis adversus iudicem (c. 1616).

« 8° A sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgaverit ; »

(1) c. 5, X, *de exceptionibus*, II, 25. — c. 1, *de rescriptis* in VI°, 3. — Cf. REIFFENSTUEL, in l. II, t. 28, n. 35.

(2) c. 5, X, *de exceptionibus* II, 25.

Qui enim iudicem inferiorem contempsit, non est dignus qui a iudice superiore audiatur.

« 9° A sententia lata contra eum qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare. »

239. - *De procedura appellationis.*

1. Appellans sive *appellator* sive *gravatus* dicitur « *interponere appellationem* » contra *appellatum*, coram *iudice a quo* sententia lata est et « *appellationem prosequi* » coram iudice *superiore ad quem* dirigitur, in superiore *instantia* seu *gradu*.

2. *De modo faciendae appellationis.*

Appellans potest in ipso tribunali, statim post lectam sententiam, *oretenus* declarare se appellationem interponere ; secus, debet *libellum appellatorium* ad iudicem a quo dirigere.

Quodsi scribere nesciat, appellationem proponet coram iudice et notario, qui documentum de ea statim conficiet (**c. 1882**. Cf. c. 1707),

Ad appellationem coram iudice superiore prosequendam, satis est ut appellans ministerium eius invocet, adiungendo petitioni exemplar sententiae et libelli appellatorii (c. 1884, § 1).

Sub iure veteri, iudex inferior dabat « **apostolos** » ad iudicem superiorem seu litteras quibus eum de appellatione admissa certiorem faciebat, itaque causam ad eum dimittebat (ἀποστέλλω) ; sed iam nunc in usu non sunt.

3. *De fatalibus appellatoriis.*

Appellatio interponenda est intra **decem dies** a notitia publicationis sententiae ; atque ab appellante prosequenda est intra mensem ab interpositione (**cc. 1881. 1883**).

Dies computantur a media nocte post notitiam publicationis sententiae, mensis a media nocte post interpositionem appellationis et cessat expleto die eiusdem numeri mensis sequentis (cf. c. 34, § 3). Qui v. g. appellavit die 6^{a} februarii, debet invocare ministerium iudicis superioris ante expletam diem 6^{am} mensis martii.

Si appellans exemplar sententiae necessarium ad prosequendam appellationem intra tempus utile non receperit, termini currere non incipiunt, i. e. tempus utile suspenditur donec exemplar fuerit a iudice primae instantiae rite praestitum (**c. 1884**, § 2). Si alterutra pars moriatur vel statum mutet antequam appellationem interponere vel prosequi potuerit (cf. c. 1733), tempus utile ad appellandum vel ad ius prosequendum incipit a die quo sententia aut appellatio facta a defuncto vel ab eo qui statum mutavit ad eius heredes vel successores denuntiata est (**c. 1885**).

4. Acta processus a tribunali a quo ad tribunal Superioris mittenda sunt, coram quo causa denuo iuxta normas in praecedentibus titulis expositas agitabatur (**c. 1890**. coll. cc. 1595. 1596. 1644).

5. « Inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice *a quo*, sive coram iudice *ad quem*, deserta censetur appellatio » (**c. 1886**).

Sententia plerumque hac renuntiatione in rem iudicatam transit.

240. - *De effectibus appellationis.*

I. *Quod ad partes.*

1° Appellatio facta ab alterutra parte alteri prodest ; immo facta ab una parte super uno sententiae capite, facultatem facit alteri appellandi ad modum causae incidentis, i. e. probato nexu causarum, a reliquis capitibus, etiam si fatalia appellationis pro ipsa sunt transacta, v. g. si notitiam appellationis adversarii tardius quam decem diebus post sententiam definitivam acceperit ; potest praeterea sic appellare sub condicione recedendi, si alter quoque a sua appellatione recedat. Iamvero « si sententia plura capita contineat, et appellans quaedam tantummodo capita impugnet, cetera capita exclusa habeantur » ; qui nullum caput determinando appellat, a tota sententia appellare censetur (**c. 1887**).

2° Appellatio facta ab uno e correis aut actoribus aliis et prodest et nocet, « quoties res petita sit individua aut obligatio solidalis » (**c. 1888**).

Etsi enim solus appellans impensas sustinet, si sententia confirmatur, nova sententia contra omnes invocari potest.

II. *Quod ad exsecutionem sententiae.*

Omnis appellatio *devolvit* causam ad iudicem superiorem, sententiae vero effectum *regulariter*, non tamen semper, suspendit. Interdum enim ius expresse aliud declarat, v. g. ubi agitur de censuris per sententiam iudicialem vel ad modum praecepti inflictis (**cc. 1889**, 2243).

Distinguunt igitur appellationem *in devolutivo* tantum ab appellatione in *suspensivo*, in qua locus est applicationi principii : « lite pendente, nihil innovetur ». Quare quidquid vel a iudice vel a partibus innovaretur, *attentatum* esset, per iudicem superiorem in statum pristinum reducendum. Aequitas tamen exigit ut, etiam suspenso effectu sententiae, persona in gravi necessitate non relinquatur ; quare, modo indemnitati alterius partis cautum sit, provisoria exsecutio a iudice in hoc casu iuberi potest (c. 1917, § 2).

III. *Quod ad ipsam litem.*

Ex fine suo appellatio eo tendit ut prior sententia vel confirmetur vel reformetur, sive ex toto sive ex parte. Quare niti debet dictis et allegatis in prima instantia ; et nova petendi causa, ne per modum quidem utilis *cumulationis*, admitti potest (**c. 1891**, § 1).

Id est, appellans non potest ius suum ex novo *titulo* vindicare, nec titulo in prima instantia adhibito alium addere, v. g. actioni petitoriae actionem possessoriam nunc coniungere.

Nova tamen documenta vel probationes non omnino excluduntur ;

testes autem novi adduci possunt ii soli quos impossibile fuit in prima instantia adducere et remoto omnis subornationis periculo (cc. 1891. § 2 ; 1786. 1861).

Caput II. - De querela nullitatis

241. - 1. Quaerela nullitatis est remedium ordinarium iuris contra sententiam quae vitio nullitatis laborat.

Quodnam vitium nullitatis sit *insanabile*, quodnam *sanabile*, lege definitur. Lex autem illud vitium nullitatis insanabile declarat quod *ex natura rei* oritur, sanabile vero quod soli *partium utilitati* officit. In isto casu, partes suo commodo renuntiare possunt ; in priore, bonum publicum agitur.

2. Sententia vitio *insanabilis nullitatis* laborat, si oritur ex incompetentia *absoluta* iudicis, cui annectendus est defectus tribunalis collegialis quod ad iudicum numerum ; ex incapacitate standi in iudicio, etiam in alterutra tantum parte ; ex defectu legitimi mandati in procuratore (**c. 1892**).

3. Nullitas est *sanabilis*, si omissa est sollemnitas lege ad validitatem requisita, sc. legitima citatio, indicatio rationum, subscriptio, indicatio diei et loci (**c. 1894**).

242. - *De usu querelae.*

1. Magnum discrimen viget inter modum et tempus utendi querela nullitatis, prout vitium est insanabile vel sanabile. Ubi enim desiderabatur qualitas in personis requisita, nihil actum est ; ubi omissa est sollemnitas, substantia iuridica subtrahitur. Ab actu prorsus nullo appellatio non intellegitur ; confirmari enim vel corrigi nequit. Cum praeterea nemo beneficio legis ob bonum commune statutae renuntiare possit, perfecta tantum praescriptio actionem exstinguit. Quare :

2. Contra sententiam insanabiliter nullam actio nullitatis moveri potest per triginta annos coram ipso sententiae auctore. Exceptio, ex natura sua, in perpetuum et coram quolibet iudice opponi potest (**c. 1893**). — Sententia nulla et sanabilis impugnari potest simul appellatione et actione vel exceptione aut unice querela nullitatis. Appellatio intra decendium est facienda ; ad querelam faciendam spatium trium mensium conceditur. — Appellatio causam ad iudicem superiorem defert, querela movetur coram sententiae auctore (**c. 1895**). Termini currunt a notitia publicationis sententiae in priore casu, in altero, a publicatione sententiae (cf. cc. 1881. 1895).

3. Ius est partibus exigendi ut alius iudex ac sententiae nullius

auctor querelam nullitatis examinet et definiat. Quod si fecerint, alius iudex ab Ordinario, vel si ipse Ordinarius iudex fuit, ab eius immediato superiore subrogatur. Causa tamen in eodem iudicii gradu definitur (c. **1896**).

4. Querela nullitatis potest quoque interponi a promotore iustitiae vel defensore vinculi. Immo Codex concedit ipsi iudici facultatem sententiam suam intra terminos supra definitos retractandi et emendandi (c. **1897**).

Cum Codex in nullo canone huius capitis inter iudicem ordinarium et delegatum distinguat, censendus est delegatus mandatum non explevisse lata sententia nulla, ideoque nova delegatione non indigere ut querelam nullitatis admittat et definiat.

Caput III. - De oppositione tertii

243. - 1. Oppositio tertii est remedium iuris extraordinarium « vi cuius qui ex sententia suorum iurium laesionem verentur, possunt sententiam ipsam ante exsecutionem impugnare eique se opponere » (c. **1898**).

Remedium est extraordinarium, quia conceditur illi qui in causa nullam partem habuit. — Differt ab *interventu tertii* in causa tum tempore utili, tum ambitu motivi. Interventus enim proponi potest tantum ante conclusionem in causa, et etiam ab eo « cuius interest », etsi forte grave praeiudicium ipse non sit passurus (Cf. c. 1852 ; supra, n. 220).

2. *De procedura.*

Oppositio proponenda est ante sententiae exsecutionem (c. 1898) sive tamquam causa incidens coram iudice sententiae auctore sive sub forma appellationis (c. **1899**, § 1). — Opponens, ut admittatur, probare debet sibi saltem ex sententiae exsecutione grave praeiudicium oriturum esse (ibid., §§ 2. 3).

3. Si opponens saltem periculum gravis praeiudicii non probet, sententia exsecutioni mandatur (ibid., § 4). Manet tunc remedium actionis de damno illato. Si admittatur oppositio, instantia iuxta propositionem agitur ad normam causae incidentis aut servatis appellationis normis (c. **1900**).

« Causa ab oppositore victa, sententia antea lata mutanda est a iudice, secundum oppositoris instantiam » (c. **1901**).

Hic iudex est iudex appellationis, si opponens ista via utatur ; auctor primae sententiae, si res ad modum quaestionis incidentis agatur (c. 1900).

TITULUS XV

DE RE IUDICATA ET DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM
(cc. 1902-1907)

Scriptores : LEGA, *De iudiciis*, I, nn. 696, ss. 229, ss. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium* V, n. 671, ss. 726, ss. — AUGUSTINE, O. S. B., *A commentary*, VII, in h. cc. — NOVAL, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

244. - Ordo Codicis. Titulus duabus partibus constat, quarum altera rei iudicatae naturam (c. 1902), fines (c. 1903) et effectus (c. 1904) definit, altera condiciones et processum restitutionis in integrum (cc. 1905-1907).

I. DE RE IUDICATA

245. - 1. *Notio.* Res iudicata communiter *definitur* sententia definitiva quae iam, qua talis, infirmari nequit.

Vi verborum potius indicat ipsam controversiam quae sententia absolvitur.

Res iudicata triplici ratione obtinetur, sc. 1o confirmatione prioris sententiae in secunda instantia ; 2° omissione vel derelictione appellationis ; 3° exclusione iuridica appellationis (**c. 1902**. Cf. c. 1880. Supra n. 238.)

Sub iure veteri, res iudicata non habebatur nisi post *triplicem* sententiam (1) (Cf. LEGA, *De iudiciis*, II, n. 632, 40).

2. *Fines.* Quaedam causae in rem iudicatam numquam transire possunt, nempe eae quae *de personarum statu* sunt, i. e. de vinculo matrimoniali, sacrae ordinationis, professionis religiosae.

Attamen post duplicem sententiam conformem, nova causae propositio non admittitur, « nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis » (**c. 1903**). Praesumptio igitur veritatis sententiae admittitur, quae tamen ad acta et probata restringitur.

In rem iudicatam per se non transeunt sententiae laborantes nullitate insanabili. Re vera enim nulla sententia exstat. — Multo plures sententiae sub iure veteri dicebantur in rem iudicatam non transire, quae nunc remedio extraordinario restitutionis in integrum sunt reformandae.

3. *De effectibus rei iudicatae.*

« Res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera », i. e. iudex censetur tum subiective tum obiective veritatem iuris definivisse (**c. 1904**, § 1).

Haec praesumptio nititur fide qua legislator iudicem dignum habet et maxime iurisdictione, cui se omnes submittere debent, modo cautiones sufficientes ad ius prosequendum concessae fuerint, ne iura perpetuo nutent. — Impugnatio huius praesumptionis indirecta tantum permittitur, prosequendo, in casibus can. 1905,

(1) Cf. c. 39, *de appell.*, X, 28. — c. 65, *eod. tit.* — *Clem.* I, de *sent. et re iud.* II, 11.

restitutionem in integrum. — Quaerunt num haec praesumptio in foro interno veritati praevaleat. *Negative* respondendum est, cum nulla lex rei iudicatae vim praescriptionis tribuat neque iure naturae sententia falsa *certum* debitum exstinguere possit.

Quare : 1° facit ius *firmum*, sed *inter partes* tantum ita ut tertiae personae *de iure* neque prosit, neque noceat.

2° Victori competit *actio rei iudicatae*, ad obtinendam sententiae exsecutionem ; utrique parti *exceptio rei iudicatae* « ad impediendam novam eiusdem causae introductionem » (ibid., § 2).

II. DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM

246. - 1. **Restitutio in integrum** est « remedium iuris extraordinarium quo graviter laesus ex naturali aequitate per officium iudicis reducitur in eum statum iuris in quo fuerat ante laesionem » (LEGA, *o. c.*, n. 269).

2. Praeter condiciones in cc. 1687. 1688 (Cf. supra, nn. 118. 119) definitas, ut remedium istud contra rem iudicatam concedatur, requiritur ut « de evidenti iniustitia rei iudicatae manifesto constet » (**c. 1905**). Cuius evidentiae condiciones Codex taxative enumerat. Sunt vero sequentes :

1° Detecta, postquam sententia in rem iudicatam transiit, aperta *falsitas documenti* cui sententia nititur.

2° Detecta, eodem tempore, *documenta* « quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent », i. e. quorum vis probativa, relate ad necessitatem mutandae sententiae, nulli controversiae sit obnoxia.

3° Iniusta sententia ex *dolo* partis in *damnum* alterius prolata, v. g. subornatione testium, falso iureiurando decisorio.

4° *Evidens* neglectus legis praescripti, etiam processualis, modo gravis sit et vere damnosus (1).

Ne iudex se ipse damnare cogatur, restitutio petita ex neglecto a iudice praescripto legis a tribunali appellationis conceditur ; petita propter alias causas, ab ipso iudice qui sententiam tulit : ipsius enim interest ut suam sententiam corrigat. Ideo petitio ab ipso est admittenda et novum iudicium instaurandum est. Excipitur S. R. Rota, de cuius sententiis nullis aut materialiter vel formaliter iniustis cognoscit sola S. Signatura (cc. **1906**. 1603).

4. *De effectu petitae restitutionis.*

Petitio restitutionis exsecutionem sententiae nondum inceptam suspendit, nisi probabilis suspicio habeatur restitutionem peti ad moras exsecutioni nectendas. Quo casu, iuri possibili petentis providetur idonea cautione constituta. — Exsecutionem sententiae iam inceptam petitio non suspendit (**c. 1907**).

(1) Cf. S. D'ANGELO, in *Ephem. th. Lov.*, 1926, 355, ss.

TITULUS XVI

DE EXPENSIS IUDICIALIBUS ET GRATUITO PATROCINIO
(cc. 1908-1916)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, n. 704, ss. — Wernz. S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 675, ss. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

247. Ordo Codicis. - Cum quaestione principali de iudiciis alia accessoria necessario conectitur, nempe quis quasnam impensas iudiciales solvere debeat aut, si casus ferat, quonam titulo possint partes gratuito patrocinio frui.

Caput I. - De expensis iudicialibus

248. - 1. Etsi ius gratuito dicitur (Cf. c. 1624. Supra, n. 65), variae impensae post omnem causam solvendae sunt, ut iustum operae pretium solvendum procuratoribus, advocatis, cancellariis etc., ad indemnes faciendos testes, etc. **Expensae iudiciales**, stricto et hic usurpato sensu, vocantur sumptus qui ad ipsam actionem publice persequendam necessarii sunt, ut stipendia ministrorum tribunalis, indemnitas testium et peritorum, sumptus transcriptionis documentorum, etc. — Quare partes, nisi titulo paupertatis ab his omnino vel partim eximantur, in omni causa *contentiosa* possunt adigi ad aliquid solvendum titulo expensarum iudicialium (**c. 1908**). In criminali, promotor iustitiae qui nomine societatis partes actoris agit, nullum inde emolumentum referre debet. Multis vero quae in iudicio criminalis saepe imponuntur, fisci necessitatibus saltem partim providetur.

2. *Determinatio taxarum* et retributionum in genere facienda est in Concilio provinciali vel coetu episcoporum ; potest iudex exigere ut pecunia ad solvenda debita aut cautio penes cancellariam tribunalis deponatur (**c. 1909**).

Haec definitio Concilio provinciali vel coetui episcoporum committitur quia decet ut in eadem regione eaedem normae circa impensas vigeant, ne illi avari, isti prodigi videantur.

3. *Principium generale.* « Victus victori iudiciales expensas regulariter reficere tenetur tum in causa principali, tum in incidenti », quo certius compescatur audacia temere litigantium. Immo ad damna sarcienda condemnari potest qui temere litigavit (**c. 1910**).

4. *Exceptiones.* 1° Si causa satis obscura fuerit ut ministerium iudicis paene necessarium fecerit vel ex litigantium familiaritate videantur ad eius ministerium non recurrisse nisi reluctanter, impen-

sae poterunt iuxta prudens iudicis arbitrium inter utramque partem compensari (c. **1911**).

2° « Si plures sint in causa qui condemnationem ad expensas mereantur, iudex eos damnet in solidum, si agatur de obligatione solidali ; aliter, pro rata » (c. **1912**).

5. *De recursu contra damnationem.*

Cum condemnatio ad impensas sit pars exsecutionis sententiae, si a sententia appellatur, *simul* appellatio ab eadem damnatione interponitur ; sed contra solam damnationem ad expensas datur tantum *oppositio* coram iudice causae principalis, qui de re denuo cognoscere poterit et taxationem emendare et moderari (c. **1913**).

Quae oppositio non est appellatio, nam ad eundem iudicem dirigitur, nec querela nullitatis, cum non impugnetur validitas sententiae, sed eius moderatio petatur.

Caput II. - De gratuito patrocinio aut expensarum iudicialium deminutione

249. - 1. Expensae iudiciales simul impedimentum quominus pauperes suum ius prosequantur atque remedium contra nimiam litigandi cupiditatem esse possunt. Quare oportuit providere gratuito patrocinio pauperum et definire quonam in casu ab expensis iudicialibus ex toto vel partim eximerentur.

2. *Principium.* « Pauperes, si in totum impares sint expensis iudicialibus sustinendis, ius habent ad gratuitum patrocinium ; si ex parte tantum ad expensarum deminutionem » (c. **1914**).

Ex sola sua sociali *condicione* homines divites vel pauperes iudicari nequeunt. Pauperes habentur qui reditu quotidiano ita vivunt ut nihil supersit ; quae non est, nunc saltem, condicio omnium opificum.

3. Si quis omnino impar sit expensis solvendis, conceditur patrocinium gratuitum, ad quod praestandum etiam poena adigi potest, ex mandato iudicis, aliquis ex advocatis in suo foro approbatis ; illis deficientibus, officium suscipit aliqua persona idonea ab Ordinario loci designata (c. **1916**).

Ne tamen qui partibus auxilium praestant, avaritia hominum sua remuneratione frustrentur, iudicis officium est inquirere, etiam notitiis secretis, de vero statu partis quae se pauperem profitetur. — Praeterea quia cupiditati litigandi non est favendum, qui exemptionem ab expensis vel deminutionem earum postulat « probare debet se non futilem neque temerariam causam agere » (c. **1915**).

Debet nempe in supplici libello ostendere causae suae difficultatem saltem eam esse quae examen necessarium reddat. In dubio, petenti favendum est, quia pauperibus media suo iuri defendendo apta recusare inhumanum videtur.

TITULUS XVII

DE EXSECUTIONE SENTENTIAE
(cc. 1917-1924)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, n. 714, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 673, ss. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

250. - I. *De requisitis ad exsecutionem.*

1. Exsecutio est actus iudicialis quo victori vere praestatur quod per sententiam obtinuit (Wernz, *o. c.*, n. 673, nota 73).

Sententiae mere *absolutoriae* exsecutione non indigent, neque, per se, condemnatoriae ad censuram, cum censurae secum trahant exsecutionem. Potest tamen fieri in criminalibus ut absoluto iura indebite erepta exsecutione restituenda sint.

Quamdiu sententia in rem iudicatam non transiit, ea firmitate non gaudet quae definitivam exsecutionem permittat ; quare *provisoria* tantum permittitur, ubi gravis urget necessitas. Extra casum quo de provisionibus seu de praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis agitur, etiamsi provisoria tantum exsecutio conceditur, indemnitati partis victae, adhibitis necessariis cautelis, omnino est providendum (c. **1917**).

2. Exsecutio sententiae edicitur decreto *speciali* iudicis, quod exsecutorium vocant ; includitur autem in ipso sententiae tenore, si nulla exsecutionis difficultas praevidetur, secus separatim editur, quo facilius, intacta sententia, motae contra exsecutionis modum vel vim quaestiones expediantur (c. **1918**).

3. « Si sententiae exsecutio praeviam rationum redditionem exigat, causa incidens habetur, ab illo ipso iudice, servatis de iure servandis, decidenda, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam » (c. **1919**).

251. - II. *De exsecutionis auctore.*

1. Inter saeculares, exsecutor est *Ordinarius loci* in quo sententia primi gradus lata est (c. **1920**, § 1).

Immutato iure veteri, exsecutio ad iudicem per se iam non spectat, etiam si delegatus S. Pontificis sit. Si Officialis vel iudex delegatus iudicio praefuerit, ad sententiam exsecutioni mandandam speciali delegatione indiget ; Vicarius vero generalis ex officio exsecutor sententiarum est. — Notandum est Ordinarium loci primae instantiae esse exsecutorem sententiae quae in appellatione lata est.

2. *Iudex appellationis* supplet, ad instantiam partis vel etiam ex officio, malae voluntati vel negligentiae exsecutoris, eius partes assumendo (ibid., § 2).

3. « *Inter religiosos* exsecutio sententiae spectat ad Superiorem, qui definitivam sententiam tulit aut iudicem delegavit » (ibid., § 3).

Inter religiosos enim, qui sententiam definitivam non delegatus ferre potest, est Superior maior.

4. *De potestate exsecutoris.*

Merus exsecutor *per se* de merito sententiae iudicare nequit, sed « sententiam ipsam, secundum obvium verborum sensum, exsecutioni mandare debet » (**c. 1921**, § 1). Sententiam manifesto iniustam exsequi non tenetur, sed partes ad eius auctorem remittere (ibid., § 2) Contra atque ius vetus decernebat, potestas agnoscitur exsecutori videndi « de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis » (ibid.). Tandem amplior potestas ipsi ab Ordinario delegari potest, et planum est (ibid.).

252. - III. *De modo exsecutionis.*

1. In actione *reali*, res adiudicata actori est quam primum tradenda ; in actione vero *personali*, *quadrimestre* conceditur pro implenda obligatione. Terminus praescriptus potest a iudice duobus mensibus coarctari vel prorogari (**c. 1922**).

De actionibus realibus vel personalibus, cf. supra n. 89.

2. Nemo privari potest bonis vel rebus quae victui vel industriae, qua victum comparat, deserviunt ; clericis praeterea, vi privilegii competentiae, ea relinquenda sunt quae ad honestam sustentationem necessaria sunt (**c. 1923**, § 1. Cf. c. 122. *Epitome*, I, 211.)

3. Clerici *Romipetae* seu qui ad S. Sedem recurrunt, beneficio privari non possunt ; Ordinarius tamen loci ad quem spectat exsecutio, Vicarium substitutum nominare debet quotiens beneficio annexa est cura animarum (c. 1923, § 2. Cf. c. 474. *Epitome*, I, 517. 518.)

4. Reum reluctantem ad exsecutionem cogere licet ; sed a minore poena ad maiorem erit gradatim procedendum. Quare primo monendus erit secreto vel publice, dein praeceptum ei imponatur cum comminatione poenae, tum ad privationes temporaneas deveniendum, tandem ad censuras (**c. 1924**).

SECTIO II - DE PECULIARIBUS NORMIS IN CERTIS QUIBUSDAM IUDICIIS SERVANDIS

253. - Quo melius unitati prioris sectionis, generalis, de iudiciis consuleretur, huic alteri reservatae sunt controversiae vel causae quae speciales normas postulant. Simul nunc agitur de iis iuris controversiis quas, vitato iudiciorum strepitu, componere licet (tit. XVIII) aut quae propter suum speciale *obiectum* peculiares processus formas requirunt, sc. causae criminales (tit. XIX) et matrimoniales (tit. XX). Subiungitur tit. XXI de causis s. ordinationem respicientibus, quae saepius modo administrativo solvuntur. Iam c. 1555, § 3 docebamur causas de dimissione religiosorum peculiari processus forma agendas esse.

TITULUS XVIII

DE MODIS EVITANDI IUDICIUM CONTENTIOSUM
(cc. 1925-1932)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, I, n. 6, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 33, ss. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

254. - Ordo dicendi. Quaestiones quae iura mere *privata* spectant solvi possunt tum potestate publica, per ministerium iudicis, tum privata auctoritate, transactione vel compromisso in arbitros. De his scriptores omnes in titulo praeliminari ad iudicia agunt, cum sint media iudicii evitandi. Sed hae tractationes omni iudicio non sunt necessario praemittendae eiusque proinde non sunt pars essentialis. Iamvero partes litigantes duplici modo iudicium evitare possunt, sc. aut rem inter se amice *componendo* seu transactione (cc. 1925-1928) aut *committendo* totam rem *tertiae personae* dirimendam, cuius sententiae acquiescere velint seu compromisso in arbitros (cc. 1929-1932).

Caput I. - De transactione

255. - 1. Transactio proprie accepta est de re dubia et lite incerta pactio non gratuita (Cf. d'Annibale, II. n. 557).

Lato sensu accipitur pro omni compositione amicabili. Stricte intellecta est contractus onerosus bilateralis, qui ordinatur ad litem finiendam vel praeveniendam. Requiruntur ergo ad eam faciendam tum subiectum contrahendi et alienandi capax, tum res dubia et arbitrio alienantis permissa.

2. Ecclesia pro sua indole conventionibus semper multum favit, quibus diuturniores et acriores disputationes evitantur. Quare **c. 1925** enixe commendat iudici ut, sive ante litis contestationem sive opportuniori, quo poterit, ipsius instantiae tempore, partes ad transactionem hortetur. Cuius negotii tractandi munus alii regulariter committet, praesertim uni e iudicibus synodalibus.

Notabile est Codicem partes ad transigendum non cogere, etsi plures Codices civiles, praeeunte Codice gallico, saltem in quibusdam casibus bene determinatis, id faciant.

3. In transactione servandae sunt leges civiles loci in quo initur, non contrariae iuri divino vel ecclesiastico (**c. 1926**).

Hoc praescriptum non est nisi applicatio c. 1529 ad hanc *contractuum* speciem et providet ut iura inter partes composita certius ac facilius serventur. — Canones qui specialem S. Sedis vel Ordinarii consensum in aliquo negotio perficiendo exigunt, praeterea servandi erunt, v. g. ad transigendum de sacra reliquia, de re pretiosa vel de bonis valoris saltem 30.000 lib.

4. *De obiecto transactionis* (**c. 1927**).

Quaedam iura a transactione excluduntur, sive quia pactio iure divino adversaretur sive quia bono publico nocere posset. Quare transactio fieri *valide* nequit :

1° « In causa criminali ; »

Delicta enim puniri ad bonum totius communitatis pertinet ideoque causa privata non est. Nihil tamen prohibet quin de *damnis* transigatur.

2° « In causa contentiosa in qua agitur vel *de matrimonio dissolvendo* vel

3° « de materia beneficiaria, cum *de* ipso *beneficii titulo* disceptatur, nisi legitima accedat auctoritas ; »

Matrimonium validum, etiam non consummatum, non est solo partium consensu dissolubile. — Cum *titulus* beneficii per canonicam institutionem acquiratur, privati de eo transigere non possunt ; possunt vero de fructibus beneficii iam perceptis vel ab ipso beneficiario percipiendis ; de iure enim sui successoris nemo potest pacisci. Attamen c. 1486 renuntiationem beneficio litigioso sub certis condicionibus, annuente Ordinario, permittit. Cf. *Epitome*, II, 809.

4° « Nec de rebus *spiritualibus* quotiescumque interveniat solutio rei temporalis » (c. 1927, § 1).

Transactio improprie dicta seu gratuita concessio non prohibetur ; nec proprie dicta, si res spiritualis pro re spirituali commutetur. Nulla enim tunc est simonia. Pro quibusdam tamen rebus concedendis, requiritur beneplacitum apostolicum.

5. *De effectibus transactionis* (c. **1928**).

1° Transactione lis praevenitur vel eidem finis imponitur. Qui effectus *compositio* seu *concordia* vocatur. De effectibus in specie consulendum ius singularum civitatum.

Transactio gaudet favore iuris, i. e. a iudice probanda et confirmanda est, etsi Ecclesiae ex ea non magna proveniat utilitas ; sed ipsa transactio est strictae interpretationis, quia continet cessionem iuris. Cf. Lega, *o. c.*, n. 13, 2.

2° Aequiperatur sententiae iudiciali vel rei iudicatae. Ab ea, altera parte legitime invita, recedere non licet.

3° « Expensarum quas transactio postulaverit, nisi aliud expresse cautum sit, utraque pars dimidium solvat » (c. 1928, § 2).

Caput II. - De compromisso in arbitros

256. - Notio. 1. Compromissum in arbitros est « conventio qua aliqua controversia iudicio vel arbitrio boni viri definienda permittitur ex partium consensu » (Cf. Lega, *o. c.*, n. 16).

Haec forma rei componendae ad iudicium iam magis accedit, cum partes non inter se agant, sed sententiae alius se committant, qua causa definitive dirimitur.

Veteres auctores distinctionem inducebant, quam Codex confirmavit, inter arbitros et arbitratores.

Arbiter, in hodierno iure, est persona quae, privata conventione designata, rem controversam ad instar iudicis et ad normam iuris seu servatis iuris canonici vel civilis normis, dirimat sententia cui partes stare debent.

Arbitrator dicitur eadem persona, si, omissis iuris normis, ex aequo et bono, i. e. pro prudenti suo de causa iudicio negotium pertractat et de quaestione transigit (c. **1929**).

In veteri iure canonico arbitri erant alii *iuris*, i. e. lege designati, alii *compromissarii*, seu a partibus libere electi. Primi vera iurisdictione gaudebant, secus ac secundi. Nostro iure arbiter est persona privata neque vera iurisdictione gaudet. Praeterea, dum sub iure Decretalium partes interdum in arbitros compromittere debebant, hodie possunt conventionem de compromisso in arbitros inire, sed ad eam non coguntur. Appellatio a sententia arbitri lege concedi potest ; ab arbitratoris sententia, non est cur concedatur, cum certae iuris normae non fuerint adhibitae.

2. Servandae sunt iuris civilis normae ; et compromissum iu iisdem causis ac transactio prohibetur (**c. 1930**).

3. Praeter personas quas a munere arbitri ius naturale excludit, ut infantes, amentes, ebrios etc., positivo iure inhabiles sunt laici in causa ecclesiastica, itemque excommunicati et infames, saltem tales sententia declarati. — Religiosi monentur ne sine Superioris licentia munus istud suscipiant (**c. 1931**).

A munere *arbitratoris* nemo solo iure ecclesiastico excluditur.

TITULUS XIX

DE IUDICIO CRIMINALI
(cc. 1933-1959)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, t. IV. — Bouix, *Tractatus de iudiciis*, II p. 1, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, VII, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

257. - 1. Omnis societas perfecta, ac proin ipsa Ecclesia, in delinquentes saevire debet. In hoc libro nec delicta nec poenae definiuntur, sed specialis ordo processualis. Fere proprium est Codicis canonici ut correptio locum condemnationis interdum occupare possit.

2. Itaque is erit **ordo dicendi.** Post canonem praeliminarem de obiecto iudicii criminalis (c. 1933), Codex agit de duplici modo istud introducendi (Cap. I et II) ; dein de correptione iudiciali, qua iudicium evitatur vel suspenditur (Cap. III) ; tandem de instructione processus et rei constitutione (Cap. IV).

INTRODUCTIO. DE FINE, OBIECTO ET FORMIS IUDICII CRIMINALIS

258. - 1. **Finis** iudicii criminalis est delicta fidelium declarare et poenis sancire tum ut reus emendetur, tum ut ordo publicus laesus restituatur. De fine poenarum ecclesiasticarum cf. commentarium ad cc. 2214. 2215.

2. De **obiecto** iudicii criminalis.

1° Delicta quae cadunt sub criminali iudicio sunt per se omnia et sola **delicta publica** (**c. 1933**, § 1).

Delictum ecclesiasticum est « externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica, saltem indeterminata » (c. 2195, § 1).

Duobus elementis essentialibus constituitur, sc. *externa legis* divinae vel humanae *violatione*, cui *ipso iure poena* addita est. Iuxta eundem canonem, praeceptum cum sanctione poenali legi est aequiperandum, nisi contrarium appareat.

Delicta publica quaenam dicenda sunt, in ordine ad iudicium criminale ? Prima specie dixeris recurrendum ad definitionem ipso Codice datam, sc. « Delictum est publicum, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (c. 2197). Non desunt tamen obiectiones, quae sic proponuntur (1) :

a) Ecclesia etiam magis quam societas civilis in delicta occulta inquirere debet, tum ut impunita non maneant, tum ut scandalum ex eorum divulgatione oriundum vitetur ;

b) Sub eodem titulo agitur de actione accusatoria et de inquisitione. Iamvero sufficiunt ad inquisitionem faciendam denuntiatio et ad iudicium instituendum « certa vel saltem *probabilia* et *sufficientia ad accusationem instituendam argumenta* » ;

c) Inquisitio secreta semper esse debet, et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur... » (c. 1943).

Quare delicta quae sub criminali iudicio veniunt, sunt delicta saltem *iure* publica, i. e. quae in foro externo demonstrari possunt, etiamsi publica *facto* non sint iuxta definitionem c. 2197 datam.

Ad hanc conclusionem corroborandam addi potest definitio in titulo de matrimonio data « Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest ;... ». Definitio autem quae c. 2197 traditur ad applicationem poenarum referendam esse dicetur ; est enim in libro V° : de delictis et poenis. Tandem sub veteri iure satis erat ad instituendum iudicium criminale ut delictum demonstrari posset (2).

Solutio difficultatis in distinctione inveniri potest. Etsi contra delictum non facile divulgandum ad *correptionem iudicialem* deveniri potest, iudicium criminale proprio sensu tamquam obiectum habebit sola delicta quae iuxta definitionem c. 2197 publica sint.

Qua distinctione obiectionibus supra propositis satisfieri videtur ; ratio habetur ipsius textus Codicis « Ordinarius, *loco* criminalis iudicii, utatur correptione iudiciali », quae inquisitione secreta fuit praeparanda ; servatur definitio in ipso Codice data in materia omnino conexa, sc. in libro « de delictis et poenis ». Iamvero *iudicium* criminale declarationem vel irrogationem poenae tamquam finem habet. Adde c. 1933, § 4 satis providere delictis certis, non facto publicis.

Transgressiones legis etiam non poenalis, si notabiliter scandalosae vel specialiter graves fuerint, obiectum iudicii criminalis fieri possunt (cf. c. 2222, § 1), dummodo aliae condiciones, v. g. divulgatio timenda, impleantur (3).

2° *Excipiuntur* tantum ab obiecto iudicii criminalis certa clericorum delicta quae processu mere administrativo puniuntur, sc. non

(1) *Monit. eccl.*, 1924, 276, ss.
(2) Cf. Bouix, *De iudiciis*, l. II, p. 13, n. 6.
(3) Cf. Noval, O. P., *De ratione corrigendi et puniendi sive in iudicio sive extra, iure Codicis i. c.*, in periodico, *Ius pontif.*, 1922, 148.

servata residentia, concubinatus, gravis negligentia officiorum paroecialium, delicta quae formam iudiciariam simul fugiunt et promptam sanctionem exigunt (**c. 1933**, § 2. Cf. cc. 2168-2194).

Iam ante Codicem normae speciales inductae erant ad declaranda et punienda certa clericorum delicta, de quibus in citatis canonibus agitur.

3° Delicta *laicorum*, quae mixti fori sint, etiamsi a civili potestate reprimantur, obiectum iudicii criminalis ecclesiastici manent, sed Codex vult ut Ordinarii contra ea *regulariter* non procedant, si animadversione civili satis publico bono provisum sit (c. 1933, § 3).

Huius praescripti non una est ratio. Nam poenae sine necessitate multiplicandae non sunt et poenae civiles ad emendationem rei poenis ecclesiasticis saepe sunt efficaciores; adde reos laicos haud paucos sese iudicio ecclesiastico non facile esse submissuros. — Ubi vero de clerico vel religioso agitur, cum ut immunitatis principium integrum servetur, tum ad scandalum reparandum, fere necessarium est ut Superior ecclesiasticus poenae civili suam sanctionem addat. Immo, fieri poterit ut religiosus a duobus Superioribus puniatur ; qui casus tamen rarior erit, cum ab Ordinario loci in casibus in quibus ipsi subiacet plerumque puniendus non sit, si Superior religiosus in eum satis animadverterit.

4° « Paenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum certum sit, infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium » (**c. 1933**, § 4).

Delicta de quibus in hac § 4 agitur, sunt delicta certa, sive publica sive occulta, quae consistunt praesertim et essentialiter in transgressione praecepti particularis (cf. c. 2310) (1).

Paenitentia iuxta c. 2312 imponitur ut poena effugiatur aut iam admissa tollatur absolutione vel dispensatione. De modo infligendi monitionem vel correptionem agit c. 2309. Vi c. 2310 si monitio vel correptio frustraneae appareant, Ordinarius potest ei qui iam legem violavit praeceptum imponere, cui addatur comminatio poenae latae vel ferendae sententiae. Quo praecepto certi actus iniungi possunt, qui necessarii videantur ad removendum periculum novae transgressionis vel ad reparandum scandalum. Si praeceptum istud certe violatum fuerit, Ordinarius ad iudicium recurrere non debet út poenam declaret aut infligat.

Modus procedendi hic erit : praecedet monitio, prius paterna, dein iuridica ; sequetur correptio secreta aut publica, pro transgressionis natura ; emendatione non secuta, imponetur scripto vel coram duobus testibus praeceptum clare indicans actus ponendos vel omittendos cum poena definita incurrenda ipso facto aut infligenda. Si ex informationibus certe constet praeceptum violatum fuisse, reo accersito et prius audito (nisi ob adiuncta res scripto facienda sit), poena declarabitur aut infligetur.

De natura *poenae* applicandae, normae generales in lib. V° statutae observandae erunt.

4. Quattuor *iudicii criminalis formae* ex historia iuris canonici recenseri possunt, sc. :

1° *Processus accusatorius privatus.* Simplex fidelis reum delicti apud iudicem accusabat, onere suscepto delicti in iudicio probandi.

2° *Processus pure inquisitivus.* Iudex ipse, etiam nulla denuntiatione motus,

(1) Cf. NOVAL, O. P., *De ratione corrigendi*, etc. in *Ius Pontif.* 1923, 34, ss.

in delicta commissa inquirebat, quae detecta persequebatur. Ne tamen idem iudex et accusator exsisteret, Innocentius III statuit inquisitioni locum esse donec publica fama vel clamore, quasi accusatore, iudex ad suum officium implendum adduceretur.

3° *Processus accusatorius publicus*, cum institutum est officium promotoris iustitiae seu fiscalis, qui onus accusationis et probationis in se susciperet.

4° *Processus mixtus* ex inquisitione et accusatione publica, quae in eodem processu invicem excipiunt, inductus instructione S. C. *EE. et RR.*, d. 11 iun. 1880.

5. Hae sunt notae speciales processus criminalis in iure Codicis :

1° Accusatio publica est.

Sublata e iure *accusatione privata* (c. 1934), servantur processus *accusatorius publicus*, cum delictum est notorium vel omnino certum, secus processus *mixtus* ex inquisitione speciali et accusatione publica (c. 1937). Ita Codex ad disciplinam legum civilium accessit.

2° Inquisitio secreta (c. 1941, § 2).

3° Correptio iudicialis, quae, in certis casibus praescripta, non pauca iudicia criminalia tollere potest (c. 1947).

Huic instituto similis est condemnatio conditionata et correptio in tribunalibus puerorum adhibita. Iamvero sola condemnatio proprie dicta et absoluta *notam* iudicialem inurit (casier judiciaire).

4° Advocatus *ex officio* imponitur.

Quod legibus canonicae et civili est commune.

Caput I. - De accusatoria actione et denuntiatione

259. - 1. Accusatio est *actio* iudicialis proprie dicta seu *ius* delictum coram iudice persequendi ad obtinendam eius punitionem.

Accusatio non est delatio delicti ad Superiorem quemlibet facta, ut is actionem introducat ; nec quae ad iudicem fiat, sed iuris privati prosequendi causa ; nec cuius finis sit tantum correptio rei. Tandem susceptum probandi onus accusationem ab omni alia denuntiatione delicti discernit.

2. Denuntiatio est actus publicus vel privatus quo Superior, ob bonum privatum vel publicum, certior fit culpae vel delicti commissi.

Denuntiatio alia est *evangelica*, alia *canonica*, alia *iudicialis*. Prima ad Superiorem qua *patrem* dirigitur, ut reus emendetur ; altera ad Superiorem qua *communitatis moderatorem*, ut ipsius bono provideat ; tertia ad Superiorem qua *iudicem*, ut delictum puniatur.

Quidam, ut Noval, *o. c.*, n. 763, *canonicam* vocant quoque denuntiationem eorum qui impedimento irretiti vel indigni matrimonium inire vel sacros ordines recipere volunt (cc. 1027. 999). Sed in isto casu, minus agitur de denuntiatione rei quam de monitione ad praecavendum actum tum privatis, tum communitati forte nocivum.

I. DE ACCUSATORIA ACTIONE

260. - 1. « Actio seu accusatio criminalis uni promotori iustitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur » (**c. 1934**).

Hoc canone tolluntur e iure *actiones populares*, quibus cuilibet fideli facultas erat prosequendi coram iudice punitionem delicti, suscepto onere illud probandi. Officium *actoris*, in re criminali, quod iam uni promotori iustitiae incumbit, secum fert omnia iura quae in omni causa iudiciali actori competunt, v. g. exhibendi et exigendi probationes, excipiendi contra reum et contra tribunal, sententiam impugnandi, etc.

2. Promotor iustitiae libellum accusatorium iudici exhibere non potest, nisi saltem seriam de delicto commisso probabilitatem habeat. Multiplici via in certam delicti cognitionem devenire potest, v. g. si publicum vel notorium est ; media tamen probationis accipit praesertim denuntiatione et speciali iudicis inquisitione.

II. DE DENUNTIATIONE

261. - *De iure et officio denuntiandi.*

1. Denuntiatio *iudicialis* est manifestatio alicuius delicti Superiori facta, ut actione publica reparetur.

Finis immediatus denuntiantis potest esse « ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum, vel etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem » (c. **1935**, § 1).

Denuntiatio ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum facta, **querela** dicitur. — De evangelica denuntiatione Codex non loquitur ; ad iudicia enim non pertinet.

2. *De iure denuntiandi.* Quilibet fidelium habet ius denuntiandi delictum, sive ob privatum sive ob publicum bonum procurandum (c. 1935, § 1).

Nemo, etiam alias ad agendum inhabilis, ab hoc iure excluditur. Re enim vera, denuntians non agit, sed Ordinarium ad agendum movet. Ceterum denuntiatio ab homine vere suspecto proveniens nihili facienda est (c. 1942, § 2).

3. *De obligatione denuntiandi.*

Obligatio delictum denuntiandi e variis fontibus oriri potest (c. 1935, § 2) :

1° *Ex lege canonica.*

Plura huiusmodi praescripta in Codice reperiuntur, v. g. c. 2336, § 2, de clericis nomen dantibus sectae massonicae ; c. 2368, § 2, de confessariis sollicitantibus, etc.

2° *Ex praecepto peculiari* legitimo, velut si Ordinarius, Visitator, Provincialis vel Superior localis iubeat reum delicti sibi aut Superiori maiori denuntiari (c. 513).

3° *Ex ipsa naturali lege.*

« Ob fidei vel religionis periculum vel aliud imminens publicum malum », delinquentem denuntiare debet quisquis id potest efficaciter et sine nimio, pro rei gravitate, proprio incommodo.

262. - *De exercitio iuris denuntiandi.*

1. Denuntiatio ad Ordinarium est deferenda, sive immediate sive per Cancellarium curiae, vicarios foraneos vel parochos (**c. 1936**). — Coram omnibus potest scripto vel oretenus proponi ; sed, nisi apud loci Ordinarium fiat, ad istud ab inferiore clerico scriptis mandata statim deferenda est.

Denuntiatio a Visitatore vel Superiore religioso exempto praecepta apud ipsos generatim erit facienda. — Etiam in iudiciali denuntiatione facienda praeceptum caritatis servandum est, quo iubemur ne culpam proximi, praesertim non satis certam, cum pluribus quam est necessarium communicemus.—Taxative, ut videtur, in Codice (c. 1936) enumerantur qui denuntiationem *legitime* recipere possunt ; ex c. 1937 tamen coniciunt eam promotori quoque iustitiae fieri posse. Horum vero non est ullam de facti veritate inquisitionem facere ; et denuntiationem, etiam si futilem existiment, ad Ordinarium transmittere debent ; quamquam suam de rerum statu opinionem aperire possunt vel debent.

2. Etsi nemo privatus iam accusationem assumere potest, denuntians « debet promotori iustitiae adiumenta suppeditare ad eiusdem delicti probationem » (**c. 1937**).

Istud enim tamquam naturale denuntiationis corollarium apparet, factae sive propter privatum bonum, sive propter bonum publicum.

3. Iudex ex officio non tenetur persequi delictum quod societati ecclesiasticae non nocet et a persona laesa condonari potest. — Facta denuntiatione, promotor debet apud Ordinarium causam iudicialem introducere, quae pro vario certitudinis delicti gradu vario modo procedet, ut mox dicetur.

Denuntiatio vel querela est necessaria ut *actio* criminalis *iniuriarum* aut *diffamationis* instituatur, nisi ob adiuncta personarum prosecutio poenae boni publici intersit. Id obtinet si iniuria vel diffamatio gravis sit et eius reus vel victima sit clericus vel religiosus (**c. 1938**).

Caput II. - De inquisitione

263. - 1. Inquisitio est indagatio Superioris ad detegendum crimen eiusque auctorem legitime facta (cf. Bouix, *o. c.*, II, n. 60).

Paterna est, si fit ad emendationem rei, *iudicialis*, si vindicta publica intenditur. Utraque potest esse *generalis* vel *specialis*, prout versatur circa omnia vel alicuius speciei delicta quae in communitate committantur aut circa delictum determinatum ab uno pluribusve reis determinatis admissum.

In hoc capite agitur tantum de inquisitione *iudiciali speciali*.

2. Si delictum est notorium vel omnino certum, nihil obstat quin Ordinarius illud ope promotoris iustitiae immediate persequatur. In aliis casibus inquisitio *specialis* necessaria est, antequam quis citetur ad respondendum de delicto, sive agatur de *sententia* declaratoria sive de condemnatoria iudicialiter ferenda (**c. 1939**). — *Finis* huius

inquisitionis est investigare an et quo fundamento innitatur imputatio delicti quae ex rumore, fama, denuntiatione vel querela oritur.

Quomodo sit agendum quando poena *praecepto* extraiudiciali irrogatur, explicabitur in commentario ad c. 2222.

264. - 1. *De inquisitore.*

Inquisitor regulariter est iudex synodalis munitus iurisdictione delegata ad hanc unam causam instruendam (**cc. 1940. 1941**, § 1).

Ordinarius potest ipse facere inquisitionem, sed ne variis curis nimis distendatur, praestat ut istud munus committat uni ex iudicibus synodalibus, vel etiam alii, si peculiaris ratio id suadeat. Qui ne difficilibus negotiis obruatur neve ex munere multis exosus fiat, Codex prohibet quominus ad universitatem causarum delegetur.

2. *Obligationes inquisitoris* eaedem sunt atque iudicis ordinarii, quod ad munus secreto, sincere et omni avaritia remota, implendum (c. 1941, § 2).

3. « Inquisitor nequit in eadem causa iudicem agere » (ibid., § 3).

Dum Noval, *o. c.*, n. 744 fretus c. 1680 prohibitionem, non inhabilitatem istis verbis pronuntiari autumat, Augustine, *o. c.*, in h. c. contrariam sententiam tenet. At, si quid opinamur, c. 1680 qui de valore actuum agit, minus recte hic affertur ; verba vero « nequit » et, in contextu, « non potest » (Regulae S. Rotae, § 102, 1) inhabilitatem potius significant. Quod si obiciatur Ordinario facultatem esse ut per se inquisitionem faciat, sequitur tantum in hoc casu alium iudicem eligendum esse qui tribunali praesideat. Nam ex citata regula S. Rotae censemus regulam huius c. 1941, § 3 non de solo inquisitore delegato valere.

265. - *De processu inquisitivo.*

1. Antequam inquisitio incipiat, debent iam esse *argumenta delicti* iudicio Ordinarii sufficientia (**c. 1942**, § 1).

Sed iam *diffamatio* rei non requiritur, seu saltem frequens et honestorum hominum insinuatio delicti. Nam inquisitio iure Codicis secreto fit, sine strepitu iudiciali, neque semper ad iudicium ducit.

Attamen quibusdam denuntiationibus omnis effectus negatur, sc. « si ab inimico manifesto aut ab homine vili et indigno proveniunt », dum *anonymae* non prorsus excluduntur, sed pro variis adiunctis admittendae aut nihili faciendae sunt (ibid., § 2).

2. *Secretum* in inquisitione non a solo iudice est servandum, sed a testibus quoque severe exigendum. Praeterea *prudentia* specialis in ducenda inquisitione requiritur « ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cuiusque nomen in discrimen vocetur » (**c. 1943**).

Fama innocentis et bonus inquisitionis successus silentium istud et prudentiam commendant.

3. *De testimoniis.*

Inquisitor, ut factum criminosum et imputabilitatem demonstret,

varia probationis media adhibere debet, quorum praecipua sunt testimonia. Quare de his solis Codex loquitur.

1° Asseritur ius inquisitoris testes idoneos accersendi et interrogandi.

2° Regulae examinis servandae proponuntur, quae in cc. 1770-1781 de examine testium datae sunt, mutatis eis quae ob ipsam inquisitionis naturam servari nequeunt (c. **1944**).

Ita, v. g. inquisitus examini non assistet ; raro testes alii cum aliis conferentur ; interrogationes quae testibus a iudice deferantur, ab inquisito proponi nequeunt, etc.

4. *De partibus promotoris iustitiae.*

Inquisitor auxilium promotoris exquirere potest in singulis difficultatibus, non ita vero ut promotor iudicium praeparare videatur.

Etenim inquisitoris est ita res investigare ut pateat utrum inquisitus in iudicium sit vocandus an ab omni iudicio sit abstinendum ; dum partes promotoris iustitiae sunt bonum publicum contra *reum* tueri, iudicis est de tota rei veritate sententiam ferre.

Quo consultius promotor inquisitorem adiuvare possit, acta cum ipso possunt communicari (c. **1945**).

266. - *De exitu inquisitionis* (c. **1946**).

1. Expleta inquisitione, inquisitor omnia acta ad Ordinarium refert, addito suo suffragio de certitudine aut probabilitate delicti vel imputabilitatis. — Ordinarius autem decernet num et quomodo sit ulterius procedendum. Tres enim casus possunt supponi :

1° Denuntiatio aut rumor vel fama apparet *carens solido fundamento.*

Id declarabitur in actis quae in secreto Curiae archivo servabuntur, ut alii de eadem causa forte necessariae inquisitioni inserviant.

2° *Indicia* habentur, sed ad accusatoriam actionem nondum sufficientia.

Tunc quoque acta in secreto archivo servanda sunt et moribus imputati est vigilandum.

Potest tamen imputatus iam audiri, immo, si in occasione delicti committendi versetur vel gravi suspicioni subiaceat, ab Ordinario per se vel per personam interpositam, de iis quae sunt ipsi vitanda, moneri (cf. c. 2307).

3° *Argumenta* seria adsunt, etiamsi non certa.

Reus potest citari et res sive correptione sive actione criminali urgeri.

Decretum de effectu inquisitionis Officiali committi potest, sed per mandatum speciale ; cum enim actio iudicialis nondum inceperit, nondum ei potestas propria competit interveniendi. — Vicarius vero Generalis ad istud negotium mandato speciali non indiget.

2. Finita inquisitione, Ordinarius e iure Codicis, ad instaurandum

ordinem publicum duplici, pro rerum adiunctis, via procedere debet, sc. correptione iudiciali vel actione criminali. — Pro fine enim suo et sua indole, Ecclesia vindictae publicae remedia misericordiae praefert, quibus animae magis curantur quam puniuntur.

Caput III. - De correptione delinquentis

267. - 1. *Notio.* Correptio est monitum salutare reo confesso et paenitenti ab Ordinario datum, ut a delicto efficaciter recedat, additis plerumque remediis aut, ad laesionem ordinis et scandalum reparanda, paenitentia salutari (**c. 1947**. Cf. c. 1952).

Iudicialis vocatur propter intimam conexionem quam habet cum iudicio (cf. c. 2309) ; fit enim immediate ante iudicium aut eo incepto ; finem habet reparandi ordinis et tamquam obiectum commissa iam delicta quae, per se, actionis iudicialis materia esse possunt. Differt prorsus a monitione *extraiudiciali* de qua c. 2306, quae delicto committendo praecavet ideoque cum iudicio seu actione criminali nullo modo conectitur.

Vicarius Generalis indiget mandato speciali ad infligendam correptionem iudicialem ; haec enim ex c. 2309, § 4 « loco poenae habetur » et ad delictum puniendum adhibetur. Cum extra iudicium inferatur, Officialis eam infligere non potest ; nam nomine « Ordinarii » non venit. Ante iudicium autem nulla potestate ad infligendam poenam fruitur ; incoeptum vero iudicium usque ad finem perducere debet, nec eius est definire num actioni iudiciali correptio iudicialis sit praemittenda. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 785.

268. - *Quaenam delicta correptionem excludant.*

1. Correptioni iudiciali locus non est quando delicta *gravissima* sunt aut *poena* iam est *admissa* aut sententia sollemnior requiritur ad frangendam contumaciam in delicto vel ad ordinem publicum restituendum.

1° Correptionem excludunt *delicta* quae sanciuntur excommunicatione specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservata, aut privatione officii, beneficii, aut poena infamiae, depositionis, degradationis (**c. 1948**, 1°).

Huiusmodi sunt directa violatio sigilli (c. 2369, § 1) ; absolutio complicis (c. 2367) ; sollicitatio ad turpia, occasione confessionis (c. 2368) ; delictum clerici contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum admissum (c. 2359), etc.

2° Ubi *poena gravior* ipso iure iam est illata, deest ratio adhibendae levioris, i. e. correptionis, cum illa declaranda sit (ibid. 2°).

3° Bonum publicum exigit interdum ut Ordinarius graviorem poenam infligat ne ob *scandalum* boni mores pessumdentur vel *damna innocentibus illata* non satis reparentur (ibid. 3°).

4º Si reus iudicialiter iam bis correptus *novum delictum* admiserit (c. 1949, § 1), tertium adhiberi nequit.

2. Correptio iudicialis non excluditur eo tantum quod *querela damni* ex delicto est interposita. Nam tunc Ordinario licet quaestionem de damno, consentientibus partibus, de bono et aequo vel, si res sit difficilis, actione contentiosa dirimere (**c. 1951**).

269. - Correptionem iudicialem, sive ante sive post litis contestationem, adhibere licet, modo nondum sit conclusum in causa ; ipsa correptione iudicium suspenditur ; resumetur in eodem statu, si correptio in cassum cesserit (**c. 1950**).

270. - *De modo correptionis faciendae.*

Correptio a iudice pro tribunali sedente infligitur. Etsi quandoque satis est delictum exprobare et suasione de futura emendatione curare, plerumque remedia quaedam specialia adhibenda erunt, ut retractatio vel venia publice petenda, etc. Praeterea addenda erunt paenitentiae et pia opera persolvenda, si medium aptum et opportunum sunt reparandi publice iustitiam laesam et scandalum datum. Haec tamen mitiora et leviora esse debent quam quae in criminali iudicio infligerentur (**c. 1952**).

Hoc ex ipso fine correptionis perspicuum est et quia ad graviores sanctiones non videtur recurrendum sine formis propriis iudicii quae reum contra imprudentiam vel motus animae inordinatos Ordinarii protegere possint.

« Correptio censetur inutiliter adhibita, si reus remedia, paenitentias et pia opera sibi praescripta non acceptat aut acceptata non exsequatur » (**c. 1953**).

Caput IV. - De instructione processus criminalis et de rei constitutione

271. - Ordo dicendi. Cum *praeparatio* processus per accusationem vel per inquisitionem specialem in Cap. I et II explicata sit et *normae* ad quas ipse processus est agendus in tota sectione prima propositae fuerint, restat ut Legislator paucis canonibus definiat : 1º modum quo processus *introducatur* (cc. 1954. 1955) ; 2º cautelas adhibendas adversus reum, ad scandala vitanda aut libertatem processus protegendam (cc. 1956-1958). Quod ad iudicii actionem, remittimur ad primam huius libri sectionem et ad librum V, qui de poenis declarandis vel infligendis agit (c. 1959).

272. - 1. Antequam ad processum criminalem procederetur, cognitio probabilis de delicto per denuntiationem vel per inquisitionem acquirenda et reus audiendus fuit. Praeterea si reus delictum confessus est (c. 1947), in omnibus casibus iure non exceptis, correptio iudicialis fuit adhibenda (Cf. c. 1948). Si vero negavit aut correptio iure excludi-

tur aut rite facta in cassum cessit (Cf. c. 1953), ad iudicium criminale instruendum deveniendum est, quod libello accusationis introducetur.

Episcopus aut Officialis, de eius speciali mandato, si iudicet omnes condiciones supra recensitas esse impletas, praecipiat ut acta ad libellum accusationis conficiendum promotori iustitiae tradantur (**c. 1954**).

Episcopus hoc loco eum designat qui praeest dioecesi vel quasi-dioecesi. Tum usu vocis « episcopus », tum natura negotii, Vicarius Generalis a ferendo decreto de actis inquisitionis tradendis excludendus est (Cf. c. 2220, § 2). — Officialis, cum iudiciaria tantum potestate gaudeat, istud decretum quod iudicium praecedit sine mandato speciali ferre non potest.

Codex de casu longe frequentiori loquitur, cum dicit promotori « *acta inquisitionis* » esse tradenda. Si enim delictum notorium vel ex ipsa denuntiatione omnino certum erat, documenta denuntiationis et accusationis tradentur.

2. Reus, nisi sponte advocatum elegerit, monendus erit ut iure eligendi advocatum utatur vel advocatum a iudice designatum accipiat. Hoc enim auxilium in iudicio criminali ipsa lege adhibendum praecipitur (c. 1655).

3. Promotor vero iustitiae « statim conficiat accusationis libellum eumque exhibeat iudici secundum normas in Sectione prima statutas » (**c. 1955**), i. e, ad normam cc. 1706-1710. Cf. supra, n. 144, ss.

273. - *De rei constitutione.*

Iam reus constituendus est, id est legitime citandus et primo examini subiciendus, iuxta libellum accusationis.

Constitutio seu *constitutum rei* designabat, sub veteri iure, examina quibus reus subiciebatur, etiam antequam libellus accusationis confectus esset, modo indicia ad legitimam citationem sufficerent. Ex titulo huius capitis et c. 1958, hic designat ipsam citationem et primum post eam rei examen.

Litis contestatio habetur eo quod reus capitulis libelli accusationis sua asserta, sive de facto delicti sive de imputabilitate, opponit.

274. - *De praeviis quibusdam remediis.*

1. In delictis gravioribus, Ordinarius potest simplici decreto reum ab officiorum suorum exercitio vel etiam a publica sacrae Synaxis participatione prohibere (**c. 1956**).

Hoc decretum ab *Ordinario*, non a iudice, nisi simul sit Ordinarius, ferendum est. Vicarius Generalis ad hunc actum speciali mandato non indiget, nam hae privationes « in casu non habent rationem poenae » (c. 2222, § 2). — *Finis* est removere offensionem fidelium ; quare prohibitio supponit iustam scandali causam neque ad *privatam* sacrae Synaxis receptionem extendi potest.

Antequam decretum feratur, promotor iustitiae audiendus est (c. 1956), sed non ad valorem actus.

2. *Iudex*, si timeat ne reus rectum iudicii processum perturbet, decernere potest ut ad certum tempus a certis locis discedat vel in certis locis, sub peculiari vigilantia, resideat (c. **1957**).

Hoc decretum de consensu maioris iudicum numeri ferendum est ; rationem tamen poenae non habet. Canon iubet ut promotor iustitiae audiatur.

3. Decreta ista ferri nequeunt nisi inchoato iudicio, i. e. postquam reus legitime citatus vel contumax fuerit vel, comparens, de articulis libelli accusationis interrogatus fuerit.

Ferri autem possunt usque ad finem iudicii, i. e. ad tempus ferendae sententiae. Cum poenas non statuant, « contra eadem non datur iuris remedium » (c. **1958**).

275. - In modo procedendi, servandae sunt regulae in prima huius Libri sectione traditae. Quia finis iudicii criminalis est poenas iam contractas declarare vel ex iure applicandas infligere, iudici in sententia praeparanda et ferenda ad rationem normarum in Lib. V statutarum agendum erit (c. **1959**).

TITULUS XX

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS
(c. 1960-1992)

Scriptores : De Becker, *De sponsalibus et matrimonio*, ed. 2, p. 465, ss. — Gasparri, *De matrimonio*, II, n. 1162, ss. — Lega, *De iudiciis ecclesiasticis*, l. II, vol. IV. n. 414, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, IV, n. 725, ss. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, IV, in h. cc. — Cappello, S. I., *De matrimonio*, n. 866, ss. — De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, ed. 3, n. 702, ss. — Noval, O. P., *Commentarium*, *De iudiciis*, n. 831, ss. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius matrimoniale*, n. 682, ss.

INTRODUCTIO

276. - 1. Causae matrimoniales *stricto sensu* sumptae tamquam obiectum habent :

1° validitatem vel nullitatem vinculi matrimonialis ;

2° declarationem consummationis vel inconsummationis matrimonii ;

3° perpetuam coniugum separationem.

Latiore sensu ita vocantur causae quae de damnis ex solutis sponsalibus oriuntur vel tamquam obiectum habent effectus mere civiles matrimonii, v. g. dotem, iura successionis hereditariae, ius ad alimenta, etc.

Actio ad petendam ex validis sponsalibus matrimonii celebrationem iam e iure sublata est (c. 1017, § 3) ; denuntiationes vero impedimentorum ad impe-

diendum matrimonium processu iudiciario per se non indigent. Dum separatio perpetua iudicis quoque sententia fieri dicitur (c. 1130), temporarius discessus « auctoritate Ordinarii loci » et restauratio consuetudinis vitae « decreto Ordinarii » regitur (c. 1131, § 2). Quare non sunt obiectum proprii iudicii. — Tandem ipse Codex causas de effectibus mere civilibus matrimonii a causis matrimonialibus expresse discernit (cc. 1960. 1961). — Re vera, normae quae subsequuntur ad iudicium de validitate vinculi et de consummatione matrimonii referuntur.

2. Fontes iuris *Codicis* sunt praesertim : 1° Const. BENEDICTI XIV, *Dei miseratione*, 3 nov. 1741, de iudiciis circa validitatem vel nullitatem vinculi matrimonialis ; 2° Instructio *S. C. C.* 22 aug. 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus ; 3° Binae instructiones *S. Officii*, praesertim ea quae 20 iun. 1883 ad episcopos rituum Orientalium data est ; 4° Instructio fere iisdem verbis concinnata a *S. C. de Propaganda Fide*, a. 1883.

Post Codicem datum est decretum maximi momenti, *Catholica doctrina*, d. 7 maii 1923, a S. C. de Sacramentis, « de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato », additis 106 regulis, quae in hisce causis servandae sunt, et 34 formulis actorum (1).

3. Materia *tituli*. Codex septem capitibus breviter ea proponit quae causarum matrimonialium omnino sunt propria. — Duplex forma processus proponitur, sc. accusationis privatae (c. 1971, § 1, 1°) et accusationis publicae (c. 1971, § 1, 2°).

Caput I. - De foro competenti

277. - Ordo dicendi. Asserto iure Ecclesiae circa causas matrimoniales (cc. 1960. 1961), competentia variorum tribunalium ecclesiasticorum cc. 1962-1964 definitur. Additur c. 1965, cuius materia sub rubrica non comprehenditur, sc. de modo vitandi ipsum iudicium.

§ 1. DE COMPETENTIA ECCLESIAE IN GENERE

278. - 1. « Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant » (**c. 1960**).

Hoc assertum, quo principium in c. 1553 (Cf. supra, n. 7) statutum ad hanc materiam applicatur, est doctrina catholica ex damnata prop. 74 in Syllabo. De fide definitum est istas causas *per se* ad iudicem ecclesiasticum pertinere (Trid. S. XXIV, *de matrimonio*, c. 12). Ipse enim contractus matrimonialis inter fideles est sacramentum (c. 1012).

2. Si *utraque pars* est *infidelis*, iudex competens est iudex laicalis, etsi definitiones Ecclesiae de iure naturali vel divino positivo applicare debeat. — Si *alterutra* pars est *fidelis*, iudicium ad Ecclesiam pertinet quia matrimonium eius, etsi non certo sit sacramentum, auctoritate tamen Ecclesiae est initum et quia pars fidelis quod ad matrimonium Ecclesiae exclusive subditur.

(1) *AAS*, XV (1923), 389, ss. — Cf. *Per.* XII, 104, ss.

3. Ecclesia potest permittere ut causae quaedam matrimoniales a iudice laicali definiantur, v. g. causa de separatione tori, mensae et habitationis. Quod videmus concessum vel toleratum in regionibus ubi fideles ex iniqua lege ad solum iudicem laicum confugere possunt ut separationem obtineant.

Immo in certis regionibus, v. g. in Gallia et in Belgio, iuxta sententiam serio probabilem, non prohibentur advocati et iudices catholici, *praemonito Ordinario*, suum ministerium praestare in causis divortii seu plenae solutionis vinculi *civilis*. Haec enim solutio eiusque petitio non sunt actus *intrinsece* mali. — Quia tamen solutio vinculi civilis ob ignorantiam multorum facile scandalum parit et persuasionem de insolubili matrimonii vinculo minuit atque praeterea parti minus christianae facultas ita fit ineundi novum contractum civilem, ut advocati, iudices et magistratus divortio civili petendo vel pronuntiando collaborent, gravissima causa requiritur. Haec erit v. g. periculum ne si iudex vel magistratus a munere cedant, brevi in eorum locum increduli succedant, a quibus istae leges peiori modo applicabuntur. Omnes quoque scandalum removere debent, ita ut constet, quo meliori potest modo, eos catholicam de matrimonio doctrinam tenere. Advocati vero, nisi legibus tribunalium coacti fuerint, causas istas suscipere tantum possunt in quibus saltem altera pars legitimam petendi divortii civilis causam habeat (Cf. Resp. O. S., 19 dec. 1860 ; 3 apr. 1877 ; 25 iun. 1885 ; 27 mai. 1886 ; 26 iul. 1887. — *S. Paenit.*, 5 ian. 1887 ; 24 sept. 1887 ; 4 iun. 1890). — Adi quoque Theologos morales de divortio civili agentes (1).

4. Causae de **effectibus mere civilibus** matrimonii ad civilem magistratum iure *proprio*, at *non exclusivo*, spectant.

Sunt enim causae *per se mere temporales*, ; quare, si principaliter aguntur, solius est magistratus eas iudicare ; si tamen *incidenter* proponuntur, « possunt etiam a iudice ecclesiastico ex *propria* potestate cognosci et definiri » **(c. 1961)**.

Accessorium enim sequitur principale (Reg. 42, R. I. in VI°) et haec potestas in iure pluries asseritur. At non prohibentur partes hanc quaestionem ad iudicem laicalem deferre, et quandoque id est potius suadendum ut iura earum ab omni actione civili immunia serventur.

§ 2. DE CAUSA COMPETENTIAE

279. - Competentia definitur qualitate personarum et natura causarum.

1. Causae eorum qui tenent supremum populorum principatum eorumque filiorum et filiarum eorumve quibus ius est proxime succe-

(1) Doctrinam de liceitate divortii civilis, praesertim in Belgio et in Gallia, concinne et complete proposuit D. KISELSTEIN, *Rev. eccl. Liège*, XV (1923), 69, ss. ad explicandum art. 81 Conc. Mechlin. IV (1920).

dendi in principatum, ad solum R. Pontificem pertinent vi c. 1557, § 1, 1°. Eas committit toties quoties Congregationi vel Tribunali vel Commissioni speciali, cui ipso facto competentia exclusiva quod ad illas confertur.

2. Causae dispensationis super rato et non consummato, ob momentum rei et difficultatem, a **S. C. de disciplina Sacramentorum** exclusive iudicantur (**c. 1962**).

Interdum causa a S. Rota de consensu S. C. de Sacramentis iudicatur.

Fieri tamen potest ut causa a simplici iudice praevie instruatur, sc. iudicio de nullitate matrimonii. Oportet distinguere duplicem casum, nempe :

a) In iudicio de nullitate matrimonii *ex capite impotentiae*, probatio plena aut semi-plena emersit non consummati matrimonii. In priori hypothesi statim, in altera post completam probationem, acta omnia ad S. C. *de Sacramentis* transmittuntur (**c. 1963**, § 2).

b) In iudicio de nullitate matrimonii ex alio capite, dum nullitas evinci non potuit, *incidenter* dubium valde probabile emersit de non secuta matrimonii consummatione. Si alterutri vel utrique parti placuerit libellum ad R. Pontificem porrigere pro dispensatione super matrimonio rato non consummato, iudex vi potestatis *a iure* (sc. decreto *Catholica doctrina*, n. 4) *delegatae*, causam secundum regulas in eodem decreto expositas *statim* instruere potest (Cf. c. 1963, § 2).

Processus quo inquiritur de facto non consummati matrimonii dicitur in decr. *Catholica doctrina* causa non vere indicialis, sed magis gratiosa seu administrativa. Propter tamen necessitatem informationis omnino certae, « veritas inquirenda est non minus religiose ac sedulo, quam in negotiis proprie iudicialibus ». Normae quas Ordinarii sequi debebunt et Codice et decreto supra citato definiuntur : si res ad S. Rotam deferatur (cf. c. 249, § 3), omnes quoque processus iudicialis formae servabuntur.

3. Causae quae referuntur ad privilegium Paulinum ad **S. Officium** spectant (c. 1962).

Quid de causis quae spectant impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus ? Difficultatem movet conciliatio inter c. 247, § 3 et c. 1964, cum iuxta c. 247, § 3 solum S. Officium cognoscat ea quae circa *impedimenta* mixtae religionis et disparitatis cultus versantur.

Mixta religio validitatem vinculi non afficit ; quod si postea causa separationis evadat, istum effectum non per se, sed per accidens habebit, id est ratione periculi pro fide coniugis catholici oriundi. Ideoque obiectum causae stricte impedimenti matrimonialis non erit.

Disparitas cultus, de qua certo constet, actioni iudiciali proprie dictae locum non dat. Licet enim tunc Ordinario, omissis sollemnitatibus, sed auditis partibus et interveniente defensore vinculi, nullitatem matrimonii declarare (c. 1990). — Si factum dubium fuerit, causam ad S. Officium deferendam esse asserit Noval., *l. c.*, n. 840, ex privata percontatione. Quae sententia, solo iure spectato, videtur probabilior ob verba tam expressa c. 247, § 3, quae praevalent dispositioni generaliori c. 1964.

4. In aliis omnibus causis competens est iudex loci, i. e. Ordinarius loci, excepto Vicario Generali qui non sit Officialis (c. **1964**). — Contra atque in iure veteri, Abbas vel Praelatus *nullius* causas matrimoniales sui territorii ad vicinum episcopum iam remittere non debent.

Duplici titulo iudex loci competens esse potest, sc. ratione contractus vel domicilii.

Quare causa *semper* definiri potest a iudice loci in quo matrimonium celebratum est. Ratione vero domicilii duplex casus est respiciendus. Si utraque pars sit catholica, competens est iudex loci in quo pars conventa domicilium vel quasi-domicilium habet. Si una pars acatholica, altera catholica est, competens *quoque* est tribunal loci in quo pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet (c. 1964. Resp. *Comm. I. C.*, 14 iul. 1922 ad 2.). Uxor etiam malitiose deserta virum coram Ordinario eius, non sui domicilii vel quasi-domicilii convenire debet (1). Peccato enim viri non perimitur principium : « actor sequitur forum rei ».

§ 3. DE IUDICIO VITANDO

280. - Iudex conari debet ut partes convalidationem matrimonii quod est invalide contractum, quantum id ab iis pendeat, procurent.

Quare studeat ut pars quae non rite consenserit, nunc consensum praestet ; aut renovetur consensus in forma substantiali ; aut petatur dispensatio quae dari possit et soleat (c. **1965**).

Postquam enim pseudo-coniuges simul, praesertim per diuturnum temporis spatium, vixerunt, ex separatione gravia incommoda fere semper oriuntur. Si tamen matrimonium nullam spem felicis unionis faciat, iudex ab ista exhortatione abstinebit.

Caput II. - De tribunali constituendo

281. - In causis matrimonialibus, defensor vinculi partes maximi momenti habet, quae hic (cc. 1967-1969) describuntur, postquam unico c. 1966 de tribunalis constitutione actum est.

282. - 1. Tribunal in causis de vinculi validitate vel nullitate constituitur tribus iudicibus, collegialiter procedentibus (c. 1576, § 1, 1°), unico vero iudice, si agitur separatio coniugum vel declaratio status liberi. — Si causa dispensationis super rato et non consummato agitur, unico instructori seu auditori, non pluribus, committitur (c. **1966**).

Ex praxi S. Congregationis de Sacramentis certum est, contra Noval, *o. c.*, n. 843, primis c. 1966 verbis non praescribi ut ipsa constituat tribunal trium iudicum ad definiendum num dispensatio super rato et non consummato a S. Pontifice petenda sit. Hanc quaestionem modo administrativo dirimit. Postquam consultores vota sua dederunt, res in *congresso* vel in plenaria dirimitur. Consultor vices defensoris vinculi agit, sed rationes validitatis matrimonii scripto profert, quin comparere debeat.

(1) Resp. *Comm. I. C.*, 14 iul. 1922. — AAS., XIV (1922), 529. — *N. R. Th.*, 1923, 113. — *Per.*, XI, 165.

Iudicibus adsunt praeterea actuarius et defensor vinculi. In causis in quibus impedimentum natura sua publicum agitur, promotor iustitiae quoque suas partes habet (Cf. c. 1971, § 1, 2°).

2. Defensor vinculi citandus est in omni causa de nullitate vinculi et in causis super rato, ita ut ipsi disceptationi adsit (cc. **1967**. 1587) (1).

3. In processu super asserta matrimonii inconsummatione iudex est aut ipse Ordinarius aut alius clericus, ab ipso subdelegatus vi potestatis expresse a S. Congregatione factae (Decr. *Catholica doctrina*, n. 13, ss.). Ipse autem Ordinarius aut iudex « alios aeque idoneos viros eligere poterit, qui iudicis et aliorum officialium vices gerant pro casu quo primi electi fuerint impediti, vel uti suspecti legitime habiti » (*ibid.*, n. 18). Hi si intervenerint, in subsignandis actis nomini suo addent dictionem : *substitutus*.

283. - *De partibus defensoris vinculi* (c. **1968**).

Defensoris vinculi ius et officium est ea omnia tentare quibus validitatem matrimonii tueri possit. Quare potest et debet omnia acta et documenta quovis momento inspicere, interrogationes a iudice faciendas proponere, de omnibus probationibus et allegationibus certior fieri, examina testium petere, etc.

Fit ut in curiis dioecesanis defensor vinculi partes suas officio promotoris iustitiae aequiparet, qui ius tantum tuetur. Iamvero *advocatus* vinculi matrimonialis ex officio constituitur ; quare ea omnia proponere et tentare debet quae firmando isti vinculo faveant.

Una libertati eius restrictio opponitur, sc. si tribunal *unanimi* suffragio dissentiat, non potest exigere ut alia acta conficiantur.

Si tamen contra ius divinum vel ecclesiasticum in proponendis interrogationibus, etc. manifeste excedat, iudici potestas non est neganda terminum ipsi imponendi (cc. **1968**. **1969**).

Caput III. - De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato

284. - **Ordo dicendi.** Suppresso processu mere inquisitivo (c. 1970), definiuntur personae ad accusandum matrimonium habiles (c. 1971). Dein praesumptio statuitur in favorem matrimonii quod utroque coniuge vivente non est accusatum (c. 1972). Tandem ius exclusivum coniugum petendi dispensationem super rato stabilitur (c. 1973).

Accusatio potest deferri contra matrimonium contrahendum vel contractum ; contra vitam communem continuandam ; contra separationem tori et habitationis. — Ut ex materia patet, vox *accusare* in his canonibus delictum nullo modo supponit, sed idem per se sonat atque impetere validitatem.

---

(1) In Codice c. 1586 mendose allegatus videtur.

285. - *De necessitate accusationis.*

« Tribunal collegiale nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel iure facta petitio praecesserit » (c. 1970).

Hoc canone simul applicatio iuris generalis habetur iuxta quod iudex ad agendum a partibus movendus est, et mutatio in ius inducitur ; iuxta instructionem enim S. Officii (a. 1883, § 1) « ... ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama, fundamentum veritatis prae se ferens, de alicuius impedimenti exsistentia divulgata sit » ; ideoque processus mere inquisitivus e iure tollitur. Re vera mutatio non ita magni momenti esse videtur ; Ordinario enim in iisdem adiunctis non tantum ius, sed obligatio erit imponendi promotori iustitiae accusationem.

286. - *De personis ad accusandum habilibus.*

« Coniuges in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti causa » (c. 1971, § 1, 1°) ;

Hic agitur non de impedimento dirimente tantum, sed de iis quoque impedimentis quae perseverantiae vel instaurationi vitae communis obstant.

Quare accusare matrimonium non potest qui comparti fuit causa erroris substantialis ; qui metum iniustum incussit ; qui uxorem rapuit ; qui prior reus adulterii separationem instituere cupit, etc. Contractus enim numquam nullus declaratur in favorem eius qui vis vel metus causa fuit ; in ultimo casu, iniuria iam est compensata.

Accusare, i. e. iudicialiter impetere matrimonium contrahendum ii tantum possunt quorum ipsum non celebrari interest.

2° « Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis » (ibid. 2°) ;

Natura sua publica sunt impedimenta quae facto nituntur quod natura sua in tribunali potest probari, quia generatim testimoniis vel instrumentis non caret, nec de se est infamans, ut puta consanguinitatem, affinitatem, ligamen, etc.
Quid si impedimentum fuerit natura sua occultum, facto autem publicum ? Illud impedimento natura sua publico non aequiperamus (contra Noval, *o. c.*, n. 851, R. 1.). Quod enim legislator clare expressit, non est cur immutemus (nobiscum De Smet, *De sponsalibus*, ed. 4, n. 703).

3° « Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent ius matrimonia accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi » (c. 1971, § 2).

Suppresso iure, antea vigente, accusandi matrimonium, simplex ius denuntiationis agnoscitur, quod saepe cum officio stricto caritatis coniungetur, praesertim si agatur de matrimonio noviter contrahendo vel de contracto cuius nullitas pluribus perspecta scandalum pariat.

287. - *De tempore ad accusandum matrimonium utili.*

Quando alteruter coniux defunctus est, ex matrimonio nullo omne periculum peccati iam remotum est ; simul desunt per se omnes

probationes quae ex testimonio defuncti hauriri potuissent. Quare non est mirum statui praesumptionem in favorem matrimonii quod vivo *utroque* coniuge non sit accusatum. Haec tamen praesumptio non est iuris et de iure ; directe enim impeti potest, at in quaestione incidentali tantum, haud vero in causa principali (**c. 1972**).

Incidenter accusabitur v. g., si in alia causa impetitur legitimitas liberorum, vel de bonis ab intestato acceptis quaestio directe moveatur, etc. — Ex causa *Barcinonen.* 6 mai. et 16 dec. 1893 (1) videtur accipienda accusatio post mortem alterius coniugis, si, utroque vivente, fieri omnino non potuit. Cf. causam *Aegypti*, 20 iun. 1922, in qua frater viri defuncti confirmationem sententiae nullitatis coram S. Rota persecutus est (2).

288. - « Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato » (**c. 1973**).

Haec enim separatio solius boni privati interest, immo immediate unice ipsorum coniugum.

In hoc processu, coniux dispensationem flagitans *orator*, non actor, nuncupandus est, alter vero pars conventa, non reus conventus, nisi et ipse dispensationem petat (Decr. *Catholica doctrina*, n. 5, § 2). Supplex libellus ab ipsa parte, si fieri potest, exaratus et subscriptus, ad R. Pontificem directus per Ordinarium melius quam directe ab oratore transmittetur (*ibid.* nn. 6. 7. 8). Ordinarius informationem addet, investigationibus privatis, non interrogationibus in forma processus iudicialis, factis paratam (*ibid.*, nn. 7. 8). Antequam supplicem libellum mittat, Ordinarius partes ad reconciliationem, quantum prudentia et caritas sinunt et suadent, exhortetur (n. 10). Quae n. 11, §§ 1 et 2 dicuntur, notatu omnino digna sunt, sc. :

« § 1. Si ex supplici libello oratoris, vel ex causae instructione iam inchoata, vel ex aliis investigationibus iuxta n. 9, constiterit, matrimonii consummationem coniuges omnimode devitasse ex detestabili onanismi vitio, tunc orator vel uterque coniux, si hi concorditer dispensationem petant, sunt monendi causam non posse institui vel ad ulteriora produci ».

« § 2. Quod si orator significet se criminis nullimode fuisse participem, sed depravatos alius coniugis mores passum esse, aut, etiamsi fateatur se non esse innoxium, ostendat tamen hodie res eo devenisse ut coniugalis consortii instauratio non sit possibilis, ac sincere sit facti paenitens, et serio promittat se in altero coniugio forte inituro huiusmodi nefando facinori nullimode operam esse daturum, tunc iudex rem deferat ad H. S. C. ».

---

(1) AAS., t. 26, 407, ss. Cf, *Anal. eccl.* II (1894), 23.
(2) AAS., XIV, 1922, 600.

Caput IV. - De probationibus

289. - In causis matrimonialibus quaedam speciales normae statuuntur tum de testibus admittendis vel inducendis (Art. I, cc. 1974. 1975) tum de electione et munere peritorum (Art. II, cc. 1976-1982).

Art. I. - De testibus

290. - 1. *De testibus habilibus.* In causa matrimoniali, omnes testes **admittuntur** qui rei notitiam habent nec suspecti sunt. Quare ipsi consanguinei et affines non tantum indicia praebere, sed testimonio suo fidem facere possunt, quia saepe adiuncta rerum melius quam alii noverunt et causa matrimonialis est favorabilis (**c. 1974**).

2. *De testibus necessariis.* In causis impotentiae vel inconsummationis, nisi de ea aliunde *certo* constet, v. g. ob carentiam utriusque testiculi, ob nimiam arctitudinem vaginae, etc., recurrendum est ad *testes* qui **septimae manus** audiunt (**c. 1975**, § 1).

Uterque coniux nempe debet inducere saltem aliquot « testes... sanguine aut affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam » (ibid.).

Testes *septimae manus* vocantur quia ex antiquo iure, iam ante Codicem satis emollito, uterque coniux *septem* tales testes inducere debebat. Gasparri, *o. c.*, n. 1187 putat verbum *manus* dici « quia est veluti auxilium ad confirmandum illud quod coniuges sub iuramento confirmaverunt ». Nonne potius quia porrecta manu iurati testimonium ferebant ? — Ante Codicem, saepe a S. Congregatione iam non urgebatur numerus septem testium, cui valor testium praeponendus erat. Codex de numero tacet. — De examine testium *septimae manus* agit decretum *Catholica doctrina*, cap. IX.

Iudex alios quoque testes ex officio inducere potest. Cf. decret. cit. cap. X.

3. *De vi testimoniorum.*

Notandum est testimonium septimae manus vim plenae probationis non obtinere, « nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur » (c. 1975, § 2).

Non enim testantur de ipsa re, sed de partium honestate et veracitate, quod ad rem assertam. Ex eorum testimonio patebit, v. g. coniuges in dictis suis de inconsummatione semper constantes fuisse, iam ab initio matrimonii doluisse de hac re, etc.

Art. II. - De inspectione corporali

291. - 1. *De necessitate inspectionis.*

In causis impotentiae aut inconsummationis inspectio ocularis corporis utriusque coniugis medium probationis magni momenti affert et a

S. Congregatione semper exigenda est, « nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat » (c. **1976**).

« Inspectio corporis uxoris omittitur, utpote inutilis, in sequentibus casibus : *a*) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus, nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi ; *b*) si certo iam constet de mulieris defloratione. » (Decr. *Catholica doctrina*, n. 86.)

Cum validitas consensus ob amentiam alterutrius contrahentis impetitur, ad iudicium peritorum erit quoque recurrendum (c. 1982). Cf. AAS, XII (1920), 338, ss.

Praeter normas cc. 1792-1805 statutas, aliae quaedam speciales hic proponuntur (c. **1977**. Cf. supra, n. 191, ss.)

2. *De personis a munere periti excludendis.*

Non admittuntur ad munus peritorum qui habitualiter aut etiam una alterave vice, sed sive ut medici familiae sive ut medici ex professo curationis gratia arcessiti, coniuges inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis nullitatis vel inconsummationis. Sic Noval, *o. c.*, n. 859 canonem complet ex privatis responsis S. Congregationis. Tamquam testes tamen, in causa impotentiae vel inconsummationis possunt, in causa defectus consensus ob amentiam debent admitti (cc. **1978**. **1982**).

292. - *De officio peritorum.*

1. In causis impotentiae vel inconsummationis inspectionem viri facere debent medici, mulieris obstetrices legitimo scientiae suae testimonio munitae. Sed si mulier maluerit aut Ordinarius id necessarium habuerit, inspectio eius a medicis quoque fieri potest et debet. Periti *duo* sint oportet ex officio designati (c. **1979**).

In quaestione difficili, generatim satius erit ut etiam mulier a peritis medicis semper examinetur ; quod ex moribus nostris pudorem minime laedit et maiorem rei certitudinem praestabit.

Observatio christianae modestiae enixe commendatur ; quare praesentia honestae matronae ex officio designandae praescribitur (ibid. § 3).

Notandum est laceratum hymen operatione chirurgica ita restitui posse ut etiam post iteratam ante operationem copulam mulier virgo videatur. Ex testimonio peritissimi medici, vestigia operationis medicum peritum et praemonitum, qui inspectione per tactum non sit contentus, rarissime fugere possunt. Ne tamen medico illaesum hymen asserenti in casu dubio facilius credatur, cum periti quidam sibi de hac re non nimis fidant. In corpore autem mulieris quae per aliquod tempus gravida fuit ac praesertim quae parturiit, alia vestigia remanent quae oculum medici minime fallere possunt.

2. Quo maior sit peritorum libertas et maior testimonii aestimandi copia, tum inspectio tum relatio de eius exitu a singulis medicis vel obstetricibus seorsim faciendae sunt (c. **1980**).

Praeterea, peracta relatione, medici, obstetrices et honesta matrona

coram qua inspectio mulieris semper est facienda (c. 1979, § 3) interrogandi sunt sub fide iurisiurandi secundum articulos a defensore vinculi concinnatos (**c. 1981**).

Caput V. - De publicatione processus, conclusione in causa et sententia.

293. - Quia Ecclesia maxime favet firmitati vinculi matrimonialis, ea omnia permittit vel iubet quae vinculi probationem adiuvare possunt.

1. Quare, si agatur de nullitate matrimonii, sufficit *gravis* causa ut partibus, publicato processu, novos testes inducere liceat (c. 1983, § 1. Cf. c. 1786. Supra, n. 186). Sed cautiones in cc. 1781 et 1786 indicatae adhibendae sunt ne fraudi vel subornationi locus sit, praesertim si testes iam excussi de iisdem articulis denuo sunt interrogandi (**c. 1983**).

2. Defensor vinculi qui rei partes agit, postremus semper audiendus est. Immo ad sententiam deveniri non potest nisi nihil sibi iam deducendum vel inquirendum esse declaraverit, sive expresse sive tacite, sc. ante praefinitum a iudice diem iudicii nihil deducendo (**c. 1984**).

294. - In causis ab Ordinarii tribunali examinatis quae spectant ad dispensationem matrimonii rati et non consummati, publicatio processus et sententia S. Congregationi de Sacramentis reservantur, cui omnia acta una cum voto scripto *episcopi* et defensoris vinculi a iudice instructore transmittenda sunt (**c. 1985**).

Caput VI. - De appellationibus

295. - 1. Hoc est causis matrimonialibus speciale quod a prima sententia nullitatem declarante appellatio a defensore vinculi ad tribunal secundae instantiae ex officio interponenda est. Immo negligens istud officium a iudice ad illud implendum compellendus est (**c. 1986**).

2. Postquam nullitas matrimonii altera sententia est confirmata, coniuges decem dies exspectare debent per quos defensor vinculi iterum appellare potest. Quod si non fecerit, ipsis licet novas nuptias inire (**c. 1987**). Neque semper auditur defensor vinculi qui tertium appellat.

3. Ordinarius sedulo curare debet ut de nullitate matrimonii annotatio in libros transcribatur in quibus mentio initi matrimonii continetur (**c. 1988**).

Istud officium urget imprimis Ordinarium coram quo causa in prima instantia est definita.

4. Sententiae in causis matrimonialibus numquam transeunt in rem iudicatam (**c. 1989**).

Indissolubilitas enim matrimonii iure divino stabilitur et eodem iure concubinatus vel vitae communitas quae peccati sit occasio proxima et necessaria prohibetur ; praeterea *status personarum* boni publici interest, ideoque error non est sustinendus.

Sola condicio ad causam resumendam est oblatio novi eiusque gravis argumenti vel documenti (c. 1903).

Caput VII.
De casibus exceptis a regulis hucusque traditis

296. - Cum agitur de *factis* de quibus certa et authentica documenta nulli dubio obnoxia haberi possunt aut, in eorum defectu, ex certis argumentis evidenter constat (1) et *ius* est certum et facile, declaratio nullitatis matrimonii, omissis iudicii sollemnitatibus proferri potest. In tribus canonibus, Codex ius decretis S. Officii de hac re constitutum perficit, sc. simul *casus* enumerat et *condiciones* exponit, quae si verificentur, Ordinarius loci vel iudex secundae instantiae processu summario sententiam ferre potest (2).

1. *Causa nullitatis* debet esse impedimentum disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis. Omnia haec impedimenta natura sua publica sunt, cum affinitas ex copula illicita e iure sit sublata (**c. 1990**).

Quaerat quispiam curnam impedimentum aetatis non addatur. Ratio forte dari potest quod de die nativitatis in regionibus in quibus matrimonia ex hoc impedimento dubia vel invalida sunt, raro sine ullo dubio constabit.

2. *Condiciones.* 1° Debet constare quin contradictio vel exceptio moveri possit :

1° De existentia impedimenti, documento stricte dicto, certo et authentico :

Documentum authenticum est quoque transcriptum quod personae publicae testimonio munitur. Quod si dubium ex se fuerit, authentia declaranda est a iudice ecclesiastico, duplici conformi sententia et interveniente legitime vinculi defensore. — In defectu documenti, alia argumenta *evidentia* sufficiunt (Decr. *S. O.*, 5 iun. 1889).

2° Dispensationem non esse datam.

Certitudo generatim satis facile habebitur, cum de dispensatione super impedimento publico data in foro externo constare scripto debeat.

3. Declaratio nullitatis non potest dari nisi citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi (c. 1990).

---

(1) Cf. *S. O.*, Decr. 5 iun. 1889. — *Coll. P. F.* II, 1706.

(2) *S. O.* decret. 5 iun. 1889. — 14 febr. 1904. (*Coll. P. F.*, II, 1706) ; 10 iun. 1896. (*Coll. P. F.*, II, 1940) ; 27 mart. 1901 (*ibid.* 2105) ; 21 iun. 1912 (*Per.* VI, p. 258).

Etiam in hoc casu, defensori vinculi ius et officium est provocandi ad iudicem secundae instantiae, si prudenter existimaverit dubium superesse de exsistentia sive impedimenti sive dispensationis (**c. 1991**).

297. - Iudex *secundae* instantiae, examinatis actis quae ad ipsum fuerunt transmittenda, auditis partibus et cum solo interventu defensoris vinculi decernet utrum sententia sit confirmanda an potius procedendum ad ordinarium tramitem iuris. In isto casu, causa, ut patet, ad tribunal primae instantiae est remittenda (**c. 1992**).

Disputatur utrum haec sententia Ordinarii vel iudicis secundae instantiae iudicialis sit necne. — Atque pro affirmativa sententia Noval, *o. c.*, n. 873 argumenta affert quibus, etsi res non conficitur, probabilis tamen redditur, sc. : 1° definitionem Ordinarii vocari sententiam (c. 1992) ; secus atque in casu quo de turpi concubinatu, etiam interventu civilis vel haereticae potestatis confirmato agitur, hic requiri citationem partium et interventum defensoris vinculi ; 3° locum esse appellationi. — In contrarium adduci potest : 1° hunc processum in resp. S. O., 10 iun. 1896 dici « extraiudicialem » ; 2° defensorem vinculi *provocare* ad iudicem secundae instantiae ; 3° istum *decernere* quid sit in casu faciendum ; 4° processum de matrimonio rato, non consummato non esse stricte iudicialem, etsi pleraeque iudicii formae adhibentur

TITULUS XXI

DE CAUSIS CONTRA SACRAM ORDINATIONEM
(cc. 1993-1998)

Scriptores : Santi-Leitner, *Praelectiones iuris canonici*, I, (3 ed.) p. 120, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, II, n. 83. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, IV, in h. cc. — Noval, O. P., *Commentarium*, in h. cc.

298. - **Ordo dicendi.** Duplex causa contra sacram ordinationem moveri potest : altera actor validitatem collati sacramenti impugnat, altera obligationibus e valida ordinatione ortis teneri se negat. In utroque casu, cum maximum bonum fidelium et gravissimae status obligationes agantur, normae quaedam speciales proponuntur primo de Superiore competente (c. 1993), dein de accusatore (c. 1994), postremo de ipsa procedura (cc. 1995-1998).

299. - *De Superiore competente* (**c. 1993**).

1. Triplex causa ex ipso obiecto distinguitur, prout impugnantur :

1° *Obligationes* e sacra ordinatione contractae.

Nam etiam si ordinatio fuerit valide collata, eius obligationibus ligati non habentur qui moraliter coacti vel ante aetatem rationis eam susceperunt (Cf. c. 214. *Epitome*, I, 236).

2° *Validitas ordinationis* ex *defectu habilitatis* vel *intentionis* in ordinante vel in ordinato ;

3° *Validitas ordinationis* e *defectus* substantiali *sacri ritus*, ut si fuerit omissa secunda manuum impositio.

2. In primo et secundo casu libellus ad S. Congr. de Sacramentis, in tertio ad S. Congr. S. Officii est mittendus, quae tamen causam nec semper ipsae nec solae iudicant. Primum enim decernunt utrum ordine iudiciario an tramite disciplinae sit agendum. Si primum, causa instruetur et solvetur a tribunali dioecesano, ex commissione S. Sedis. Causa de substantiali ritus defectu a curia dioeceseos in qua ordinatio peracta fuit, est iudicanda ; in aliis casibus, a curia dioeceseos quae clerici propria fuit tempore ordinationis. Propria autem erat vel incardinatione vel domicilio cum iureiurando perpetui servitii dioecesis. Propria vero dioecesis in his causis dirimendis non est dioecesis originis. Pro gradibus appellationis nihil speciale statuitur.

Etiamsi actor vel reus conventus est religiosus, causa ad S. C. de Sacramentis est deferenda, ut respondit Commissio *delle interferenze*, resp. 7 dec. 1922 (AAS., XV (1923), 39. — *Per.*, XII, 43).

300. - *De legitimo actore.*

1. Si *de nullitate ordinationis* agitur, habiles sunt ad accusandum clericus et Ordinarius cui clericus subest vel in cuius dioecesi ordinatus est (**c. 1994**, § 1). Ordinario, ut patet, officium incumbit accusandi ordinationem invalidam eius qui nolit reordinari.

« Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione obligationes ordini adnexas non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere » (ibid., § 2).

Ad removendum scandalum quod pareretur, si fideles exercentem sacros ordines viderent eum qui mox ut laicus apparebit, « clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus » (**c. 1997**).

Processus est instruendus ad normam canonum qui in sectione I et pro causis matrimonialibus proponuntur, congrua tamen congruis referendo.

301. - 1. Tribunal tribus iudicibus collegialiter procedentibus constabit. Sed ad processum informativum faciendum unus iudex instructor designabitur (Cf. c. 1966). — Defensor vinculi sacrae ordinationis semper est citandus. — Haud perspicimus cur Noval, *o. c.*, ad **c. 1995** propinquos a munere testium excludat (Cf. c. 1974) ; recte vero dicit peritos ex solo defensoris vinculi voto eligi posse (Cf. c. 1793, § 2).

2. « Defensor vinculi sacrae ordinationis iisdem gaudet iuribus iisdemque tenetur officiis quibus defensor vinculi matrimonialis » (**c. 1996**).

Firmitas enim ordinationis vel eius obligationum est causa fere aeque favorabilis ac causa matrimonialis. — Ex eodem motivo explicabis necessitatem duplicis sententiae conformis ut clericus liber ab obligationibus sacrae ordinationis declaretur (**c. 1998**, § 1). Appellatio fit ad normam cc. 1986-1989 (ibid. § 2. Cf. supra, n. 295).

PARS SECUNDA
DE CAUSIS BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI ET CANONIZATIONIS BEATORUM

302. - Ordo dicendi. In hac parte exponuntur formae processuales quae in beatificatione Servorum Dei et canonizatione Beatorum adhibendae sunt. Post brevem introductionem de iudice competente et de modo quo proceditur (cc. 1999-2002), tota materia quinque titulis absolvitur. Agitur primo de personis, quae in his processibus partem habent (tit. XXII) ; dein de genere probationum (tit. XXIII) ; tum de forma processus beatificationis ordinaria (tit. XXIV et extraordinaria (tit. XXV) ; tandem breviter de ipsa canonizatione (tit. XXVI).

INTRODUCTIO (cc. 1999-2002).

Scriptores : Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione.* — de Azevedo, S. I., *Benedicti XIV doctrina de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione in synopsim redacta.* — Lauri-Fornari - Santarelli, *Codex pro postulatoribus causarum beatif. et canon.*, Romae, 1923. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 360, ss. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, VII, in h. cc.(1)

303. - 1. *De historia iuridica beatificationis et canonizationis.*

Quia docemur intimam conexionem esse inter membra Ecclesiae in coelis triumphantis et filios Ecclesiae in terris militantis, decet ut fideles Coelicolas venerentur, quorum intercessione iuvantur (Trid. s. XXV, *De invocat. Sanct.*, etc.). Porro nemo fidelem mortuum cultu privato prosequi vetatur, sed Ecclesia prohibet quominus ii cultu publico colantur quos ipsa tali cultu dignos non prius iudicaverit. Istud iudicium hodie sollemni beatificatione et canonizatione profertur, post accuratas investigationes de virtutibus heroicis vel de martyrio Servorum Dei et de miraculis eorum invocatione impetratis.

Cultus publicus est qui defertur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis *aut* per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis vel Beatis tantum exhibendos. Huiusmodi actus sunt praesertim imagines altari imponere, easdem cum radiis depingere, lumen accendere, reliquias venerationi proponere, donaria votiva publice apponere, etc. Cf. *Epitome*, II, 574.

Canonizatio est ultima et definitiva sententia R. Pontificis qua Servus Dei in Ecclesiam triumphantem receptus esse declaratur eiusque cultus in universa Ecclesia praecipitur. Beatificatio est minus sollemnis declaratio de coelesti gloria cuiuspiam Servi Dei. Declarationis istius *effectus* seu consectarium est permissio, cultus Servi Dei, sed restrictum ad particularia loca vel religiosas familias (Wernz, *o. c.*, III, 362).

(1) Scriptores initio partis indicasse satis sit, cum alii pro diversis titulis afferendi non sint, nullusque, si Fornari excipias, materiam huius partis ordine iuridico fusius exponat.

Beatificatio a canonizatione dupliciter differt : 1° quia beatificatio per se actus est praevius ad canonizationem, etsi interdum haec Beato numquam sit concedenda ; 2° quia cultus Beati universali Ecclesiae, etsi interdum conceditur, numquam tamen praecipitur.

Antiquo dicendi usu inter Beatos et Sanctos nullum discrimen habebatur ; immo vox *Beatus* saepe maioris usus erat et nostro usque tempore conservata est ad Sanctos designandos, v. g. B. M. Virginis, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli.

2. Hodierno iure, cultus publicus Servi Dei a sola S. Sede permitti et decerni potest (**c. 1999**, § 1) ; processus quo ad sententiam istam devenitur uni S. Congregationi Rituum reservatur (ibid. § 2).

Attamen Ordinarii locorum processus plures instrui curant, alios praeliminares ordinaria potestate quam ius commune concedit, alios, post susceptam a S. Sede causam, ex delegatione R. Pontificis (ibid. § 3).

Primis Ecclesiae saeculis, cum cultus martyribus exhibebatur, episcopi loci martyrii erat cultum istum approbare. Ut cultum probaret neque de facto neque de causa martyrii plerumque ambigi poterat (Cf. Cypriani *epist.* XII ; Conc. Afric. II, Hippon. a. 393). Cultus autem ad alias communitates cum ipsa martyrii fama vel per epistolas communes transibat (Cf. *Epist. de mart. Polycarpi*). Honores vero quibus christiani mox post persecutiones Confessores prosecuti sunt, eodem modo ab episcopis, sive singulis sive in Concilium coadunatis, approbationem accipiebant, qui abusus tollebant. Iam saec. IV° distinguunt in Africa martyres *vindicatos* et *non vindicatos*, i. e. qua tales ab episcopis vel Concilio recognitos vel non approbatos (Cf. Conc. Carth. VI, a. 401, c. 17). Cum episcopi cultum in sua tantum dioecesi permittere vel praecipere possent, beatificationem, non strictam canonizationem decernebant, quando honores « Sanctorum » Servis Dei tribuebant. Iam a saec. X° causae Servorum Dei ad S. Sedem saepe deferebantur et ineunte saec. XII° RR. Pontifices iura episcoporum quod ad beatificationem restrinxisse videntur ; quare disputant canonistae quaenam sit propria vis Decretalis qua Alexander III (c. 1, *de reliq. et venerat. SSorum*, X, III, 45) a. 1170 causas Servorum Dei uni S. Sedis iudicio reservavit. Procul dubio, post ipsam, non tamen diu, ab episcopis quaedam beatificationes decretae sunt. Urbanus VIII, Constitutione *Coelestis Hierusalem* (5 iul. 1634), sua decreta dd. 13 mart. et 2 octobr. 1625 confirmavit et universali Ecclesiae promulgavit, praescribens ne quisquam honores canonizationis reciperet antequam formalem a S. Sede declarandam beatificationem obtinuisset. Noluit tamen Servos Dei cultu privare qui immemorabilis vel saltem centenarius esset. Qua declaratione triplex actas in historiam iuridicam beatificationis et canonizationis et duplex beatificationis forma inductae sunt.

Prima aetas ad annum 1170, i. e. ad reservationem ab Alexandro III factam, protenditur. Tunc temporis honores Sanctorum saepissime voce populi, quae vox Dei habebatur, et confirmatione vel directo decreto episcoporum tribuebantur. Secunda aetas ab anno 1179 ad annum 1534 currit : cultus eorum qui per illud tempus tamquam Beati vel Sancti colebantur, si non cessavit, confirmari potest *aequipollente* beatificatione. Servi Dei qui post annum 1534 coli coepti sunt vel ad honores Coelitum proponuntur, formali beatificatione vel canonizatione per viam ordinariam seu non cultus, regulariter indigent ; non desunt enim exceptiones, paucae tamen, ut dicetur infra, n. 336.

304. - Notio. Beatificatio et canonizatio distinguuntur in *formalem* et *aequipollentem*.

Formalis beatificatio vel canonizatio ea est quae iis Servis Dei conceditur quibus constat nullum cultum publicum fuisse praestitum vel adhuc praestari et decernitur via ordinaria seu non cultus; *aequipollens* est sollemnis confirmatio centenarii vel immemorabilis cultus Servo Dei ante a. 1634 praestiti et decernitur « per viam cultus seu casus excepti » (cf. c. 2134).

Aequipollenter canonizati fuerunt v. g. S. Romualdus a Clemente VIII, S. Norbertus ab Urbano VIII, S. Gregorius VII a Benedicto XIII.

Cum RR. Pontifices in canonizatione Servis Dei honores Coelitum definitiva sententia decernunt eorumque cultum in universali Ecclesia praescribunt, iuxta communem theologorum et canonistarum doctrinam, in hac ferenda sententia infallibiles sunt (1).

Cum id tamen non sit de fide, iam eo ipso apparet neque esse fide divina credendum, sed tamquam certum tenendum, iuxta communissimam, ut diximus, theologorum et canonistarum sententiam, eum qui Sanctus est declaratus, iam frui beatitudine coelesti. — Non est cur R. Pontifex in decernenda beatificatione certo infallibilis dicatur. Cultum enim potius permittit quam praecipit, nec cultus est universalis et sententia tamquam definitiva non profertur. Id ergo agit quod multi episcopi in Concilium universale non coadunati fecerunt. Quanta sit tamen auctoritas talis declarationis, nemo non videt.

305. - *De procedura in genere.*

1. « Causae huiusmodi duplici possunt procedere via, scilicet via ordinaria non cultus vel extraordinaria casus excepti seu cultus ».

« Per ordinariam viam proceditur, quando, antequam ad discussionem super virtutibus deveniatur, probari intenditur nullum publicum cultum Servo Dei fuisse praestitum vel, si quando per abusum praestitus fuerit, sublatum fuisse; per extraordinariam vero cum probari intenditur aliquem Dei Servum in possessione publici et ecclesiastici cultus versari » (c. 2000).

Iuxta superius n. 303 dicta, via ordinaria proceditur pro omnibus Servis Dei qui anno 1634 nondum cultu centenario vel immemorabili gaudebant; altera pro iis pro quibus aequipollens beatificatio vel canonizatio confirmatione cultus intenditur. Discrimen inter utramque praecipuum est quod in secunda processus forma miracula non exiguntur, sed certitudo ex fama de cultu immemorabili et de heroicitate virtutum vel martyrio.

2. Causae Servorum Dei non sunt *cumulandae*, i. e. uno eodemque processu agendae, nisi agatur de martyribus qui in eadem persecutione *et* in eodem loco passi sunt (c. 2001, § 1).

Tunc enim testimonia plerumque ab iisdem personis et de iisdem, saltem quibusdam, factis proferentur, quae causis plurium simul proderunt.

Eadem prohibitio extenditur ad distinctos processus in eadem causa, v. g. de virtutibus, de fama martyrii, de miraculis, quo clarius et certius omnia definiantur (c. 2001, § 2).

(1) Cf. REIFFENSTUEL, *Ius. can. univ.*, III, t. 45, c. 1, n. 6. — SCHMALZGRUEBER, *Ius eccl. univ.* III, t, 45, § 1.

3. Ordinarii nomine in his causis intelleguntur episcopi dioecesani, Vicarii capitulares, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii et Praefecti apostolici; non autem Nuntii apostolici, nec Superiores maiores Regularium, « neque Vicarius Generalis, nisi habuerit mandatum speciale » (c. **2002**).

4. Iuxta disciplinam iam ante Codicem vigentem, duae species processuum ante omnia sunt distinguendae: alii enim sunt *ordinarii*, alii *apostolici*.

Processus *ordinarius* seu **informativus** ab Ordinario loci proprio iure instruitur eiusque finis est S. Congregationi ea omnia praebere quibus decernere possit utrum necne causa sit admittenda. Si, post examen processus informativi, S. Pontifex de consilio Patrum Cardinalium decreverit causam a S. Congregatione admittendam esse, causa dicitur *introducta*. Tunc incipiunt *processus apostolici*.

Processus apostolici vocantur qui in curiis dioecesanis *ex delegatione* S. Sedis instituuntur ad congerenda documenta et testimonia, dein in ipsa S. Congregatione discutiuntur, ad solvenda dubia a quibus concessio decreti Beatificationis pendet.

TITULUS XXII

DE NONNULLIS PERSONIS QUAE IN HIS PROCESSIBUS PARTEM HABENT

(cc. 2003-2018)

306. - **Ordo dicendi.** Cum causae beatificationis et canonizationis ad modum veri iudicii agantur, in iis agitandis eaedem fere personae partes habent atque in aliis iudiciis. Causam promovet postulator vel vice-postulator (cc. 2003-2008); ius vero tuetur promotor vel subpromotor fidei, coram tribunali ad quod Relator seu Ponens omnia quae ad causam pertinent rite disposita refert (cc. 2009-2012); iudicibus vero notarius et Cancellarius, Procuratori advocati auxilium praestant (cc. 2013-2018).

Caput I. - De actore et postulatore

307. - 1. Ut causa instruatur, iudex generatim petitione personae movendus est, quae, cum cultum Servi Dei promovere cupiat, negotia et impensas susceptura sit. Actor autem causam per se promovere rarissime potest; quare alia persona, eius nomine et mandato, agit.

Iamvero quaelibet persona catholica, physica vel moralis, ius habet petendi ut causa apud tribunal competens instruatur et, annuente legitimo Superiore, eam promovendi et ad exitum perducendi; Ordinarii vero locorum possunt quoque causam beatificationis ex officio instruere (c. **2003**).

2. Actor est qui causam, petitione legitime accepta, introducit ; dum Postulator est persona quae, sive proprio nomine sive tamquam procurator, ex speciali mandato, apud Ordinarium instat ut processus praevius instituatur et causam usque ad sententiam definitivam promovet.

308. - 1. Postulator debet esse *sacerdos*, residere *Romae* et muniri *speciali* ad causam agendam mandato. *Unicus* postulator in singulis causis admittitur *solusque* potest sibi substituere *vice-postulatores*, qui per legitimum eius mandatum, ad *valorem* actuum necessarium (1), eius vices agant (**cc. 2004. 2005**).

Quae in posterum de postulatore dicentur, de vice-postulatoribus valent, nisi aliud ex contextu vel rei natura constet.

Postulator qui ad omnes causas religionis cuiusdam deputatur, *postulator generalis* vocatur, dum dicitur simpliciter postulator, qui ad unam causam promovendam eligitur. Constituitur a supremo religionis Moderatore vel a Generali Capitulo, ad normam constitutionum.

2. **Mandatum** postulatoris vel vice-postulatoris debet referre specialem mentionem negotii pro quo eligitur, locum, diem, mensem et annum, et nomen mandantis. — Non est legitimum, nisi postquam a S. Congregatione vel, si de vice-postulatore agitur, a tribunali in quo munus exercet, recognitum et in actis inscriptum est (**c. 2006**).

Mandatum a coetu piarum vel religiosarum mulierum datum a notario vel Cancellario curiae dioecesanae opportune subsignatur. -- Causae Servarum Dei, quarum religio ad Ordinem virorum pertinet, saepe a postulatore generali primi Ordinis aguntur.

Istud mandatum exstinguitur iisdem de causis ac mandata aliorum procuratorum (**c. 2008**).

3. *De officio postulatoris.*

Postulatoris est primo privata inquisitione ea documenta vel testimonia sibi procurare quibus mature perpensis aestimare possit num causa spem boni exitus faciat.

« Ad postulatoris officium pertinet » :

« 1° Agere causam apud iudices competentes ; »

« 2° Necessarios sumptus facere ; sed pecunia a fidelibus ad causae expensas collecta administrari debet ad normam instructionum Sedis Apostolicae ; »

« 3° Nomina testium et documenta tribunali exhibere ; »

« 4° Conficere et exhibere promotori fidei articulos, super quibus testes in processibus debeant interrogari » (**c. 2007**).

Articuli sunt distinctae de vita, virtutibus, doctrina, miraculis Servi Dei propositiones, ex privata postulatoris inquisitione et ope advocatorum paratae, ut materiam examinis testium praebeant. — In processu praevio, articuli a

(1) *S. R. C.*, decret. 21 dec. 1893. — *N. R. Th.*, t. 26, (1894), 296.

postulatore confecti vice-postulatoribus praebentur, qui et ipsi articulos suos addere possunt ; ad processum apostolicum conficiendum, postulator S. Congregationi articulos praebet ad interrogatoria secreta conficienda, quae simul cum articulis litteris remissorialibus includendis ad episcopum transmittentur.

Caput II. - De Cardinali Relatore, Promotoribus fidei et sub-promotoribus

309. - 1. **Tribunal,** cui causa subicitur, constat uno vel pluribus iudicibus. In disceptationibus quae a S. Congregatione fiunt, unus e Cardinalibus partes *Relatoris* seu *Ponentis* agit.

Cum ipsius fidei et honoris Dei intersit ne cuiquam cultus tribuatur quo dignus non sit, ius fidei et Ecclesiae in quolibet processu beatificationis et canonizationis tuetur *Promotor fidei.*

2. **Iudices** sunt, in processu ordinario, *Ordinarii locorum* per se vel per suum delegatum, in processu apostolico, *delegati* a S. Congregatione. — *Cardinales* S. Congr. Rituum tamquam iudices instructores considerari possunt, cum solus R. Pontifex sententias omnes proferat.

Ordinarius in processu ordinario, si per se solus non iudicaverit, iudicem *deputatum* constituit. Nisi alium episcopum in suum locum substituerit, duos *adiunctos* iudices deputato addet, qui cum eo collegialiter agant. In processu apostolico, S. Congregatio decernit quinam delegentur vel subdelegari possint.

3. Cardinalis **Relator** seu *Ponens* in causis apud S. Congregationem agitatis a R. Pontifice ex Patribus eidem S. Congregationi ascriptis designatur, qui omnia quae ad causam sibi demandatam pertinent in plenaria Congregatione perspicue referat (**c. 2009**).

310. - 1. **Promotor fidei** est sacerdos cuius munus est iura fidei tueri et observationem legum ecclesiasticarum in processu exigere, ne cuiquam cultus deferatur quo dignus non sit.

Istud munus in causis beatificationis et canonizationis respondet muneri defensoris vinculi in causis de statu personarum (1).

Praelatus qui in S. Congregatione hoc munere fungitur ab ipso R. Pontifice eligitur et nomen *promotoris generalis* habet, cui auxiliatur Assessor S. Congregationis, nomine *sub-promotoris fidei generalis.* In curiis vero episcopalibus, idem munus exercet sacerdos, qui in processu ordinario ab Ordinario loci constituitur, in processu apostolico a Promotore generali fidei designatur. In priore casu *promotor fidei* vocatur, in secundo sub-promotor fidei (**cc. 2010. 2011**)

S. C. Rituum vetuerat decreto 14 ian. 1893 (2) quominus promotor fiscalis apud

(1) Promotor fidei cum omnia proponere debeat quae beatificationi vel canonizationi obstant, *advocatus diaboli* vulgari sermone dictus est.

(2) *N. R. Th.*, t. 25 (1893), 516.

tribunal Ordinariorum nomine promotoris fidei vocaretur. Codex promotorem fidei in dioecesibus instituit et simul promotorem S. Congregationis nomine promotoris fidei *generalis* ab aliis discernit.

2. Sicut promotor iustitiae aut defensor vinculi (c. 1587), ita promotor fidei vel subpromotor in quolibet processu citari debet (c. 2010). Concinnat interrogatoria ad omnem circa causam veritatem detegendam et curat ut testes opportuni interrogentur, etsi iudex alios quoque ex officio interrogare potest (**c. 2012**).

Eius legitima citatio ad *valorem* actuum requiritur, non tamen eis praesentia. Si absens fuerit, ius et officium habet omnia acta postea examinandi.

Caput III. - De notario, cancellario et advocatis

311. - In his processibus, ut in aliis, ministerium eorum requiritur qui acta authentice conficiant confectaque servent vel qui actori, i. e. postulatori auxilium praestent. Cap. III de his personis agit.

312. - 1. Notarius seu actuarius adhibendus est in *omni* processu pro causis Servorum Dei (**c. 2013, § 1**).

Notarius per se laicus esse potest, modo ipsi hoc munus a S. Congregatione vel ab Ordinario demandatum fuerit.

Excluduntur ab hoc munere *religiosi* omnes in causis suae religionis ; in aliis vero, nisi ex necessitate, admitti nequeunt estque utraque prohibitio ad validitatem servanda (**c. 2014**) (1).

2. « In processibus ab Ordinario loci instruendis extra Urbem, notarii munere fungi potest ipsemet Curiae notarius ; in Urbe notarii munere fungatur Protonotarius S. Congregationis, eoque absente, notarius Vicariatus Urbis » (**c. 2015**).

« Notarius apud S. Congregationem debet esse e numero Protonotariorum participantium » (c. 2013, § 2).

Protonotarii participantes de numero sunt collegium Praelatorum Curiae romanae, quibus committuntur scribenda acta maximi momenti, ut sunt documenta acceptationis Pontificatus, suscepti tituli cardinalicii, collatae in Curia consecrationis episcopalis, etc. (2).

3. « Notario dari potest adiutor seu, ut aiunt, *adiunctus* qui ei auxilium praestet in conferendis transumptis cum actis originalibus, et exemplaribus cum documentis quae ex autographis in bibliothecis, tabulariis, etc., servatis transcribuntur » (**c. 2016**).

In **cc. 2017. 2018** proponuntur dotes requisitae in iis qui munus notarii adiuncti, Cancellarii et advocatorum apud S. Congregationem obeunt. Quod de eorum peritia dicitur, insinuat qualis scientia ad eiusmodi munera sit necessaria.

---

(1) *N. R. Th.*, t. 26 (1894), 583.
(2) Pius X, Motu proprio *Inter multiplices*, 21 feb. 1905 — *N. R. Th.*, t. 37 (1905), 533.

TITULUS XXIII

DE PROBATIONIBUS IN HIS PROCESSIBUS ADHIBENDIS
(cc. 2019-2036)

313. - **Ordo dicendi.** Titulus XXIII tribus capitibus constituitur, quae primo de *probationibus in genere* (cc. 2019-2022) agunt, dein de duplici fonte probationum in specie, seu de *testibus et peritis* (cc. 2023-2031) et de *documentis* (cc. 2032-2036).

Caput I. - De probationibus generatim

314. - 1. In causis Servorum Dei, probatio ad normas severiores exigitur, tum quod ad fontem probationis, tum quod ad numerum et qualitatem testium.

2. *De* fonte *probationum.* « In his causis probationes debent esse omnino plenae ; nec aliae sunt admittendae, nisi quae ex testibus et ex documentis eruantur » (**c. 2019**).

Diximus supra, n. 163, 2, 2° quid sint probationes plenae, semi-plenae, etc. — Narrationes scriptae, elogia, donaria votiva tamquam probationes non admittuntur, sed tamquam *adminicula* probationis non excluduntur.

3. Numerus et qualitas *testium* varia sunt pro qualitate processus (ordinarii vel apostolici) ; pro obiecto causae (virtutibus heroicis, absentia cultus, fama sanctitatis, miraculis) ; pro qualitate causae (per viam non cultus aut casus excepti).

Ita v. g. *decem* (1) testes, quorum duo ex officio inducti, necessarii sunt ad probandam famam virtutum, martyrii ac miraculorum. Sed in hoc casu, satis est ut testes sint singulares singularitate *adminiculativa*, i. e. ut testimonia *diversa* quae singuli afferunt alia aliis compleantur et corroborentur.

Contestes, qui ad probanda virtutes vel martyrium requiruntur, illi sunt quorum dicta *conformia* sunt dictis alterius vel aliorum testium, sive quae testantur de visu acceperint, sive de auditu ; quare cum Codex exigit *testes* et *contestes*, conformitatem testium inter se exigit.

4. Generatim testimonia eorum exiguntur qui facta ipsi viderunt (*testes de visu*) vel ex testibus omnino fide dignis immediate audierunt (*testes de auditu*) ; in causis antiquis vel procedentibus per viam casus excepti, recipiuntur testimonia ex auditu atque ex publica fama, cum testimonia ex auditu traditionem non interruptam seu *annulatam* constituunt (**c. 2020**).

5. Ut probetur cultus immemorabilis, recurritur ad authentica

---

(1) Sic interpretamur vocem *praeterea* in c. 2029, § 2, ex commentariis iuris anterioris.

documenta quae facta referant saltem centum annis antiquiora Constitutione Urbani VIII, a. 1645 promulgata (c. **2021**).

« Longissimi temporis cultus a Sede Apostolica permissus per documenta *coaeva* probatur » (c. **2022**).

Caput II. - De testibus et peritis

315. - 1. Si seponas eos qui ob naturales vel morales defectus ad munus testis implendum inepti sunt, paucae personae iure positivo, propter officium quo funguntur, ab isto munere excluduntur ; satis multae sponte comparere aut ex officio vocari debent.

2. Testes necessarii. *Omnes Christi fideles,* etiam non vocati, in Ecclesiae notitiam ferre *debent* quae *contra* virtutes, martyrium vel miracula Servi Dei ipsis facere videntur (c. **2023**). *Vocandi sunt* saltem « ii omnes qui cum Servo Dei familiaritatem vel consuetudinem habuerunt » (c. **2024**) et medici a curatione, cum de miraculis agitur (c. **2028**, § 1). Quicumque ex hac consuetudine vel aliter testimonium alicuius momenti ferre possunt, nisi se vocatos esse sciant, Ordinarium de iis quae sciunt, breviter monere *debent* (c. **2025**).

3. Testes admitti possunt omnes, etiam infideles. — Neque, per se, excommunicati a ferendo testimonio excluduntur, cum is non sit actus legitimus (Cf. c. 2256, 2°).

« Ad probandam famam sanctitatis vel martyrii Servi Dei qui pertinuerit ad aliquam religionem, dimidia saltem pars testium debent esse extranei » (c. **2030**).

4. Excluduntur a munere testis confessarii, relate ad ea quae ex confessione vel eius occasione noverunt (Cf. c. 1757, § 3, 2°) ; qui ipsi iudicio collaborant, sc. postulator, advocatus aut procurator in causa, iudex.

Sed iudex, etiam si munus plene dimiserit, ne adminiculum quidem suppeditare potest, contra atque alii, munere omnino expleto, facere possunt.

5. *De modo ferendi testimonii.*

« Testes in sua testificatione propriae scientiae causam reddere debent circa ea quae asserunt ; secus eorum testimonium nihili faciendum est » (c. **2029**).

Etiamsi interrogatorium de omnibus minutim agat, testes ita plena responsa dare debent, ut ad haec intellegenda articulos legere necesse non sit.

316. - *De peritis.* Periti ne ex testibus deligantur ; postulatori et aliis sint ignoti, nisi ex iusta causa iudex, assentiente promotore fidei, permittat ut plures simul peritiam instituant ; singulatim interrogandi sunt et relationem de peritia facere debent (c. **2031**).

Caput III. - De documentis processui inserendis

317. - Tamquam documenta non admittuntur testimonia extraiudicialia ; elogia funebria vel necrologia, etiam immediate post mortem Servi Dei edita ; neque testimonia quae, vivente Servo Dei, eius amicorum precibus data sunt (c. **2033**) ; neque historiae, nisi quatenus documentis in processu exhibitis nituntur (c. **2035**).

Documenta authentica aut in transumpto authentico vel photographico apud tribual deponenda (c. **2036**) et integra afferenda sunt (c. **2032**). Illius est authenticitatem documenti probare qui istud affert (c. **2034**).

TITULUS XXIV

DE PROCESSU BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI PER VIAM NON CULTUS

(cc. 2037-2124)

318. - **Ordo dicendi.** Processus beatificationis per viam ordinariam tria stadia percurrit. Primum est confectio processuum ordinariorum qui instituuntur iure proprio ab Ordinario generatim illius loci in quo Servus Dei mortuus est (Cap. I). Hi processus sunt tres : primus qui proprie *informativus* dicitur, colligit testimonia et documenta de vita, fama sanctitatis, virtutibus, signis vel martyrio Servi Dei ; alter processus colligit testimonia de cultu numquam praestito Servo Dei et dicitur processus *de non cultu ;* tertius processus consistit in perquisitione omnium scriptorum Servi Dei, quae Romam mittuntur ut ibi examinentur et vocatur *processiculus diligentiarum.*

Secundum stadium est *introductio causae* apud S. Congregationem. Causa introducta dicitur si S. Pontifex de consilio Patrum qui scripta revisioni et documenta processus ordinarii sedulo examini subiecerunt, decernat causam a S. Congregatione esse admittendam (Cap. II). — Tertium stadium constituunt *processus apostolici.* Causa in curis dioecesanis denuo instruitur, sed iam ex delegatione S. Sedis. Postquam S. Congregationi de validitate huius novi processus constiterit, ipsa iam per se causam agitat. Duo nempe dubia Patribus Cardinalibus examinanda et solvenda proponuntur, sc. 1um num constet de virtutibus heroicis Servi Dei vel de eius martyrio ; 2um num adsint miracula ad beatificationem requisita. Utrumque dubium in triplici sessione S. Congregationis perpenditur. Si responsum ad primum est affirmativum, Servus Dei iam titulo *Venerabilis* decoratur ; si alterum affirmative solvitur, S. Pontifex decretum fert de conferenda sollemni beatificatione. De quibus iam paulo fusius est agendum (Cap. III). His tribus capitibus praemittitur canon de variis iuramentis praestandis.

CANON PRAELIMINARIS (c. 2037). — DE IURAMENTIS PRAESTANDIS

319. - Omnes personae quae in his processibus partem habent, unum vel plura iuramenta praestare debent. Quod ad haec iuramenta, penes S. Congregationem servatur eius lex propria. In Curiis dioecesanis :

1. Iusiurandum *de secreto servando* praestatur ab omnibus, immo ab Ordinario quoque, etiam si partes iudicis non agat.

Materia huius secreti est quidquid ex actis vel actibus causae cognoscitur. Testis v. g. potest quae de Servo Dei cognoscit omnibus narrare, non autem aperire de quibus fuerit interrogatus.

2. Iusiurandum de *munere fideliter implendo* exigitur ab iis qui munus obeunt *publicum*. Praeterea interpretes, revisores et scriba iusiurandum de munere bene *impleto* addunt.

3. *Omnes testes* iuramento *de veritate* asserunt ante testimonium se veritatem dicturos, postea vero se veritatem dixisse.

4. « Postulatores ac vice-postulatores praestare debent iusiurandum *calumniae*, id est iurent se veritatem per totum processum dicturos nullaque fraude usuros » (c. 2037, § 4).

Calumnia est in criminalibus *falsa crimina intendere ;* in contentiosis, *per fraudem* alios vexare vel per meras frustrationes negotium differre. L. 233, pr. ff. *De V. S.*

Caput I
De processibus a loci Ordinario iure proprio instruendis

INTRODUCTIO. NORMAE GENERALES

320. - 1. De *obiecto processuum.* **Obiectum** processus ordinarii *triplex* est, sc. 1° fama sanctitatis, virtutum et miraculorum vel martyrii ; 2° absentia cultus publici, ad normam decretorum Urbani VIII (**c. 2038**) ; 3° sedula **perquisitio scriptorum** Servi Dei, quibus de puritate eius doctrinae constare possit.

Ex responsis de his punctis patebit num absit omne obstaculum *peremptorium*, quo scilicet S. Congregatio permota causam omnino remotura esset. Talia forent una virtus pluries violata, error contra fidem et mores in scriptis repertus, etc.

2. **Ordinarius competens** est « Ordinarius loci in quo Servus Dei supremum diem obiit, aut miracula contigerunt » (**c. 2039**, § 1) ; vel loci in quo continuandus est processus etiam ante triginta annos confectus in causa quae, apud S. Congregationem nondum legitime introducta, ob quamlibet causam est intermissa (ibid., § 2).

3. **Tribunal** constat uno vel tribus iudicibus collegialiter procedentibus. Ordinarius, nisi de gente Servi Dei sit (c. 2039, § 1), potest per se et, si velit, solus causam instruere ; vel per iudicem delegatum cui addere debet duos alios iudices e iudicibus synodalibus eligendos (**c. 2040**).

Si iudex delegatus seu deputatus episcopali dignitate insignatur, ex praxi S. Sedis solus quoque causam instruere potest.

Adsunt quoque promotor fidei et actuarius ab Ordinario constituti.

4. Sessiones habentur, quoad fieri potest, diurno *tempore* et *loco* sacro (**c. 2041**).

Art. I. - De perquisitione scriptorum Servi Dei

321. - *Obiectum* perquisitionis sunt omnia scripta Servi Dei, sive quae publici iuris fecit, sive quae ad usum privatum inservierunt (**c. 2042**). Ordinarius decreto iubebit *omnes* penes quos huiusmodi scripta sint, tradere eorum autographum vel permittere ut scripto vel photographia apographum, quod authenticum esse constet, sumatur (**cc. 2043-2045**). promovent inquisitionem tum Postulator causae, tum Ordinarius, etiam ex officio. Promotoris est exigere ut decretum, si id necessarium vel opportunum fuerit, in aliis locis atque vulgatum est, publicetur (c. 2043). Quicumque scripta detinent, decreto pareant oportet, praesertim si quid illa contineant quae contra causam faciant; religiosi ad id a suis Superioribus sunt adigendi. Acta perquisitionis, a notario descripta, ab Ordinario vel ab eius delegato et promotore fidei subscribenda et Ordinarii sigillo munienda sunt (**c. 2046**). Postulator semper et, ubi agitur de religiosa muliere, suprema religionis Moderatrix vel Antistita monasterii iusiurandum praestare debent de perquisitione rite peracta (**c. 2047**).

In causis martyrum, haec perquisitio fieri potest etiam postquam causa apud S. Congregationem rite introducta est (**c. 2048**).

Haec licentia ideo exprimitur, quia mos invaluerat ut perquisitio scriptorum post causae introductionem ex venia S. Pontificis ageretur. Sed iam ab aliquo tempore ante Codicem venia non concedebatur, quia inutiles sunt impensae et diligentiae processus informativi, si quid in scriptis ulteriori processui obstet.

Processus iste vocatur *processiculus diligentiarum*, ob multam diligentiam quacum scripta sunt perquirenda.

Art. II. - De processu informativo

322. - 1. Processus informativus, cuius obiectum est fama sanctitatis vel facti et causae martyrii, tamquam praecipuus habetur. — Examen enim scriptorum et processus super non-cultu absentiam potius obstaculi probare intendunt, ad causam vero promovendam nihil conferunt.

2. Processus informativus est incipiendus *quamprimum*, quo testes et numero et qualitate praestent; quare, si ultra triginta annos dilatum sit, praesumitur adfuisse fraus vel dolus vel culpabilis neglegentia; quae praesumptio removenda est antequam ad ulteriora procedatur (**c. 2049**).

3. Finis processus est « ut probetur fama in genere, spontanea, non arte aut diligentia humana procurata, orta ab honestis et gravibus personis, continua, in dies aucta et vigens in praesenti apud maiorem partem populi » (**c. 2050**, § 2) virtutum, miraculorum aut martyrii.

Fama sanctitatis de qua in causa « nihil aliud est quam existimatio, seu communis opinio de puritate et integritate vitae, et de virtutibus non utcumque, sed per continuatos actus, data occasione, exercitos supra communem operandi modum aliorum proborum virorum, necnon de miraculis eorum sc. servorum Dei intercessione a Deo patratis ; ita ut concepta in uno vel pluribus locis erga eos devotione, a plerisque in suis necessitatibus invocentur, et plurimum graviorum virorum iudicio digni existimentur ut per Sedem Apostolicam referantur in album Sanctorum vel Beatorum » (BENEDICTUS XIV, *De canon. Sanct.* l. II, cap. 39, n. 7).

Etsi sufficiat ut probetur fama in genere, ex praxi hodierna articuli ita concipiuntur ut de gradu heroico virtutum in specie facile constare possit. Timendum est enim ne quorundam testium de visu vel de auditu memoria debilitetur, vel ipsi testes e vivis discedant, antequam processus apostolicus instrui possit. Exempla articulorum de singulis virtutibus vide apud LAURI-FORNARI, *Codex*, p. 5 et ss.

4. Absolvitur *processus* cum promotori fidei constiterit eos omnes fuisse examinatos quos oportebat (c. **2051**) et postulator legitime monitus nihil iam obtulerit intra tempus ipsi a tribunali praestitutum (c. **2052**).

5. *De transcriptione processus.*

Totus processus a scriba quem tribunal designaverit (c. **2053**) manu (c. **2054**), non machina transcribatur. *Transumptum* cum archetypo collatum, a notario, iudicibus et promotore fidei subsignatur et sigillo iudicum communitur, quo de eius authenticitate constet (c. **2055**).

6. *De asservatione actorum processus.*

Archetypum in archivo secreto Curiae dioecesanae servatur, *transumptum* Postulatori vel vice-postulatori traditur ad S. Congregationem transmittendum.

Notarius debet instrumentum in duplici exemplari conficere quo asserit transumptum ab Ordinario clausum et obsignatum fuisse alterum exemplar in archivo Curiae asservatur, alterum ad S. Congregationem mittitur (c. **2056**).

Art. III - De processu super non cultu

323. - 1. Processus de non cultu *finem* habet probare cultum publicum ab Ecclesia prohibitum Servo Dei numquam fuisse exhibitum (Cf. supra, n. 303).

2. *Instruitur* processus iste sessionibus diversis a processu informativo, ope testimoniorum et inspectionis locorum, in quibus pronum est signa cultus exhiberi.

Quattuor saltem *testes* sunt necessarii, quorum saltem duo ex officio a tribunali inducti (cc. **2057**. 2020, § 1). Tribunal ipsum adire debet et diligenter inspicere « sepulcrum Servi Dei, cubiculum in quo habitavit vel obiit, et si qua sint alia loca ubi cultus signa adesse merito quis suspicari possit » (c. **2058**).

Iudices inspicient et interrogabunt num apud sepulcrum fuerint erecta statua, depicta imago cum radiis, apposita donaria votiva, accensae lampades vel cerei, etc.

3. Processus absolvitur *sententia* tribunalis qua definit « utrum cultus Servo Dei fuerit praestitus, necne » (**c. 2060**).

Art. IV. - De transmissione processus scriptorum Servi Dei, processus informativi et de non cultu ad Sacram Congregationem

324. - 1. Ad S. Congregationem mittenda sunt : 1° Ab Ordinario scripta Servi Dei cum processiculo diligentiarum quibus in perquirendis scriptis usus est ; et alia scripta quae in decursu causae forte inveniantur (**cc. 2061. 2062**).

2° A postulatore : *a*) transumptum processus informativi ;

b) litterae tum iudicum ad S. Congregationem tum promotoris fidei ad Promotorem fidei generalem, ut S. Congregatio certior fiat tum de fide testibus praestanda, tum de omnibus actis legitime absolutis (**c. 2063**).

c) processus de non cultu (**c. 2064**).

2. Si alia Servi Dei scripta in decursu causae reperiantur, ad ulteriora procedi non potest, nisi prius a S. Congregatione revisa fuerint (c. 2062).

Caput II
De causae introductione apud S. Congregationem

325. - **Introductio causae** est actus S. Pontificis quo causam beatificationis Servi Dei instruendam S. Congregationi Rituum committit. Istud decretum fert R. Pontifex, motus petitione S. Congregationis quae de processus informativi effectu iudicium favorabile tulit.

S. Congregatio ad istud votum non procedit nisi prius ipsi constiterit nihil in scriptis Servi Dei fidei vel moribus adversari. Signata Commissione introductionis causae, S. Congregatio processum de non cultu examini subicit aut, si omissus fuerit, sua auctoritate instruendum curat. De hoc triplici obiecto tres articuli sequentes agunt.

Decreto de introductione causae, S. Pontifex causae *manum apponit.* Quare Ordinariis nihil iam circa eam agere licet sine venia S. Sedis.

De normis S. Congregationi praestitutis in hoc opere non est agendum, sed breviter et clare proponenda videntur qualitas personarum quae in processu agunt et stadia quae causa percurrit.

Art. I. - De revisione scriptorum

326. - 1. *Revisores* scriptorum sunt sacerdotes, laurea saltem in theologia vel, si sint religiosi, titulo aequivalenti donati, qui a Cardinali Ponente, audito Promotore generali fidei, in singulis causis ad scripta quaedam vel omnia Servi Dei revidenda eliguntur (**cc. 2066. 2067**).

Pro singulis scriptorum partibus, si dividantur, duo nominantur revisores alter alteri ignotus ; quorum si sententiae discrepent, ad tertii iudicium recurretur (**c. 2069**).

2. *Finis* examinis est duplex : 1° referre num quidquam in his scriptis fidei ac bonis moribus adversetur ; 2° edocere generali quadam ratione quaenam de indole, virtutibus, etc. Servi Dei e scriptis appareant (**c. 2068**, § 1).

Iudicia revisorum imprimuntur et difficultatibus, si oppositae sint, ab advocato respondetur, sic positio conficitur quae in Congregatione ordinaria cardinalibus distribuitur, ut votum de scriptis ferre possint.

Etiam si quid appareat fidei non omnino consonum vel fidelium auribus offensivum, S. Pontifex potest decidere num ad ulteriora procedendum sit ; nulla tamen, etiam si responsum sit affirmativum, approbatio data censetur scriptis ; nec Promotor generalis fidei et consultores prohibentur ex iis obiectiones movere (**cc. 2070-2072**).

Art. II. - De discussione processus informativi

327. - 1. Finis huius discussionis est solvere dubium « an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur » (cf. **c. 2082**). Iste effectus est instruenda causa beatificationis.

Quare si, scriptis perpensis, decretum fuerit ad ulteriora esse procedendum, Promotor fidei generalis obiectiones suas contra introductionem causae proponit, quibus breviter et perspicue, methodo fere scholastica, respondet advocatus causae. Si Cardinales in comitiis ordinariis introductioni causae faveant, proponitur Sanctissimo ut signet *Commissionem introductionis causae* ; quod si fecerit, decretum a Secretario S. Congregationis conficitur et fit publici iuris.

2. Iuxta veterem S. Congr. Rituum consuetudinem, Venerabilis dicebatur ille cuius causa erat decreto introducta. Sed S. Congregatio decr. 26 aug. 1913 (1) vetuit Servos Dei titulo Venerabilis decorari antequam prodiisset decretum de heroicitate virtutum vel de martyrio. Quae prohibitio **c. 2084**, § 1 renovatur. Prohibitio omnis publici cultus occasione introductionis causae eodem decreto lata est. A momento quo decretum introductionis causae est editum, cessat omnis facultas Ordinarii circa eandem causam agendi sine expressa S. Congregationis licentia (**cc. 2073-2084**).

Art. III. - De discussione processus super non cultu

328. - Discussio de non cultu fit in Congregatione ordinaria et conficitur Positio, quae constat informatione advocati, summario pro-

(1) AAS, V, 1913, 436. — *Period.* VII, 217.

cessus dioecesani, obiectionibus Promotoris fidei generalis et responsionibus advocati. Si ex voto Cardinalium constiterit absentia cultus, declaratur procedi posse ad ulteriora, sed de hoc non editur decretum.

Quod si Ordinarius processum de non cultu propria auctoritate nondum confecerit, ad eundem devenitur auctoritate apostolica, i. e. per iudices in curia dioecesana a S. Sede delegatos. Si constiterit cultum fuisse exhibitum, omnia eius signa, per tempus a Patribus definiendum, erunt removenda antequam ad ulteriora procedatur **(cc. 2085. 2086)**.

Cultus ergo illicitus non tollit omnem spem beatificationis vel canonizationis.

Caput III. - De processibus apostolicis

329. - Ordo dicendi. Processus apostolici ii sunt qui in Curiis dioecesanis ex delegatione S. Sedis instituuntur et a S. Congregatione absolvuntur.

Coram tribunali dioecesano, a S. Sede delegato, colliguntur testimonia, documenta et probationes quibus constet in *genere* de continuata sanctitatis fama (*processus generalis*) et in specie de virtutibus heroicis vel de martyrio et de miraculis (*processus specialis*) (Art. I). S. Congregatio vero, si processus illius validitatem agnoscit (Art. II), ipsa examen instituit de virtutibus vel de martyrio (Art. III) et de miraculis (Art. IV), de iisque iudicium profert. Sententia definitiva a S. Pontifice fertur, a qua pendet decretum de sollemni beatificatione.

Art. I. - De processu apostolico instruendo

330. - Processus apostolicus duplex distinguitur, sc. alter generalis, alter specialis. *Obiectum* processus generalis est fama sanctitatis in genere ; obiectum processus specialis, virtutes in specie vel martyrium et miracula. Sed processus de isto duplici obiecto distincte faciendi sunt. Quare, nisi Cardinalis Praefectus et Promotor fidei generalis a processu generali tamquam inutili vel non opportuno dispensaverint, triplex processus in Curia dioecesana ducetur.

Processus specialis generatim non permittitur antequam decretum de non cultu a S. Congregatione latum fuerit ; interdum tamen litterae remissoriales ad illum ducendum antea conceduntur, « *ne pereant probationes* », seu testimonia eorum qui ob senium vel male affectam valetudinem aut ob proximum e loco discessum mature sunt audiendi **(c. 2087)**. — Etiam si processus inchoatur ne pereant probationes, testes tamen alii ac senes et valetudine affecti interrogari possunt.

Senes habentur qui aetatis quinquagesimum annum expleverunt.

331. - *De tribunali delegato.*

Tribunal delegatum ad instruendum processum apostolicum constat quinque iudicibus, in ecclesiastica, si fieri possit, dignitate constitutis. Praeses est Ordinarius, si fuerit delegatus, secus iudex

ab ipsa S. Congregatione designatus, alius ac qui processui informativo praefuit (c. **2088**). — Duo *sub-promotores* a Promotore generali designantur, qui eius vices gerant (c. **2089**).

Postulator partes actoris agit. — Adduntur notarius a tribunali in prima sua sessione electus, peritus, in processus super miraculis, et cursor (c. **2093**, § 2).

Satis est tamen ad validitatem ut singulis sessionibus « adsint praeses cum duobus iudicibus vel, ipso annuente et absente, tres alii iudices, itemque unus ex sub-promotoribus fidei, notarius vel adiunctus » (c. **2094**).

2. *De tempore ad instruendum processum concesso.*

Processus *inchoari* debet infra trimestre a receptis litteris remissorialibus nec differri potest nisi iusta de causa, de qua S. Congregatio certior facienda est (c. 2093, § 1); *absolvendus* est saltem infra biennium a die aperitionis litterarum. Biennio elapso, processus sine venia S. Sedis valide continuari nequit (c. **2095**).

Si processus praevidetur longior futurus, postulator a S. Congregatione prorogationem termini tempestive petat, cuius decretum tribunali exhibebit et actibus processus inserendum curabit.

3. *De procedura.*

Octo vel decem testes, quorum duo ex officio, excutiuntur iuxta interrogatoria a Promotore fidei generali confecta et, si de miraculis, agatur, iuxta interrogationes iudici a perito propositas (cc. 2088. **2090**).

« Antequam absolvatur processus apostolicus super virtutibus in specie, fiat a tribunali recognitio iuridica exuviarum Servi Dei secundum praescripta litterarum remissorialium (c. **2096**).

Exuviae Servi Dei, postquam a peritis medicis erunt recognitae, in nova eaque, si fieri potest, duplici arca collocentur, quae in sepulcro sicco vel bene siccato deponetur. Inspectioni aderunt qui munere funguntur; licet tamen aliquot alios, praesertim socios eiusdem religionis, pietatis gratia, ad hanc recognitionem admittere. Instrumentum de recognitione rite peracta conficietur et exemplar in ipsa arca inseretur. Cf. *Codex pro Postulatoribus*, p. 164.

Transcriptio processus, eiusque transmissio ad S. Congregationem in eaque iterata transcriptio faciendae sunt iisdem normis atque iam supra (n. 322, 5. 6) pro processu informativo dictum est.

Art. II. - De processus apostolici validitate diiudicanda

332. - Postquam processus apostolicus ad S. Congregationem est transmissus, advocatus causae parat positionem quae constat: 1° informatione ex necessariis documentis confecta, ut demonstret omnia in processu ad normam iuris peracta fuisse; 2° animadversionibus Promotoris gen. fidei cum responsionibus advocati (cc. **2098**. **2099**).

Iam procedit S. Congregatio ad examen validitatis tum processus apostolici, tum iterum processus informativi. Ad iudicium de hac re ferendum disputatio fit, referente Cardinale Ponente, in Congregatione ordinaria particulari coram Card. S. R. C. Praefecto et aliis tribus eiusdem S. C. Cardinalibus a S. Pontifice electis, necnon Secretario, Protonotario apostolico, Promotore generali fidei et Sub-promotore. Iudicium favorabile, a R. Pontifice confirmatum, decreto de validitate processus absolvitur (c. **2100**).

Art. III. - De iudicio super heroicitate virtutum in specie vel super martyrio eiusque causa

333. - 1. « Disceptatio virtutum non ante quinquaginta annos a morte Servi Dei inchoanda est » (c. **2101**).

Hoc praescriptum pro martyribus aeque ac pro confessoribus valet ; S. Pontifex, ut patet, a servando hoc temporis intervallo dispensare potest ac plerumque solet.

2. **Obiectum** disceptationis hoc est :

a) in causis confessorum : « *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, earumque annexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur* » (c. **2104**).

Si Servus Dei religiosus fuit, inquiritur quoque de votorum observantia. Inter virtutes cardinalibus annexas, corporis mortificatio et humilitas praecipuum locum occupant ; quare de earum praxi investigatio specialis instituetur.

b) « in causis vero martyrum : *an constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur* » (ibid).

Ut ex ipsa dubii formula innuitur, in causis martyrum una cum dubio de martyrio alterum proponitur de signis seu miraculis.

3. Disputatur ter de hoc dubio in Congregatione *antepraeparatoria*, *praeparatoria*, *generali* (c. **2102**).

Congregatio antepraeparatoria cogitur in aedibus Cardinalis relatoris et adsunt tantummodo Praelati officiales et consultores (c. **2105**). — In Congregatione *praeparatoria*, quae cogitur in palatio Vaticano, praeest Cardinalis Praefectus et adsunt, praeter officiales et consultores, omnes Cardinales S. Congregationis (c. **2108**). Congregatio *generalis* eisdem personis constat et habetur coram S. Pontifice (c. **2112**).

In Congregatione antepraeparatoria et praeparatoria, Praelati, consultores et Cardinales, quibus *Positio* seu expositio factorum et argumentorum pro et contra proponitur, ferunt suffragium *suspensivum* vel *affirmativum* (cc. 2102. **2107. 2110**) ; in Congregatione vero generali, votum tantum *affirmativum* vel *negativum* ferunt (c. **2114**).

4. Si R. Pontifex in Congregatione generali vel, ut fit, paulo post, declaraverit constare de heroicitate virtutum vel de facto et de causa

martyrii, decretum quo authentice declaratur Servi Dei virtutes omnes in gradu heroico vel martyrium bene esse probata, mandante Sanctissimo, praeparatur et tempore modoque ab Eo praescribendis sollemniter coram ipso Pontifice publicatur.

Effectus huius *decreti* duplex est : 1° Servus Dei iam Venerabilis titulo docorari potest, licet prohibeatur omnis cultus publicus ; 2° procedere licet ad examen de miraculis (c. **2115**).

Art. IV. - De iudicio super servi Dei miraculis in specie

334. 1. *De numero miraculorum.*

Disputatio inter scriptores num miracula ad beatificationem martyris tamquam argumentum certum martyrii requirantur, practice solvitur c. **2116**, § 2 qui dicit : « Verum, si de martyre agatur et evidenter constet de martyrio et causa martyrii tum materialiter tum formaliter spectati, sed deficiant miracula, S. Congregationis est decidere an signa in casu sufficiant et, iis deficientibus, an supplicandum sit Sanctissimo pro dispensatione a signis in casu ».

« Ad beatificationem Servorum Dei requiruntur duo tantum miracula, si testes oculati in utroque processu tum informativo tum apostolico probationem virtutum confecerint, vel si testes, in processu apostolico excussi, fuerint saltem ex auditu a videntibus ; tria, si testes fuerint oculati in processu informativo et de auditu auditus in processu apostolico ; quatuor, si in utroque processu de virtutibus constiterit per solos testes traditionis et per documenta » (c. **2117**).

2. *De qualitate miraculorum.*

Miracula secundum sententiam S. Thomae in tres species dividuntur et dicuntur primi, secundi vel tertii gradus prouti sunt supra, contra vel praeter naturam.

Supra naturam et primi gradus sunt in quibus Deus formam inducit quae a natura vel omnino vel in eo rerum statu induci non potest, v. g. resurrectio mortui. — *Contra naturam* et secundi gradus sunt, cum in natura remanet dispositio contraria effectibus quos Deus producit, v. g. cum mare rubrum, extensa Moisis virga, elatum viam Israelitis praebuit. — *Praeter naturam* et tertii gradus sunt, quae a natura procedere possunt, sed non eo modo quo hic a Deo facta sunt, v. g. subitanea sanatio a morbo non nervoso.

Signa dicuntur minora miracula vel etiam mirabilia dona Servo Dei collata, ut prophetiae, cognitionis rerum occultarum, etc. Quandoque etiam eadem facta designat ac vox : miraculum.

Quo maior est qualitas miraculorum, eo certius est responsum affirmativum Patrum et consultorum. A S. Pontifice tandem pendebit eorum approbatio.

335. - Obiectum *dubii* in hac ultima processus parte est « *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* ». —

Perpenditur quoque in triplici Congregatione. Ad quaestionem vero solvendam, *periti* ex officio arcessuntur, etsi iam eorum ope Procurator et Promotor fidei privatim usi sunt ad interrogatoria conficienda (**c. 2118**).

Vota peritorum dicuntur *pro veritate.*

Votum pro veritate duo contineat oportet :

« 1° Utrum, si de sanatione agatur, is qui eam consecutus dicitur, vere sanus haberi debeat ; »

« 2° Utrum factum, tamquam miraculum propositum, per naturae leges explicari [possit], necne. » (**c. 2119**).

In Congr. antepraeparatoria duo vota peritorum requiruntur. Si ambo fuerint affirmativa, tunc in Congr. praeparatoria unum tantum votum tertii periti requiritur ; si unum fuerit affirmativum, alterum negativum, in Congr. praeparatoria duo nova vota aliorum peritorum sunt necessaria. Quod si vota peritorum in Congr. antepraeparatoria ambo fuerint negativa, ad ulteriora non proceditur.

336. - Edito decreto approbationis miraculorum, *nova* disceptatio et *aliud* decretum necessaria sunt ut causa absolvatur, sc. disceptatio et decretum *de tuto* (**c. 2124**, § 1).

Eorum *obiectum* est decernere « *an tuto procedi possit ad beatificationem Servi Dei* ».

Dubium solvitur in Congregatione generali quae ob aliam causam habetur. Auditis sententiis, S. Pontifex generatim sententiam suam non statim aperit, sed post aliquod temporis spatium, Secretarium S. C. ad se vocat, quem iubet decretum de tuto perficere et promulgare (c. 2124, § 2).

Tum nihil obstat quin obtento Brevi apostolico ad sollemnia beatificationis procedatur.

Sollemnia beatificationis habentur die quem S. Pontifex in Brevi indicaverit, simul concedens Officium Missamque novensilis Beati et sollemnia quaedam in eius honorem praestanda.

Actus cultus erga Beatos sunt titulus Beati, imagines in quibus eorum caput *radiolis*, non corona, ornatur, signa honoris et devotionis quae ex immemorabili consuetudine ipsis collata sunt vel speciali S. Pontificis indulto conceduntur (Cf. de AZEVEDO, *Doctrina*, etc., l. I, c. 37). Pro Servis Dei quos formaliter vel aequipollenter beatificatos esse authentico documento constat, certi actus cultus a S. C. Rituum impetrari possunt, v. g. Missa specialis, Officium proprium et elogium in martyrologio alicuius Religionis *proprio* inserendum (Cf. c. 2136).

TITULUS XXV

DE PROCESSU BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI PER VIAM CULTUS SEU CASUS EXCEPTI

(cc. 2125-2135)

337. - 1. Causae de quibus sub hoc titulo agitur, sunt Servorum Dei « qui post pontificatum Alexandri III et ante tempus a constitutione Urbaniana praefixum ex tolerantia cultum habuerunt » (c. **2125**, § 1), i. e. ab anno 1181 ad annum 1534.

Tempus tamen istud non adeo rigorose definitur.

Exigentia cultus immemorabilis interdum a S. Sede emollitur, praesertim si Sancti canonizati ipsi auctores cultus fuerunt. Qui casus fuit B. Petri Fabri, S. I., quem a. 1546 e vivis sublatum Sancti Franc. Xaverius, Borgias et Salesius cultu speciali prosecuti sunt (*Brev. rom.* Propr. Soc. I., 9 aug., 6ª lect.). Sic cultus B. Edmundi Campion et Soc. e Societate Iesu a Leone XIII confirmatus fuit, etsi decesserunt alii a. 1570, alii aa. 1581 et 1582 ; propositus ille cultus probatusque fuerat a Gregorio Pp. XIII (*Brev. rom.* Propr. Soc. I., 1 dec., lect. 2 noct.).

2. **Processus** in his causis adhibendus decreto S. C. Rituum *Cum in agendis*, d. 11 nov. 1912 (1) est iterum strictius definitus, cuius decreti praescripta fere verbo tenus in Codice referuntur.

Ab Ordinariis locorum pendet simplex conservatio antiqui et immemorabilis cultus, quo isti Servi Dei gaudent ; sed si positiva approbatio a S. Pontifice petitur, quae sollemni beatificationi aequivaleat, servandae sunt normae sequentes.

338. - 1. **Ordo iudiciorum** hic est : 1° Processus ordinarius, informativus de fama sanctitatis vel de martyrio et de cultu adhuc vigente (cc. **2126**. **2127**).

Hic processus iuxta decreta Pii Pp. IX non erat necessarius et casum exceptum proponere licebat, quin opus esset formali causae introductione.

2° Approbatio huius processus a S. Congregatione et *introductio causae* (c. **2128**). ;

3° Processus *apostolicus* in curia dioecesana, ex potestate delegata, *super casu excepto*, sc. super initio cultus eiusque non interrupta continuatione (cc. **2129**. **2130**).

4° Confirmatio sententiae iudicis delegati in Congregatione ordinaria a R. Pontifice (cc. **2131**. **2132**).

5° Processus apostolicus in Curia dioecesana super virtutibus vel super martyrio eiusque causa.

---

(1) AAS, IV 1912, 705. — *Period.*, VII, 49.

Quae sub nn. 5°, 6° et de virtutibus vel de martyrio sub n. 7° dicuntur, ex decreto 11 nov. 1912 originem trahunt.

6° Iudicium de validitate huius processus a S. Congregatione.

7° Processus in triplici sessione S. Congregationis de cultu immemorabili et de heroicitate virtutum vel de martyrio (**c. 2133**).

2. Si S. Pontifex, post votum favorabile Congregationis generalis, decretum edi iubet de facto cultus immemorabilis et de heroicitate virtutum vel de martyrio et si cultum decreto speciali confirmaverit, Servus Dei habendus est aequipollenter beatificatus (**c. 2134**).

Obtineri potest ut promoveantur ad tramitem normarum veterum causae quae ante decretum S. R. C., 11 nov. 1912 agitari coeptae erant. Satis est nempe ut Ordinarius, omisso processu ordinario seu informativo super fama sanctitatis vitae aut super fama martyrii, processum condat super casu excepto, i. e. super initio et perpetua continuatione cultus. « Utrum haec sententia confirmanda sit necne, disputabitur in ordinariis S. Congregationis comitiis et omnia fiunt ut in iudicio de non cultu. Edito dein decreto confirmationis, Servus Dei aequipollenter beatificatus dicitur » (FORNARI, *Codex*, p. 59).

« Servis Dei aequipollenter beatificatis iidem concedi possunt actus publici cultus, quibus honorari consueverunt formaliter beatificati » (**c. 2135**). Cf. supra, n. 336.

TITULUS XXVI

DE BEATORUM CANONIZATIONE

(cc. 2136-2141)

339. - 1. Canonizatio est sollemnis et definitiva sententia qua S. Pontifex infallibiliter, ut communiter sentiunt, decernit Servum Dei frui gloria coelesti. Eius praecipuus *effectus* est praeceptum, vel saltem permissio, ut omnes actus cultus duliae in honorem Servi Dei in universali Ecclesia adhibeantur.

2. Duae **condiciones** requiruntur ut Servus Dei honores canonizationis accipiat, sc. : 1° *Certitudo* ex authentico documento *beatificationis* formalis aut aequipollentis (**cc. 2136, 2137**, § 1) ; 2° *Approbatio miraculorum*, quae post Breve beatificationis patrata sint (**c. 2138**, § 1).

Si beatificatio fuit formalis, duo miracula requiruntur ; tria, si fuerit aequipollens (ibid., § 2).

Hoc canone temperatur rigor decretorum antiquorum S. Sedis, qui decr. S. R. Rituum 11 nov. 1912, n. 7, confirmatus erat. Requirebant enim quattuor nova miracula, quando beatificatio aequipollens tantum fuerat.

340. - *De processibus.*

1. Statim ac miraculum vel unum patratum est, postulator petere potest a S. Sede *commissionem reassumptionis causae*. Positio super reassumptione causae perpenditur in ordinariis S. Congregationis comi-

tiis. Si iudicium petitioni faverit, decretum R. Pontifici subsignandum proponitur. Tum incipiunt processus apostolici de novis miraculis, in Curiis dioecesanis et eorum discussio apud S. Congregationem ad normam cc. 2087-2097 et 2116-2124 (c. **2139**).

2. Postquam in Congregatione generali S. Pontifex decreverit *constare de miraculis*, iudicium *super tuto* habendum est, seu dubium perpenditur « *An stante duorum (vel trium) miraculorum approbatione, tuto deveniri possit ad sollemnem canonizationem* ». Si votum consultivum Patrum, Officialium et consultorum fuerit favorabile, S. Pontifex paulo post decretum *super tuto* publicandum iubebit (c. **2140**).

Post decretum super tuto latum, S. Pontifex causam omnium precibus commendat et plura Consistoria habet antequam in publico vel semi-publico Consistorio diem sollemnis canonizationis iudicet. Dein celebrantur sollemnia in S. Petri.

Quando sollemnes ritus in aedibus Vaticanis habiti sunt, postulator curat ut sacrum novendiale vel, ex concessione pontificia, sacrum Triduum in honorem Sancti in templo suae religionis, si religiosus erat, vel in alia celebri ecclesia sollemni ritu habeatur.

Per se pro canonizatis novem dies, pro Beatis tres, sunt celebrationis. Verum impetrari consuevit ut sufficeret tres dies pro Sanctis, attenta hodierna rerum caritate.

Effectus canonizationis septem a Wernz, *o. c.*, III, 367 numerantur, quae in *Epitome*, II, n. 603 reperiuntur.

In AAS, XII, 1920, 486 et sq. leguntur Litterae decretales Benedicti PP. XV *Ecclesiae Consuetudo*, de sollemni canonizatione S. Margaritae-Mariae Alacoque, ex quibus haec depromimus : Serva Dei d. 17 oct. 1690 e vivis decessit. Anno 1715 processus ordinarius seu informativus instrui coeptus est. Ob multas Iansenistarum impugnationes contra novam devotionem SS. Cordis Iesu, introductio causae tandem d. 30 mart. 1824 a Leone XII signata est. Decreto 24 april. 1864 tria miracula approbata sunt et decretum Beatificationis d. 18 sept. 1864 iam latum est. Causa a. 1866 reassumpta est. Processus super primo miraculo a. 1900, super secundo a. 1907 haberi coeptus est. Die 6 ian. 1918 decretum latum est quo constabat de utroque miraculo in casu et ad effectum. Dubium super tuto propositum est d. 5 febr. eiusdem anni et solutum est decreto d. 17 mart. 1918. S. Pontifex de causa in duplici Consistorio egit, nempe in Consistorio publico 22 april. 1920 et semi-publico d. 7 maii eiusdem anni. Decrevit tunc ut sollemnis canonizatio in aedibus Vaticanis d. 13 maii 1920 haberetur.

PARS TERTIA
DE MODO PROCEDENDI IN NONNULLIS EXPEDIENDIS NEGOTIIS VEL SANCTIONIBUS POENALIBUS APPLICANDIS

INTRODUCTIO

341. - **Ordo materiae.** Ipse titulus huius partis duplicem eius materiam perspicue distinguit, *negotia* sc. expedienda seu actus rectae administrationis dioeceseos vel religionis et *poenas* processu quodam, quem summarium vocare possumus, applicandas. Dum enim remotio et translatio parochorum etiam ex causis fiunt quae ab eorum culpa prorsus independentes esse possunt, privatio beneficii vel suspensio ex informata conscientia semper in viros gravis delicti reos feruntur. Sed in utroque casu, ob bonum animarum, omittitur series sollemniorum iuris formarum, quibus servandis nimium tempus consumitur et alia interdum incommoda timenda sunt.

Post canones introductorios (cc. 2142-2146), quibus normae utrique materiae communes proponuntur, Codex septem titulis (XXVII-XXXIII) agit de remotione (cc. 2147-2161) et de translatione oeconomica parochorum (cc. 2162-2167); dein de modo puniendi clericos non residentes (cc. 2168-2175), concubinarios (cc. 2176-2181) vel in adimplendis officiis negligentes (cc. 2182-2185); tandem de processu extraordinario quo suspensio fertur ex informata conscientia (cc. 2186-2194).

342. - **Fontes iuris.** Cum « stabilitas [rectorum ecclesiarum] in salutem sit inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat » (Decr. *Maxima cura*, introd.). Iam vero pastor ovibus suis nocere potest tum scelesta vita, tum imperitia, aut ob adiuncta quae eius ministerium inutile vel odiosum reddant. Potest quoque fieri ut communitati cuidam fidelium aliter provideri non possit quam si ipsi praeficiatur parochus iam alio beneficio munitus.

His causis permoti iam antiquitus RR. Pontifices de remotione poenali vel administrativa aut translatione parochorum certas normas ediderant. Delictis puniendis prostabat usus procedurae criminalis, neque episcopi carebant omni potestate removendi oeconomice parochos suae paroeciae inutiles vel nocivos. Sed processui criminali ordinario in nonnullis regionibus sufficiendus fuerat processus quidam summarius, cuius formam concinnaverat S. Congr. *EE.* et *RR.* instructione 11 iun. 1880 (1) et usum reservabat iis episcopis qui speciali vel communi ad id facultate a S. Sede munirentur. Indulto 14 ian. 1882, omnibus episcopis Galliae facultas facta est utendi hac forma summaria, dum instructio S. C. *de Prop. Fide*, a. 1883 pro Statibus foederatis Americae ius speciale condiderat (2). Remotio autem parochorum oeconomica, *praesertim* ob causas non culpabiles, quae olim aliquot Decretalibus regebatur, a paucis annis clarissime erat definita decreto S. C. *Consistorialis*, *Maxima cura*, 20 aug. 1910 (3).

Hoc decreto, minime sublato discrimine inter parochos inamovibiles et amovibiles, augebatur, ac simul pressius definiebatur potestas episcoporum removendi

---

(1) ASS. XIII, p. 324.
(2) *Coll. P. F.*, II, n. 1536.
(3) AAS, II, 1910, p. 636.

oeconomice parochos, etiam inamovibiles. In hac parte Codicis, distinctio inter parochos inamovibiles et amovibiles pluries commemoratur.

Tandem suspensio ex informata conscientia, qua, non servatis formis iudicii criminalis, beneficiarius a suo beneficio removeri poterat, ex normis instructionis S. Congr. *de Propaganda Fide* ferenda erat (1).

In hac tertia parte libri IV, Codex ius Decretalium et varias istas instructiones resumit vel perficit, ut in singulis titulis patebit.

CANONES INTRODUCTORII (cc. 2142-2146). — NORMAE COMMUNES

343. - *De certitudine actorum procuranda.*

Certitudo de actis processus summarii procuratur imitando quasdam processus ordinarii formas, quibus Ordinarius in casu recursus ad S. Sedem se tueri et rectitudinem sententiae demonstrare possit. Quare :

1° Notarius adhibendus est semper « qui scripto consignet acta quae ab omnibus subscribi debent et in archivo servari » (**c. 2142**).

Haec acta sunt documentum citationis rei, invitationis ad renuntiationem beneficio, testimonia, etc.

2° Monitiones *non secreto,* sed coram Cancellario aliove officiali Curiae aut duobus testibus sunt faciendae ; possunt quoque per publica transmissionis officia communicari, ita tamen ut testimonium receptae epistolae accipi debeat. Ne tamen reo vel pertinaci viro sua malitia prosit, « qui impedit quominus monitio ad se perveniat, habeatur pro monito » (**c. 2143**).

Si Cancellarius monitioni adsit, praesentia actuarii non videtur necessaria ; documentum enim, nomine Cancellarii subscriptum, est certo authenticum (Cf. AUGUSTINE, *o. c.*, VII, p. 405).

344. - *De secreto servando.*

Secretum quo tegi omnia quae ad processum pertinent, convenit, obtinetur : 1° obligatione imposita examinatoribus, consultoribus ac notario tacendi de omnibus quae ratione officii noverint ; 2° poenis quibus Ordinarius violatores huius secreti plectere potest et ex c. 2144, § 2 debet (**c. 2144**).

Formula iuramenti in AAS, IV (1912), 142 invenitur et triplicem obligationem imponit secreti servandi, officii fideliter implendi et omnis donarii declinandi.

345. - *De forma processus.*

1. Forma est summaria, i. e. remotis iudicii ordinarii prolixis formis. Dum in negotio administrativo, v. g. in Curia romana, testes numquam audiuntur, in his negotiis non prorsus excluduntur.

Utrum pauci saltem testes audiendi sint necne, a iudicio Ordinarii pendet, de consilio tamen suorum consultorum.

(1) Instr. S. C. de P. F., a 1884. *Coll. P. F.*, II, n. 1628.

Ex officio *sunt audiendi*, si Ordinario pateat haec necessitas ad veritatem detegendam ; *audiri possunt*, si a clerico removendo vel puniendo in confirmationem suarum allegationum proponuntur ; *removendi sunt*, si inducuntur ad moras nectendas, v. g. cum odium plebis vel parochi neglegentia vel eius imperitia omnibus patent. — De hoc triplici casu, Ordinarius consilium parochorum consultorum seu examinatorum synodalium exquirere, at non sequi debet (c. **2145**, § 1).

Verba « duo vel tres » non ita videntur intellegenda ut plures testes omnino excludantur ; iuxta VILLIEN (*Can. cont.*, t. 35 (1912), 25,) duo vel tres de singulis allegationibus testimonium ferre possint, approbante utique Ordinario.

« Testes et periti, nisi iurati, ne admittantur » (c. 2145, § 2).

Iuramentum praestatur de veritate dicenda, et a peritis de munere fideliter implendo.

2. Consilium examinatorum synodalium vel parochorum consultorum saepius exigitur (cc. 2148. 2152, et passim).

Examinatores, quia naturales consiliarii Ordinarii sunt, in praeparando negotio sunt audiendi, v. g. ante invitationem ad renuntiandum, in examine allegationum parochi ; parochi consultores audiendi sunt, si parochus contra decretum apud episcopum recurrat (c. 2153, § 1), ac si velit legislator ut iudicium *paribus* subiciatur ; in negotio provisionis (c. 2154, § 1), Codex Ordinario optionem inter examinatores et consultores relinquit.

346. - *De recursu ad S. Sedem* (**c. 2146**).

1. In plerisque processibus qui sequuntur, duplex decretum ferri debet, contra quorum primum clericus removendus vel puniendus ad ipsum Ordinarium recurrere potest, ut suae allegationes vel excusationes examinentur. Sed « a definitivo decreto unicum datur iuris remedium, id est recursus ad Sedem Apostolicam » (c. 2146, § 1).

Quia forma iudicialis servata non est, non datur appellatio proprie dicta, sed illud remedium quod contra omnem Superioris provisionem conceditur, id est *recursus* ad Superiorem maiorem. Excluditur vero Metropolita, cuius potestas ad appellationem tantum extenditur.

2. In casu recursus, omnia acta processus ad S. Sedem sunt mittenda, i. e. in primis documentum rite factae monitionis, invitationis ad renuntiandum, comminationis poenae, allegationes clerici, vota consultorum, decreta lata, etc.

3. Recursus eo sensu *in devolutivo* est quod clericus beneficium liberum relinquere quam primum debet ; *suspenditur* tamen plenus decreti effectus ; etenim « pendente recursu, Ordinarius paroeciam vel beneficium quo clericus privatus sit, alii *stabiliter* conferre valide nequit » (c. 2146, § 3).

Ob quam causam recursus intra decem dies ab intimato decreto

interponendus est, ut respondit *S. C. C.*, Romana et aliarum, *de fatalibus ad recurrendum* (1).

Quando enim recursus est *in suspensivo*, fatalia satis brevia decerni decet, « ne quod in iustitiae praesidium conceditur, in iniquitatis fomentum traducatur ». Itaque Codex in casibus similibus decendium ad recurrendum neque maius tempus concessit. Cf. cc. 1465, § 1 ; 1709, § 3 ; 2153 ; 1.

« Decendium supputandum ad normam c. 34, § 3, 3o et c. 35 : certiore facto Ordinario loci ab ipso recurrente de legitimo interposito recursu ad Apostolicam Sedem » (Ibid.).

Tempus *utile* conceditur, quod ignoranti aut agere non valenti non currit ; dies quo decretum intimatur, non computatur ; cessat completo decimo die, nisi hic sit feriatus : quo casu « terminus intelligitur prorogatus ad primam sequentem diem non feriatam » (c. 1635).

TITULUS XXVII

DE MODO PROCEDENDI IN REMOTIONE PAROCHORUM INAMOVIBILIUM

(cc. 2147-2156) (2)

Scriptores : Claeys-Bouúaert, F., *De canonica cleri saecularis oboedientia* p. 306, ss. — Gennari, Card., *Sulla privazione del benefizio ecclesiastico*, 2 ed. — Lega, *De delictis et poenis*, n. 203, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium* V, n. 904, ss. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, in h. cc. — Claeys-Bouúaert-Simenon, *Manuale iuris canonici*, n. 1215, ss. — De Meester, *Iuris canon. compendium*, II, n. 863.

347. - Ordo dicendi. In hoc titulo de parocho inamovibili agitur. Causae ob quas removeri potest definiuntur principio generali (c. 2147, § 1), dein singillatim, sed non taxative (c. 2147, § 2). Tum describitur ipsa procedura (cc. 2148-2154). Cc. 2155. 2156 agunt de effectibus decreti, sc. de provisione amoti parochi.

I. DE CAUSIS AMOTIONIS

348. - 1. « Parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit » (**c. 2147**, § 1).

Salus enim populi suprema lex est et ministerium parochi in Ecclesia institutum est non in commodum eius cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur.

2. Causae, quae graves esse debent, in Codice enumerantur, sed non taxative.

---

(1) AAS, XVI. 1924, 162. — *N. R. Th.*, 1924, 440. — *Monit. eccl.*, 1924, 139. — *Per.*, XIII, 130.

(2) De tit. XXVII, XXVIII et XXXII consulendi sunt continui commentarii decreti *Maxima cura*, v. g. Besson, I., S. I., in *N. R. Th.*, t. 43, 1911, 453, ss. ; Villien, A., *Canon. cont.* t. 34, 1911, 18, ss. ; *Monit. eccl.*, 1910-1911, t. XXII. 445, ss.

Necessitas causae gravis patet, quia Ecclesia stabilitati beneficiorum, immo et perpetuitati omnino favet, et quia privatio iuris parocho in amotione est admittenda. — Sedulo notandum est causas in decr. *Maxima cura* taxative fuisse descriptas his verbis : « Causae ob quas parochus administrative amoveri potest, *hae sunt* », in c. 2147, § 2 *exemplative* proponi. Ait enim Codex : « Hae causae sunt *praesertim* quae sequuntur ». Neque ex hac indeterminatione periculum imprudentis vel culpabilis amotionis nimis est timendum ; perpendenda enim est causa cum consultoribus, addito duplici, si parochus voluerit, examine eius allegationum ; tandem patet recursus ad S. Sedem, quae, etsi oboedientiam valde urget, iuribus tamen inferiorum multum consulit.

349. - *Exempla praecipua causarum amotionis.*

« Hae causae sunt praesertim quae sequuntur » (c. **2147**, § 2) :

« 1° Imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si, iudicio Ordinarii, per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat ad normam can. 475 » ;

Quia « non decet afflicto afflictionem addere », parocho seni vel infirmo per vicarium adiutorem est providendum (Cf. *Epitome*, I, 519). Sed potest fieri ut praesentia parochi bono fidelium graviter noceat, sive ex eius culpa sive ex eius indole, sive ex animo populi male disposito sive ex redituum defectu, etc. Tunc ad remotionem erit recurrendum.

Haec prima causa exsistit, si parochus laborat amentia, sive perpetua sive cum lucidis intervallis, sed insanabili, aut morbo ob cuius signa vel causam existimatio et auctoritas parochi penes populum perierint ; si ob suam ignorantiam in hac determinata vel in ulla paroecia sacrum ministerium cum fructu exercere nequeat. — Imperitia ex defectu iudicii vel voluntatis procedere potest ; quo ultimo casu, iudicium de causa sufficiente indubium maiori difficultate demonstrabitur. — Ob defectum corporis, v. g. surditatem, caecitatem vel senium ante decr. *Maxima cura* parochus non poterat a beneficio removeri (Cf. cc. 1, 3, 5, 6, *de cler. aegrot vel debil.* X, III, 6) et commentatores in h. cc. Nunc quoque vi c. 2156, § 2 parochus senex vel graviter infirmus, etsi per se alio transferendus est, poterit ob speciale translationis incommodum in domo paroeciali habitare (cf. infra, n. 355.)

« 2° Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat, nec brevi cessaturum praevideatur » ;

Ratio causae ex decr. *Maxima cura* desumptae, est quod odium magnae saltem partis fidelium, etsi iniustum, immo ob zelum et virtutes parochi ortum, eius tamen ministerium graviter impedit, si nempe « plebs adeo durae cervicis exsistit, ut proficere nequeat apud ipsum », immo oves in lupos convertuntur et in dies pastori suo magis contradicunt (Cf. Villien, *Can. cont.*, t. 34, p. 197, ss.). Remotio potiori iure imponi potest, cum odium plebis iustam causam habet.

Huic causae similis est aversio potestatis publicae, etiam et maxime iniusta. Quam ob causam, ut notat Besson, *N. R. Th.*, t. 43, p. 456, S. Sedes a nonnullis episcopis, fidei confessoribus, petivit ut suae sedi renuntiarent. Exemplo sint RR. DD. Ledochowski, Melchers et Mermillod. Utrum odium plebis vel magistratuum adeo sit pervicax necne, utiliter comprobatur discessu temporario parochi, sicubi possibilis est.

« 3° Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi, sive ex antiquo eius crimine quod nuper detectum eximatur iam poena ob praescriptionem, sive ex facto familiarium et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum » ;

Triplex causa amissae existimationis indicatur quarum tertia ex facto non personali oritur. Codex loquitur de « levi vivendi ratione » ; si enim est « inhonesta aut suspecta » aut infamia « ex alia parochi noxia » oritur, plerumque remotio poenalis ad normam c. 2176, ss. aut c. 2182, ss. decernenda erit. — Levis vivendi ratio dicetur, si v. g. parochus imprudenter cum mulieribus, praesertim iunioribus, agat, sermones leviter turpes facilius misceat, gulae nimis indulserit, laicalibus vestibus sine iusta causa utatur, etc.

Praescriptione varii temporis perimuntur variae causae, v. g. unius anni actio iniuriarum, etc. (Cf. c. 1703, ss. Supra, n. 138). Sed ob detectum vetus crimen potest fieri ut fideles probi et graves cum reo conversari vel saltem eius ministerio uti iam omnino recusent. Adest tunc quaedam facti infamia, ob quam parochus perpetua a beneficio suspensione etiam olim plectebatur (PALLOTTINI, *Coll. S. C. C.*, v° Parochus, n. 75). — In tertia causa de iis tantum agitur « quibuscum parochus vivit », quia censetur eorum delicta non ignorare iisque conivere, quos a se non removet. Etiamsi hoc ratiocinium falsum est, ratio aversionis fidelium necessario habenda est.

« 4° Probabile crimen occultum, parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem » ;

Notandum est lege non plus requiri quam *probabilitatem* criminis, utique seriam. Remotio enim non ut poena decernitur, sed ad bonum animarum servandum, quod scandalo gravi hic inevitabili laederetur.

« 5° Mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno, quoties huic malo remedium afferri nequeat sive auferendo administrationem parocho, sive alio modo, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat ».

Hic defectus, sive culpabilis sive non, exsistet v. g. in gravi neglegentia sacrorum aedificiorum vel rerum, in alienatione illegitima bonorum ecclesiasticorum, etc. Debet enim Ecclesia invigilare conservandis iis bonis quae ad sustentationem parochi, ad celebrationem cultus divini, ad sacrum ministerium rite exercendum necessaria et saepe, ex largitate fidelium concessa, ipsa *iustitiae* obligatione bene administranda sunt.

II. DE PROCEDURA

350. - Fere in singulis processus actibus Ordinarius examinatores synodales vel parochos consultores audire debet ; numquam vero dicitur eorum votum vim deliberativam habere. Dum decr. *Maxima cura* ad validitatem in genere exigebat ea « quae substantiam attingunt », Codex quosdam actus accurate definit ad validitatem processus vel decreti requisitos. Quare alios ad liceitatem tantum esse necessarios ex c. 19 censemus.

351. - I. *De invitatione ad renuntiationem.*

1. Primus actus procedurae est invitatio intimata parocho ut paroeciae renuntiet (c. **2148**). De qua haec sunt notanda :

1° Ordinarius ad eam ne deveniat, nisi, re cum duobus *examinatoribus* discussa, pro suo prudenti iudicio censuerit parochum in unam e supra relatis causis eamque gravem incidisse. — Consilium examinatorum antea ad validitatem actus requirebatur.

2° Invitatio facienda est *scripto* vel oretenus *coram teste.*

Monitio enim paterna et remotis testibus non admittitur. — Documentum invitationis est scripto conficiendum et ab actuario subscribendum, ut de eius forma legitima constet. — Si fiat oretenus, testis erit actuarius vel Cancellarius vel cum actuario alius officialis Curiae. — Invitatio omitti potest, si agatur de viro qui mentis vitio laboret.

3° Invitatio continere debet : *a*) causam remotionis ; *b*) argumenta quibus nititur ; *c*) tempus intra quod renuntiatio est offerenda.

Duo priora *ad validitatem* requiruntur. Tacenda tamen sunt nomina testium vel recurrentium, si secretum petierint vel id ex rerum adiunctis suadeatur ; communicari quoque non debent documenta et relationes quae sine periculo offensionum, rixarum, querelarum propalari nequeunt.

352. - II. *De effectu invitationis.*

Fieri potest ut parochus ad renuntiationem invitatus invitationem prorsus contemnat, ei absolute vel condicionate obtemperet, aut eam oppugnet.

1. *Si constiterit parochum* accepisse invitationem, potuisse respondere et intra praefinitum tempus *nullum actum posuisse*, statim a paroecia amovendus est, neque episcopus collatione alius beneficii vel pensionis ei providere debet.

Silentium enim istud contemptum et pertinaciam prodit, quae severa poena coercenda sunt.

Si de recepta invitatione vel possibilitate respondendi non constiterit, invitatio renovabitur aut tempus ad respondendum protrahetur (**c. 2149**).

2. *Si parochus invitationi* renuntiandi *obtemperat*, renuntiatio fieri debet scripto vel coram duobus testibus aut per procuratorem, speciali mandato munitum (c. 186) ; allegabitur causa, sive ab Ordinario proposita sive alia quaevis *vera* et honesta, quae renuntianti minus sit gravis et molesta, « v. g. ut obsequatur Ordinarii desideriis ».

Condicio quae ab Ordinario legitime acceptari possit, addi licet.

Si v. g. parochus ob factum nullo modo culpabile discedat, poterit petere ut aliud beneficium saltem aequale sibi conferatur, dummodo id sine cuiusquam iniuria vel gravi detrimento fiat. Non poterit vero stipulari ut ipse post tempus ad paroeciam redeat, vel alius determinatus clericus in eius locum instituatur. Haec enim adversantur iuri liberae collationis quod Ordinario vi c. 152 competit et c. 1486 inculcatur (cf. Augustine, *o. c.*, in h. c.).

Reservatio pensionis ad vitam parochi renuntiantis potest ab isto tamquam condicio renuntiationis proponi (*Comm. I. C.*, 20 mai 1923, ad IX) (1).

---

(1) AAS, XVI, 1924, 116. — *N. R. Th.*, 1924, 373. — *Per.* XIII, 81 et 87.

Haec condicio praescripto c. 1486 prima saltem fronte contraria videtur ; vetat enim dimissionem beneficii admitti sub aliqua condicione « quae... redituum erogationem attingat ». Sed vi c. 1429, § 2 Ordinarius beneficio paroeciali in commodum parochi abeuntis pensionem imponere potest. Hac autem *specifica* de paroeciali beneficio norma *generali* de beneficiis normae derogari potest, eo vel magis quod in casu renuntiationis invitante Ordinario factae et pensionis ab Ordinario taxatae periculum simoniae abest, propter quod norma c. 1486 praesertim statuitur.

Acceptata renuntiatione, « Ordinarius paroeciam ex renuntiatione vacantem declaret » (c. **2150**).

3. *De oppositione parochi.* Parochus invitationem Ordinarii utiliter oppugnare nequit, nisi demonstret causam allegatam non exsistere vel gravem non esse. Aliae enim excusationes ad rem non pertinent, cum de *facto*, non de *merito* causae agatur.

Si parochus oppositionem intendat, poterit dilationem ad probationes afferendas postulare. Ordinarii est, etiam non consultis examinatoribus, iudicare num tempus dilationis propositum aequum neque in detrimentum animarum cessurum sit atque exinde postulationi assentiri (c. **2151**).

Ceterum in invitatione, tempus ad renuntiandum, ideoque et ad oppositionem faciendam, prudenter indicandum fuit.

Sub poena nullitatis, Ordinarius debet rationes a parocho adductas, auditis *iisdem* duobus examinatoribus de quibus in c. 2148, § 1, perpendere (c. **2152**, § 1).

Testes vero a parocho propositos Ordinarius audire non debet, etsi potest ; de hac re, non tamen ad validitatem, examinatores seu consultores audire debet (cf. c. 2145, § 1). — Allegationes parochi scripto tradantur et inter documenta causae ab actuario conserventur

Ordinarius in sententia sua ferenda voto examinatorum non ligatur. Quaecumque illa fuerit, formali *decreto* significanda est, in quo opportune causa remotionis, saltem generali modo, exprimetur (c. **2152**, § 2).

Si decisio est affirmativa seu parocho favorabilis, saepe utile erit decreto addere monitiones, consilia vel praecepta, quibus parochus innocens aut non graviter reus in suo ministerio prudenter explendo iuvetur aut scandalum vitet vel reparet.

353. - III. *De recursu contra decretum* (c. **2153**).

1. Primum decretum remotionis nondum est definitivum. Cum actus sit administrationis, appellationi locum non dat, sed recursui, qui ad modum appellationis partim exercetur.

1° Recursus est intra decem dies interponendus.

Hoc tempus currit a die quae decreti significationem sequitur et decem dies completos comprehendit (Cf. cc. 1881 ; 34, § 3, 3°).

2° Interponitur apud Ordinarium qui decretum tulit.

3° Parochus novas allegationes producere debet intra decem dies ab interposito recursu.

Dilatio maior in his causis sine detrimento concedi nequit, cum de remotione agatur quae ad salutem animarum maxime interest. Ceterum parochus a die invitationis ad renuntiandum iam omnia exquirere potuit, quibus, data necessitate, contra primum decretum se tueretur.

4° *Ad validitatem* requiritur ut novae allegationes parochi coram duobus parochis consultoribus perpendantur.

Notandum est examen istarum allegationum cum parochis, non cum examinatoribus esse instituendum. Ita cavet Legislator ut parochus non definitive condemnetur, nisi auditis iis qui eiusdem sunt dignitatis et officii.

5° Parochus potest *novos* testes inducere, dummodo probet se eos prima vice non potuisse inducere. Eorum tamen admissio prudenti Ordinarii iudicio permittitur. Neque de hoc negotio consultores per se audiendi sunt (**c. 2153**, § 2).

Prudenter aget Ordinarius, si testes a parocho inductos sine consilio examinatorum seu consultorum non reiciat, nisi constet eos ad moras nectendas proponi.

2. Perpensis allegationibus et, si casus ferat, auditis testibus, **decretum definitivum** ab Ordinario fertur et parocho significatur (ibid. § 3), contra quod iam nullum remedium est, praeter recursum ad S. Sedem.

In decreto ferendo, Ordinarius voto consultorum non tenetur.

Decretum statim est exsecutioni mandandum et ex sola aequitate aliqua dilatio est concedenda.

354. - IV. *De amoti provisione.*

Cum remotio oeconomica privationi poenali non sit aequiperanda, decenti amoti parochi provisioni consulendum est.

1. Triplex indicatur modus *provisionis* (**c. 2154**) :

1° Administratio alius paroeciae ;

Necessitas enim amotionis non oritur semper ex defectu peritiae vel honestatis ; quare parocho remoto alia paroecia, etiam gradus superioris, per se conferri potest.

2° Assignatio alius officii vel beneficii ;

Per se nullum officium, etiam sensu lato, vel beneficium excluditur, v. g. praebenda canonicalis, munus docendi in seminario, munus regendi communitatem religiosam, etc.

3° Pensio.

Ad hunc modum recurretur, si sacerdos ab omni iam officio implendo amovendus sit. — In pensione conferenda servandi sunt canones Codicis, quibus vetatur pensiones beneficiis paraecialibus imponi ultra certam partem redituum aut ad vitam pensionarii, etc. (Cf. c. 1429, §§ 1. 2. *Epitome*, II, 759).

2. Deliberatio de provisione cum examinatoribus vel parochis consultoribus, qui in amotione decernenda partem habuerunt, facienda est.

Illi enim personam et adiuncta ex ipso causae examine perspecta habere censentur. Eorum votum est consultivum tantum.

3. Ordinario et consultoribus ratio est habenda duorum principiorum :

1° Parochus amotus ad definitum pensionis modum ius non habet, sed ipsi, quo meliori potest modo, providendum est ex caritate « prout casus ferat et adiuncta permittant » (c. **2154**, § 1) ;

2° « Ceteris paribus, in provisione favendum magis renuntianti quam amoto » (ibid. § 2).

Suprema enim agendi lex est bonum fidelium, dein bonum ipsius parochi. Neque semper melior est qui statim renuntiat quam qui suo recursu formale decretum remotionis exigit. Hinc restrictio « ceteris paribus ». Potest enim fieri ut ex ipsa divini servitii ratione parocho omnia legitima media adhibenda sint ne removeatur, neque in usu moderato sui iuris quidquam est reprehendendum.

4. « Negotium novae provisionis parochi amoti potest Ordinarius sive ipso amotionis decreto sive postea, quamprimum tamen, expedire » (c. **2155**).

Ordinarius a nemine pendet in hac provisione decernenda, neque miscenda sunt duo negotia, amotionis et provisionis. Ea enim quae Ordinarius parocho amovendo proponit *condicio* amotionis esse non possunt, cum finem prorsus diversum habeant.

355. - V. *De obligationibus parochi amoti.*

1. « Sacerdos a paroecia amotus debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere » (c. **2156**, § 1).

Paroecialis domus est quae, sive potestate publica sive beneficio fidelium, parocho *qua tali* conceditur. — Ad paroeciam pertinent aedificia ecclesiastica, plerumque domus in quibus associationes conveniunt, omnia bona immobilia vel mobilia quae ad usum cultus inserviunt. etc. — Non imponitur parocho amoto discessus e paroecia ; saepe tamen suadendus erit ad vitandas difficultates, sive cum novo beneficiario sive cum parte fidelium. Atque Ordinarius ex gravi causa istum discessum imponere potest.

2. « Si autem de infirmo agatur qui e paroeciali domo sine incommodo nequit alio transferri, Ordinarius eidem relinquat eius usum etiam exclusivum, eadem necessitate durante » (ibid. § 2).

Haec exceptio caritate imponi potest et in legibus ecclesiasticis iuris anterioris haud semel commemoratur.

TITULUS XXVIII

DE MODO PROCEDENDI IN REMOTIONE PAROCHORUM AMOVIBILIUM

(cc. 2157-2161)

Scriptores : Cf. Tit. XXVII, p. 163.

356. - **Ordo dicendi.** Asserto iure Ordinarii (c. 2157), Codex breviorem huius remotionis proceduram exponit (cc. 2158-2161).

357. - Parochi amovibiles sunt ii quorum beneficium ea condicione est constitutum vel collatum, ut ad nutum Ordinarii amoveri possint.

Processus ad eos removendos duobus elementis a praecedenti differt, sc. : 1° Monitiones *paterne* fiunt ; 2° datur *unicum* decretum post duplicem exhortationem. — Cum eodem, duplici quoque elemento concordat : 1° necessitate eiusdem *causae ;* 2° obligatione, sub poena nullitatis, examinandi cum duobus *examinatoribus* allegationes contra primam invitationem adductas.

358. - Ad removendum parochum amovibilem requiritur et sufficit *una ex causis* quae c. 2147 enumerantur. — Si parochus est religiosus, servetur praescriptum c. 454, § 5. Potest nempe tum ab Ordinario loci, tum a suo Superiore, causa non indicata, removeri (c. **2157**. Cf. *Epitome*, I, 730, 2).

359. - *Procedura* in casu parochi amovibilis est paulo brevior. Eius stadia sunt sequentia : 1° **Monitio** paterne facienda est atque exhortatio ut parochus paroeciae renuntiet. Indicatio causae praecipitur, sed ad validitatem non requiritur (c. **2158**).

Non dicitur necessaria consultatio cum examinatoribus. Ex verbo « paterne » videmus monitionem non esse scripto faciendam aut coram actuario vel Cancellario vel duobus testibus. Attamen prudentia suadebit ut Ordinarius de facta exhortatione documentum privatum servet.

2° **Contemptus** certus invitationis remotionem post tempus praefinitum secum inducit.

Parochus qui negat renuntiationem, rationes scripto reddere debet, quae ab Ordinario, sub poena nullitatis, cum duobus examinatoribus perpendendae sunt (c. **2159**). — Post istud examen, si rationes non videntur admittendae, iterantur paternae admonitiones, « comminata amotione, si intra congruum definitum tempus paroeciam sponte non dimittat » (c. **2160**).

3° « Expleto praefinito tempore, quod pro sua prudentia prorogare potest, Ordinarius decretum amotionis emittat » (c. **2161**, § 1).

Primum decretum simul est definitivum, adversus quod recursus ad solam S. Sedem pateat, vix umquam, ut videtur, interponendus.

360. - *De amoti provisione.* Curanda est ad normam cc. 2154-2156 (**2161**, § 2). Cf. supra n. 354.

TITULUS XXIX

DE MODO PROCEDENDI IN TRANSLATIONE PAROCHORUM

(cc. 2162-2167)

Scriptores : Cf. Tit. XXVII, p. 163. Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, n. 349, ss.

361. - *Notio.* Translatio est remotio parochi ab una paroecia ad aliam. A simplici remotione *discernitur :*

1° *Causa.* Remotio fit ob bonum paroeciae *a qua*, translatio ob bonum fidelium paroeciae *ad quam* (cc. 2147. **2162**).

Removetur enim parochus cuius ministerium iam est inutile vel nocivum ; *transfertur* ille qui paroeciam utiliter regit, sed in alia paroecia ministerium utilius vel magis necessarium impendet.

2° *Termino.* Terminus remotionis per se in separatione parochi a suo munere consistit ; translationis vero est provisio alius paroeciae.

362. - *De potestate Ordinarii.*

Translatio parocho sive inamovibili sive amovibili *proponi* potest ; sine speciali S. Sedis facultate *imponi* nequit, nisi parocho amovibili et dummodo paroecia *ad quam* non sit ordinis nimis inferioris. Etiam tunc quaedam procedura est servanda, quae processui amotionis valde similis est (**c. 2163**).

363. - *De procedura.*

1. Ordinarius primo consilium dat et exhortatur (c. 2162) ; dein, si, non obstante oppositione parochi, in suo consilio perseverat, perpendit cum duobus parochis consultoribus rationes a parocho allatas (**c. 2165**) ; si tunc quoque translationem opportunam vel necessariam aestimat, exhortationes paternas iteret (c. 2166) ; denuo recusanti translationem imponit, sub poena privationis ipso facto secuturae (**c. 2167**).

Parocho ad translationem invitato ius est legitimas non acceptandi causas Ordinario proponendi (**c. 2164**). v. g. suam valetudinem, opera quibus dirigendis suum ministerium necessarium videtur, suam inopiam, etc.

Ad *validitatem* decreti nihil aliud requiritur, nisi ut Ordinarius allegationes parochi renuentis cum duobus parochis consultoribus perpenderit. Monitum discedendi e paroecia in scriptis est dandum, ut

melius constet de comminatione facta, paroeciam, ipso facto pertinaciae ultra determinatum tempus, esse vacaturam. — Ad normam eorum quae supra dicta sunt, decem saltem dies ad translationem faciendam concedendi videntur.

Ad Sedem Apostolicam recursus patet, qui tamen vix est consulendus, nisi Ordinarius contra aequitatem aperte fecerit.

TITULUS XXX

DE MODO PROCEDENDI CONTRA CLERICOS NON RESIDENTES

(cc. 2168-2175)

Scriptores : Lega, *De iudiciis*, IV, 128, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, II n. 484, — Augustine, O. S. B., *A commentary*, VII, in h. cc. — Blat, O. P., *Commentarium, textus C. I. C.* II, p. 708. — De Meester, *Compendium*, II, n. 843. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, 736.

364. - **Residentiae** lege tenentur clerici omnes quibus cura animarum est commissa vel beneficium collatum cuius officium praesentiam beneficiarii requirit, ut est canonicatus. Clericis lege residentiae astrictis congruae feriae conceduntur, quae duos vel tres menses, sive continuos sive non continuos, durare possunt (Cf. cc. 418. 465. — *Epitome*, I, 471. 507). Gravis violatio huius legis poenis latae sententiae sancitur, sc. privatione fructuum beneficii pro rata illegitimae absentiae (c. 2381, 1°). Qui legitime non impediti, monitioni Ordinarii de instauranda residentia non paruerint nec responderint, *ipso facto* beneficium vel officium amittunt, quod tacita renuntiatione vacat (c. 188, 8°). Ad implendum suum officium reducendi et ob neglegentiam puniendi sunt, ad normam sequentium canonum.

365. - I. Ordinarius clericum non residentem primo monere debet scripto aut coram actuario vel Cancellario Curiae vel duobus testibus (cc. **2168**, § 1. 2143, § 1).

Monitio, praeter iussum redeundi ad locum residentiae vel adducendi intra legitimum tempus rationes absentiae, recolat poenas quas incurrunt non residentes, sc. privationem fructuum beneficii et eiusdem privationem in casu supra citato, n. 364. — Interim Ordinarius impensis parochi, si reus hoc munere fungatur, providebit ne salus animarum detrimentum patiatur, instituendo Vicarium substitutum (Cf. c. 474. *Epitome*, I, 517).

II. Pro vario modo agendi clerici moniti, varia procedura praecipitur.

1° Etsi certo monitum acceperit et respondere possit, *nec paret nec respondet*. Id si Ordinario constiterit, elapso praefinito tempore, declaret paroeciam aliudve beneficium vacare. Haec enim sanctio ipso

iure fertur, **c. 2169**. — Quod si non constiterit, monitum iterare debebit vel tempus ad respondendum utile protrahere (c. 2149).

2° Clericus *residentiam instaurat.*

Ordinarius inquiret num causae absentiae fuerint legitimae. Id nisi constiterit, infliget reo pro rata absentiae illegitimae privationem fructuum, quam comminatur c. 2381, 1° et, si casus ferat, aliam poenam imponet, v. g. exercitia spiritualia, eleemosynas, exercitia quaedam paenitentiae, etc. (**c. 2170**).

3° Clericus residentiam non instaurat, sed *causas absentiae affert.*

1. Ordinarius debet istas causas cum duobus examinatoribus perpendere, non tamen sub poena nullitatis actuum. Si legitimae et rationabiles non appareant, renovanda erit monitio eodem modo praefigendumque novum temporis spatium ad redeundum. Interim privatio fructuum beneficii sustinetur (**cc. 2171. 2172**).

2. Parocho *amovibili* non licet novas adducere allegationes, sed ipsi residentia omnino est instauranda. Quod ni fecerit intra praefinitum tempus, Ordinarius ad privationem paroeciae statim procedat. Si redierit, prohibebitur praecepto denuo discedere sine scripta licentia Ordinarii sub poena privationis paroeciae ipso facto incurrendae (**c. 2173**).

3. Parochus *inamovibilis*, si residentiam non instauret, novas potest deductiones allegare, quae ab Ordinario denuo sunt perpendendae. Si legitimae existimatae non fuerint, exhaustum est parocho ius se excusandi. Praecepto redeundi intra tempus iam praefixum vel ab Ordinario protractum est parendum sub poena privationis beneficii ipso facto incurrendae. Privationem illatam Ordinarius declarare debebit. Si redeat parochus, privationi fructuum beneficii addendum erit praeceptum iam non discedendi sine venia scripto danda, ut supra (**c. 2174**).

Iure AUGUSTINE, *o. c.*, VII, in h. c. dicit hoc praecepto non omnem, etiam brevissimam absentiam, prohiberi, sed eam quae ad tres saltem vel plures dies protrahatur. Sic parochus iure destituitur veras ferias sumendi ; ideoque praeceptum non videtur in perpetuum ferendum, sed ad tempus necessarium ut reus se emendet et culpam admissam reparet.

366. - III. Canon **2175** opportune monet Ordinarium vacationem beneficii declarare non posse, nisi ipsi constiterit petitionem licentiae discedendi a clerico scriptis mandandam illegitime fuisse omissam ; et rationes quibus clericus impedimentum probare intendit etiam cum duobus consultoribus sunt examinandae.

Notandum est consultationem examinatorum seu consultorum ad nullius actus validitatem requiri.

TITULUS XXXI

DE MODO PROCEDENDI CONTRA CLERICOS CONCUBINARIOS
(cc. 2176-2181)

Scriptores : Hollweck, *Die kirchlichen Strafgesetze*, § 231. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, II, 208. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, VII, in h. cc.

367. - Concubinatus, stricte sumptus dicit diuturnum *intentione* et *re* inter easdem personas carnale commercium (Cf. Vermeersch, *De castitate*, n. 301).

Concubinarii, stricto sensu, *sunt* clerici qui cum eadem muliere commercium carnale habitualiter habent. Concubinarii *praesumuntur:* 1° qui cum muliere illicitum contubernium habent ; 2° qui suspectam mulierem secum retinent vel quoquo modo frequentant (**c. 2176**) ; 3° qui retinent vel frequentant mulierem, in quam suspicio communiter non cadit, sed contra prohibitionem ab Ordinario latam quia, in casu, periculum est scandali aut incontinentiae (c. 133).

Procedura in hoc titulo proposita adhiberi potest contra omnes clericos qui concubinarii sunt vel praesumuntur. Si autem clericus modo publico vel notorio concubinatus stricte dicti reus sit, nihil prohibeat Ordinarium quin eum sub poenis etiam gravioribus ab illicito commercio recedere iubeat (c. 2220) ; immo quia gravis est legis violatio et scandalum certo datum est, possit sine praevia monitione reum iusta poena afficere (c. 2222, § 1).

Procedura hoc titulo praecepta tres actus continet, sc. monitionem ; si casus ferat, examen allegationum ; applicationem poenae.

368. - 1. Primus actus est **monitio** *canonica* qua Ordinarius prohibet quominus clericus mulierem suspectam secum retineat aut cum determinata muliere, etiam per se non suspecta, commercium servet. Monitioni addenda est comminatio poenarum quas c. 2359, § 1 contra concubinarios statuit.

Hae poenae sunt suspensio a divinis, privatio fructuum officii, beneficii, dignitatis.

2. Ad hanc monitionis formam ne deveniat Ordinarius, nisi certus fuerit : 1° mulierem esse suspectam, saltem ex modo commercii ; 2° clericum cum ea habitualiter conversari.

Nihil tamen prohibet quin monitione paterna clericum de dicteriis certiorem faciat vel eum etiam innocentem, ad vitandum scandalum, conversatiorem abrumpere vel minuere iubeat.

Etsi c. 2359 de clericis tantum loquitur qui maioribus ordinibus sunt initiati, c. 2176 eorum poenas ad clericos minores extendere, quantum sunt harum capaces, explicite permittit.

369. - Clericus monitus se triplici modo habere potest :

1. Clericus monitioni *statim paret*. Si scandalum transgressione legis lederit, ad istud reparandum iusta poena cogi potest (c. 2222, § 1).

2. Clericus *neque* praecepto *paret*, *neque respondet* (c. **2177**).

Primum Ordinario de monitione recepta et de facultate respondendi constare debet. Quae si certa fuerint, contumaci sequentes poenas imponet :

1° Eum suspendat a divinis, i. e. ab omni actu potestatis ordinis quam, sive per receptionem ordinum sive per privilegium, obtinet (cf. c. 2279, § 2, 2°).

2° Parochum praeterea statim paroecia privet ; neque ei collatione alius beneficii ullo modo providere debet.

3° Si agitur de clerico cuius beneficio cura animarum non annectitur, non est cur statim illo privetur, quia minus grave scandalum datur. Attamen, quo facilius poena temporali ad meliorem frugem reducatur, « si, exacto bimestri tempore a suspensione, sese non emendaverit, privet dimidia parte fructuum beneficii ; post alios tres menses, omnibus beneficii fructibus ; post alios tres menses, ipsomet beneficio » (c. 2177, 3°).

3. Clericus monitionem et *praeceptum*, allatis rationibus, *oppugnat*.

In hoc casu tota procedura eadem est ac supra. Allegationes coram duobus examinatoribus perpendendae sunt ; si non fuerint legitimae, praeceptum datur cui intra breve tempus est parendum (cc. **2178**. **2179**) ; parochus amovibilis, si non oboedierit, statim est suspensione et privatione paroeciae coercendus ; clerico qui beneficium inamovibile habet, facultas novi recursus conceditur, qui si fuerit inanis, novum praeceptum datur (c. **2180**). Contumacia iisdem quas mox explicavimus poenis punitur (c. **2181**).

TITULUS XXXII

DE MODO PROCEDENDI CONTRA PAROCHUM IN ADIMPLENDIS PAROECIALIBUS OFFICIIS NEGLIGENTEM

(cc. 2182-2185)

Scriptores : Cf. Titulum XXVII, p. 163.

370. - In c. **2182** enumerantur officia paroecialia quorum gravis neglectus sequenti procedurae locum dat.

1. Officia gravia hic indicata sunt : celebratio divinorum officiorum, administratio sacramentorum, cura animarum, praesertim pauperum ; instructio catechetica pueris danda (c. 467, § 1) ; cura aegrotorum, praesertim moribundorum (c. 468, § 1) ; cura munditiei et sanctitatis

domus Dei (c. 1178); praeparatio puerorum ad sacramenta recipienda (cc. 1330. 1331); propositio doctrinae christianae, sive explicatione catechismi (c. 1332) sive homiliis et concionibus (c. 1344). De his cf. *Epitome*, I, n. 505. 509. — II, n. 491. 665, ss.; 679. 680.

Decretum *Maxima cura*, n. 8 fere eadem officia recensebat, non tamen, ut Codex, taxative.

2. Gravis neglegentia vel violatio ex probatis auctoribus vel ex causis apud S. Sedem decisis aestimari debet. Illae sunt ex quibus grave detrimentum capiunt fideles, praesertim pueri, infirmi, et moribundi.

Graviter delinquit parochus qui v. g. infirmo, etiam contagioso morbo infecto, necessaria sacramenta conferre renuat; qui neglegentia sua frequentem Sacro assistentiam vel usum S. Eucharistiae impediat; qui per tres menses in anno, sive continuos sive non continuos, catecheticam instructionem puerorum neglexerit; qui per tres menses continuos, immo, ob scandalum vel ignorantiam populi, non continuos, extra tempus legitimum feriarum, nullam concionem ad populum habeat, etc.

Parochus, ob caritatis officium quo prae ceteris erga fideles sibi commissos, tenetur, graviter quoque peccare potest, si nullo gravi incommodo excusatus, infirmis in eadem diuturna infirmitate sacramenta pluries ministrare noluerit, si per mensem omnem catecheticam puerorum instructionem neglexerit, etc. Sed cum his peccatis ipsam legem disciplinarem non violet, graves hae neglegentiae Ordinario causam canonicam amotionis non praebent.

371. - *De procedura.*

Iuxta **c. 2182**, Ordinarius eum qui officia supra relata graviter neglexerit, monere debet, dein punire ad normam sequentium canonum.

1. Monitio facienda est, non paterna, sed canonica, scripto vel coram testibus (c. 2143), quae simul revocet in memoriam delinquentis et gravem eius obligationem et poenas quae sequentibus canonibus statuuntur, sc. correptionem, punitionem, privationem fructuum beneficii aut ipsius paroeciae (c. 2182).

2. Antequam ad punitionem procedat, Ordinario duo omnino certa esse debent, sc. post monitionem :

1° « Praedicta paroecialia officia etiam atque etiam per notabile tempus in re gravis momenti praetermissa aut violata fuisse ».

2° « Et eorundem omissiones aut violationes nulla iusta causa excusari » (**c. 2183**).

Ex his verbis satis patet unam alteramve neglegentiam etiam gravem ad poenas *infra statutas* infligendas satis non esse : nam repetita culpa gravis potest sane alio congruo remedio poenali sanciri.

Tempus notabile trium saltem mensium esse videtur, cum omissio quorundam officiorum, v. g. catecheticae instructionis non certo gravis fiat, nisi per mensem saltem duraverit. Omissio *in re gravi* exsistat oportet; si agitur v. g. de cura externa eorum quae ad cultum pertinent, gravis erit neglegentia, si parochus ita sordescere res sacras, praesertim ad S. Sacrificium pertinentes, permiserit, ut scandalum apud fideles, etiam non timidae conscientiae, satis commune oriatur

Si de his Ordinarius ex testimoniis omnino fide dignis certitudinem moralem acquisiverit, monebit parochum ut, si quid ad suam defensionem afferre possit, adducat. Dein rem totam cum duobus examinatoribus perpendet. Tunc :

3. Reum cuius culpabilitas certa sit, *corripiet*, i. e. coram testibus vel scripto aliis personis manifestato gravem neglegentiam exprobrabit, *addita* congrua *poena*, ut sunt exercitia spiritualia, ieiunia, eleemosynae, etc.

4. Si constiterit correptionem et punitionem per notabile tempus in irritum cessisse, re iterum cum examinatoribus discussa et facta parocho facultate se defendendi, parochus gravis et iteratae suorum officiorum omissionis vel violationis reus, *amovibilis* statim sua paroecia privari potest ; *inamovibilis*, primo privatione partiali vel totali fructuum est puniendus nec paroecia potest privari, nisi haec prior quoque poena vana fuisse demonstretur iisdem actibus et mediis ac supra indicata fuerunt (**cc. 2184. 2185**).

TITULUS XXXIII

DE MODO PROCEDENDI IN SUSPENSIONE EX INFORMATA CONSCIENTIA INFLIGENDA

(cc. 2186-2194)

Scriptores : ARNDT, *Die Suspension ex informata conscientia*, Arch. f. kath. K.Recht, 1895, pp. 141-170. — BOUIX, *De iudiciis*, II, p. 310, ss. — CLAEYS-BOÚÚAERT. F., *De canonica cleri saecularis oboedientia*, p. 137, ss. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 886. ss. — AUGUSTINE, O. S. B., *A commentary*, VII, in h. cc.

372. - Sacra Tridentina Synodus, ne occulta quaedam clericorum crimina ecclesiastico ministerio graviter nocerent quod formis iudicialibus coerceri non possent, Ordinariis potestatem fecit interdicendi, etiam extraiudicialiter, suis clericis ascensum ad ordines superiores vel exercitium suorum ordinum (Sess. XIV, c. 1, de ref.). Quo instituto Concilium decretalem Lucii Pp. III (c. 5, X, I, 11) imitatum est, quae Ordinariis *Regularium* potestatem concesserat suos subditos ob delictum *occultum* ab ascensu ad superiorem ordinem prohibendi.

Suspensio a Concilio instituta *ex informata conscientia* vocatur, quia Ordinarius, etsi ferat eam ex causis quas non mere privata scientia noverit, v. g. ex confessione rei non iudiciali, ex sua experientia, etc., eas iudicialiter, immo vel in foro externo, prodere aut demonstrare non cogitur. Haec poenae inflictio quantum a modo ordinario procedendi discedat, nemo non videt, ideoque « remedium extraordinarium » a

Legislatore vocatur (c. 2186, § 2). S. Congr. *de P. F.* definivit quomodo Ordinarii sibi subiecti hac potestate uterentur, instructione 20 oct. 1884 (1), quam, paucis verbis mutatis, in canonibus Codicis invenimus.

Ordo dicendi. In hoc titulo, primo potestas Ordinariorum asseritur et condiciones eius usus *in genere* determinantur (cc. 2186. 2187); dein normae servandae in applicanda poena singillatim proponuntur (cc. 2188-2193); tandem unicum contra eam remedium, sc. recursus ad S. Sedem indicatur (c. 2194).

373. - I. *De potestate Ordinariorum.*

1. « Ordinariis licet ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere ab officio, sive ex parte sive etiam in totum » (**c. 2186**, § 1).

1° *Suspensio* est poena qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur (cf. cc. 2278, § 1 ; 2298, 2°). Si fuerit totalis, clericus vetatur ponere actum ullum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis *ex officio* competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii (c. 2279, § 1).

2° Suspendere ex informata conscientia est poenam infligere ex causis quarum exsistentiam et gravitatem Ordinarius se bene novisse asserit, etiam si eas vel cognitionis fontem non patefacit.

3° Dum Codex dicit « Ordinario *licet* ex informata conscientia... suspendere », duo affirmat, sc. hanc facultatem Ordinariis iure positivo concedi eamque iuri naturali non repugnare. Immo damnatae sunt prop. 49. 50 Conc. Pistoriensis, quae huic potestati Ordinariorum adversabantur (Denzinger, nn. 1549. 1550).

Prima specie videtur iustitiae repugnare poena gravis et infamans quae reo inaudito imponitur ipsumque iure quaesito privet. — Responderi potest sacrum ministerium ob bonum publicum fidelium esse institutum, quod interdum exigit ut durissimo, sed *aptissimo* et *necessario* medio periculum gravis damni removeatur. Quicumque ergo officium ecclesiasticum accipit, huic condicioni se submittat oportet. Eae tamen cautiones requiruntur ut abusibus quibuslibet via praecludatur. Iamvero cum Ordinarius, contra quem recursus ad S. Sedem patet, S. Congregationi Concilii demonstrare debeat se poenam inflixisse ob delictum certum, gravissimum, contra quod alia procedendi via non pateret et ipsi reparanda sint damna imprudenter vel iniuste illata et S. Congregatio iurium clericorum inferiorum magnam rationem habeat, periculum abusus, quantum fieri potest, est remotum. Iuri autem naturali non repugnat ut interdum, ob imperfectionem Superiorum, bonum privatum pessumdari permittatur, quo bonum publicum semper tutum maneat.

4° Subiectum huius poenae sunt tantum clerici *subditi* Ordinarii.

Sunt ergo, relate ad Superiorem dioecesis vel territorii similis, clerici saeculares ipsi dioecesi incardinati vel qui saltem quasi-domicilium in dioecesi habent ; religiosi non exempti ; Regulares, si de facultatibus agitur, quas ab Ordinario loci acceperunt, ut est iurisdictio ad confessiones audiendas. Ordinarius Regularis etsi suum subditum ab audiendis confessionibus suspendere potest, eum iurisdictione ab Ordinario loci accepta directe privare nequit.

2. « Extraordinarium hoc remedium adhibere non licet, si Ordina-

(1) *Coll. P. F.*, II, n. 1628.

rius potest sine gravi incommodo ad iuris normam in subditum procedere » (c. 2186, § 2).

Etsi suspensio ex informata conscientia dicatur *remedium*, *poena* quoque vocatur (cc. 2188, 2°. 2190) et est, cum ob *delictum* tantum infligi possit. Quare etsi omnes alii Ordinarii eam infligere possunt, id non potest Vicarius Generalis sine speciali mandato (c. 2220, § 2).

Iamvero ubi de gravi poena infligenda agitur, iustitia postulat ut reo omnia media legitima offerantur se defendendi ideoque, in adiunctis ordinariis, ut possit sive iudicem sive testes recusare, testimonia adversus se allata aliis testimoniis vel explicationibus infirmare et delere, causas probabiles sui agendi modi afferre, quo facilius et certius iudex de vero rerum statu sententiam ferre queat.

Grave incommodum erit v. g. magna difficultas vel impossibilitas vitandi grave scandalum publicum in processu ordinario; periculum probabile ne reus ob astutiam et contumaciam, cum magno sacri ministerii detrimento, a munere non possit removeri; detrimentum grave, quod testibus ceteroquin honestis et fide dignis, oriretur ex detecto eorum nomine; periculum probabile ne potestas civilis rebus Ecclesiae se immisceat eiusque iurisdictionis exercitium impediat; praesertim periculum, quod haud ita raro occurrere potest, ne Ordinarius vel testes ob diffamationem in iudicio criminali a iudice civili condemnentur, etc.

374. - II. *Normae generales.*

1. In hoc remedio extraordinario, non tantum formae iudiciales, ut citatio rei, auditio publica testium, fatalia statuenda, etc. omitti possunt, sed « neque canonicae monitiones requiruntur » (c. 2187).

Paternae monitiones interdum e caritate praemittendae erunt, ut monet Conc. Tridentinum. S. XIII, c. 1, de ref., neque canonica monitio excluditur, si hac forte via reus ad delictum non protrahendum vel reparandum adduci potest.

2. Per se « satis est, si Ordinarius, servato praescripto canonum qui sequuntur, simplici decreto declaret se suspensionem indicere » (c. 2187).

375. - *De decreto suspensionis.*

1. « Detur in scriptis, nisi adiuncta aliud exigant, designato die, mense et anno; » (c. 2188).

Adiuncta aliud exigunt, si v. g. constat sacerdotem usurum esse documento in grave detrimentum Ecclesiae, Ordinarii, fidelium.

2. In decreto tria clare exprimenda sunt, sc. natura decreti, tempus poenae, actus prohibiti (ibid., 1°-3°).

1° De *natura decreti.* « Expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia seu ex causis ipsi Ordinario notis ».

Nisi enim exteriore documenti forma clericus naturam poenae noverit, possit statim reclamare ob defectum monitionis canonicae, quae ante punitionem, praesertim adeo gravem, requiritur, nisi « scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas » contrarium ferat (c. 2222, § 1). Iamvero in nostro casu scandalum vel nullum erit vel probari non poterit, cum delictum sit occultum.

2° « Indicetur tempus durationis poenae »;

Prohibetur Ordinarius eam ferre in perpetuum; invalida tamen non fuerit suspensio in perpetuum, sed recursu ad S. Sedem facile mutabitur. Plerumque

enim reus poena temporaria ad meliorem frugem reductus, in alio vel, post tempus, in eodem loco suos ordines sine incommodo exercere poterit. Saepius S. Congregatio tempus suspensionis ad paucos, v. g. sex menses reduxit. — Poena vero imponi potest vel ad tempus determinatum (poena vindicativa) vel dum, contumacia fracta, reus absolutionem petat (censura). Sed in hoc altera casu causa censurae est patefacienda, ut reus sciat quid sibi ad absolutionem obtinendam faciendum sit. Ordinarius potest quoque ferre hanc suspensionem « ad suum beneplacitum ». Quo casu, saltem eius morte cessat et est poena vindicativa. — Violatio huius suspensionis, etiamsi tamquam poena vindicativa lata fuerit, clericum *irregularem* facit (c. 985, 7°. Cf. *Epitome*, II, n. 257. 7°).

3° « Clare indicentur actus qui prohibentur, si suspensio non in totum, sed ex parte infligatur ».

Haec determinatio nunc paucis verbis fieri potest, cum ipse Codex varium ambitum suspensionis claris definitionibus determinaverit (c. 2279). Non est tamen scientiae clerici nimis fidendum et potius indicanda est saltem species actuum qui prohibentur. Ut si dicatur : « te ab omni confectione et administratione sacramentorum, a confessionibus audiendis, etc. suspendimus ».

4° Clerico suspenso qui curam animarum habebat, *Vicarius oeconomus*, saltem ad tempus, erit substituendus, nam privatio perpetua paroeciae sine processu saltem oeconomico imponi nequit, nisi de parocho religioso agatur. Iste Vicarius ex ipsis beneficii fructibus mercedem percipiet « secundum prudens Ordinarii iudicium determinandam » (**c. 2189**, § 1).

Quod ad hanc partem decreti, datur clerico suspenso recursus, ut imminutionem illius pensionis obtineat, ad eum Superiorem qui in via iudiciaria esset iudex appellationis. Hic erit Metropolita relate ad episcopum suffraganeum ; episcopus appellationis semel pro semper a Metropolita electus ; Superior generalis contra Provincialem, etc. (Cf. c. 1594. Supra. n. 45.)

376. - III. *De delicto puniendo.* Suspensio ex informata conscientia non potest ferri, nisi ob delictum *certum*, *par tantae poenae*, *occultum* aut, si *publicum* sit, talibus in adiunctis versans ut iudicium de eo institui nequeat. De his condicionibus agunt cc. 2190-2192.

377. - A. *Delictum certum.* Necessitas huius condicionis vix demonstranda est ; iustitia enim naturali prohibemur graviter punire eum cuius culpa non sit certa (**c. 2190**).

Commentatores disputabant num sufficeret scientia *privata*, quam Ordinarius obtinuisset v. g. tamquam testis oculatus. Negabat Bouix (*De iudiciis*, II, cap. III, s. IV, sub. 3), affirmabat d'Annibale (*Summula*, I, 385, nota 56) Iuxta c. 2190, videtur requiri scientia testimonio aliorum acquisita, nam *investigationibus* haec certitudo acquirenda dicitur. Sed canon loquitur de communiter contingentibus nec controversiam dirimit. Sententia cl. d'Annibale optimo argumento nititur ; suspensio enim fertur ex *informata* **conscientia.**

Investigationes faciendae sunt apud viros probos, sui compotes, qui testimonium ferre possint ex scientia propria, non ex auditu auditus. Poterit quoque Ordinarius uti ministerio probi et discreti viri, ut plurimum sacerdotis, qui secretis investigationibus veritatem testi-

moniorum comprobare queat. Qua in re, procul dubio, conscientia Ordinarii graviter oneratur.

Ceterum cum clerico recursus Romam pateat, oportet ut numero et qualitate testium Ordinarius sententiam suam defendere possit.

378. - B. *Delictum par poenae.* Non sufficit ut peccatum grave sit, sed etiam qua *externum* (delictum) ea gravitate ut hac poena, quae raro sine infamia perferetur, dignum habeatur. Citari possunt repetita delicta contra sextum mandatum cum complice, furta maioris momenti repetita, homicidium vel abortus, abusus sigilli sacramentalis, gravis et repetita ebrietas, aliaque delicta quae v. g. in Codice excommunicatione, praesertim reservata, plectuntur.

379. - C. *Delictum occultum aut quandoque publicum* (c. 2191).

1. « Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet *delictum occultum* ad normam c. 2197, n. 4 » (c. 2191, § 1).

Quomodo verbum *occultum* in hac causa esset intelligendum, scriptores inter se maxime disputarunt. Solvitur dubium ipsa Codicis definitione ad quam remittimur.
« Occultum (est delictum) quod non est publicum ; occultum materialiter, si lateat delictum ipsum ; occultum formaliter, si eiusdem imputabilitas » (c. 2197, 4°). Occultum igitur est delictum quod nondum « est divulgatum » neque « talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (Ibid., 1°).
Divulgatum dici potest quod in maiore parte communitatis notum est aut saltem tribus quattuorve personis quae non taciturae cum certitudine praevidentur.

2. « Ob *notorium* delictum suspensio ex informata conscientia numquam ferri potest » (c. 2191, § 2).

Etenim, etiamsi facto, nondum iure, notorium sit, Ordinario numquam deerunt remedia iuris ordinarii ; testes enim sine difficultate arcessiri possunt vel contumacia rei publicis Ecclesiae poenis frangi potest. Praeterea periculum ex parte potestatis civilis tunc multo minus habetur. Quod si reus resistat, nullius quoque fuerit utilitatis remedium nostrum.

3. Poena potest ferri in delictum *publicum*, modo in adiunctis specialibus versetur quae Codex *taxative* determinat : « occurrat *necesse est* aliquod ex adiunctis quae sequuntur » (ibid., § 3).

Codex ad disciplinam Conc. Tridentini, mutato iure S. C. *de P. F.* redit. Concilium enim dicebat hanc poenam infligi posse « etiam ob occultum crimen ». Inde scriptores nonnulli, ut Bouix (1), concludebant hanc suspensionem infligi posse ob delictum publicum. Repugnabant tamen plures nixi motivis causarum apud S. Sedem iudicatarum (2), quibus assentiri visa est S. C. *de P. F.* In eius enim instructione, n. 6, requiritur ut culpa seu crimen sint *occulta*. Legislator tamen noster censuit in quibusdam casibus crimen ordinariis processus formis non posse coerceri, etsi publicum, non tamen notorium esset, eosque casus enumerat.

---

(1) *De iudiciis*, II, p. 325.
(2) *S. C. C.*, causa S. Agathae Gothorum, 26 febr. 1853.

1° Si impossibile est *probationes iudiciales* habere, quia testes ad comparendum induci non possunt et aliae probationes desunt,

Potest hoc evenire ex natura delicti, quod testem probro afficeret ut si turpia a clerico passus sit (Cf. AAS., VII, 570).

2° « Si ipsemet clericus minis aut aliis adhibitis mediis impediat ne processus iudiciarius instituatur aut inceptus perficiatur » ;

3° « Si processui iudiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta exoriantur ex adversis civilibus legibus aut gravi scandali periculo » (c. **2191**, § 3, 2°, 3°).

Quotiens enim delictum *iudicialiter* ob unam ex his causis, praesertim propter primam, probari non potest, hac saltem parte ad occultum accedit (1).

4. « Suspensio ex informata conscientia valet si ex pluribus delictis unum tantum fuerit occultum » (c. **2192**).

Fieri ergo potest ut Ordinarius contra clericum ob delicta quaedam publica iudicialiter procedat, eum vero ob delictum occultum ex informata conscientia suspendat. Si clericus a sententia iudiciali appellet, viget tamen suspensio (2).

380. - Cum Superiores Ecclesiae paternam sollicitudinem in poenis infligendis numquam omittere debeant, censura poenae vindicativae praeferenda est, quotiens id prudentia permittat. Quare commendatur Ordinariis ut, si delictum clerico manifestari possit, paterna quoque interponantur monita, quibus poena « ad emendationem delinquentis et ad occasionem peccati eliminandam inserviat » (c **2193**).

Attamen « prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere » (ibid.).

Revelationi enim secretum promissum vel ipsius rei indoles obstare possunt. Neque abusus ex silentio timendi sunt, cum iuxta c. 2194 recursus ad S. Sedem pateat.

381. - *De recursu contra decretum.*

A decreto suspensionis ex informata conscientia nulla appellatio conceditur, quippe quod iudicialiter non latum sit. Reus tamen remedio iuris non caret ; potest enim ad S. Sedem recurrere. Quo casu, « Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet probationes quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod extraordinaria hac poena puniri queat » (c. **2194**).

Reus hoc remedium tentare potest ob defectum competentiae in Ordinario, v. g. in Vicario Generali ; quia delictum non est perpetratum vel quia deest proportio inter delictum et poenam ; quia delictum iis in adiunctis erat commissum, ut iudicialiter probari posset.

S. Congr. Concilii haud ita raro decretum suspensionis irritavit. Quibus casibus, Ordinarius ad refectionem damnorum et expensarum damnatur, praesertim quod ad fructus beneficii attinet.

---

(1) Sic iam sentiebant ARNDT, *Die suspension ex inf. consc.*, p. 152. — CAVAGNIS, *Instit. iuris publ.*, II (ed. 4). p. 275.

(2) S. C. C., *Lucionen.*, 8 apr. 1848. — ARNDT, *o. c.*, p. 154.

LIBER QUINTUS

DE DELICTIS ET POENIS

382. - Frustra leges conderentur, nisi earum observatio a Superioribus usu potestatis coercitivae exigi posset. In Ecclesia quoque, etsi fideles motivo caritatis ad praecepta divina et humana servanda movendi sunt, poenae tamen necessariae sunt, quibus fragilitas debilium hominum iuvetur, contumacia malorum compescatur et scandala efficaciter reparentur.

Propositis igitur legibus ecclesiasticis de personis et de rebus, additis normis iudiciorum quibus dubia iura definiuntur, ad leges poenales exponendas deveniendum est. Quia tamen applicatio poenarum saepe iudicialem processum supponit qui processum de rebus contentiosis in multis imitatur, normae processus criminalis in L. IV° recte propositae sunt.

Cum vero omnis poena violationem legis supponat, primo de delictis in genere (tit. I-III), dein de poenis in genere (tit. IV-X), tandem de applicatione poenarum singulis delictis (tit. XI-XIX), ordine agendum est : quae totidem sunt partes libri V Codicis.

Haec divisio a pluribus iam scriptoribus erat adhibita. Cf. Wernz, *Ius Decretalium*, VI. Quod ad ordinem huius libri quinti, scriptores Codicis eximium tractatum cl. Hollweck, I., *Die kirchlichen Strafgesetze*, plerumque secuti esse videntur.

PARS PRIMA - DE DELICTIS

382. bis - **Ordo dicendi.** In tribus titulis Codex definit naturam obiectivam (cc. 2195-2198) et subiectivam (cc. 2199-2209) delicti, dein eius effectus (cc. 2210. 2211), tum actus qui eius initium (cc. 2212. 2213) constituunt.

TITULUS I

DE NATURA DELICTI EIUSQUE DIVISIONE

(cc. 2195-2198)

Scriptores : d'Annibale, *Summula theol. mor.*, I, n. 295, ss. — Hollweck, *Die kirchlichen Strafgesetze*, § 1, ss. — Lega, *De delictis et poenis*, n. 20, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n. 13, ss. — Eichmann, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — Sole, I., *De delictis et poenis*, in h. cc.

I. Notio

383. - 1. Delictum ipso Codice *definitur* : « externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica, saltem indeterminata » (c. 2195, § 1).

Delictum est species *peccati*. Porro Ecclesia, sive possit sive, ut nobis videtur, non possit, peccatum mere internum canonica sanctione munire, re vera externas tantum legis, sive divinae sive humanae, violationes poenis suis sancivit. « Cogitationis poenam nemo patitur » (c. 14, D. 1, *De Paenit.*). — Poena dicit *culpam*, saltem iuridicam. Poenae huius Codicis non plectunt nisi eum qui theologice et graviter peccasse censendus est. Delictum vero a quavis alia legis vel praecepti violatione *poena canonica* legi violatae addita discernitur. Quae nota eius est essentialis. Optime iam d'Annibale, (*In C. Apostolicae Sedis comment.*, n. 6) delictum definivit his verbis : « externa legis poenalis violatio dolo malo facta ». Nihil refert utrum poena lege determinetur an prudenti arbitrio Superioris committatur.

Itaque, iure communi attento, delicta non sunt lectio librorum prohibitorum (c. 1395, ss., excepto casu c. 2318) ; omissio confessionis vel communionis annuae cc. 859. 906 aliaeque plurimae legum ecclesiasticarum violationes quae nulla poena sanciuntur. — Neque delictum ab eo committitur qui falso putat se legem *poenalem* violare, re vera legem mere prohibentem violans, v. g. si quis laicum caedat quem clericum reputat.

Codex verbum, *delictum* sensu quoque minus stricte adhibet in c. 656. Etenim : 1° si sensu stricte loqueretur, non esset cur « gravia delicta externa... » diceret ; omne enim delictum, est grave et externum ; 2° haec verba desumpta sunt e decr. *Cum singulae* (1), in quo promiscue adhibentur verba *delictum* et *crimen*. In decr. *Auctis admodum* (2), vetantur dimitti qui vota perpetua professi sint, « nisi ob culpam gravem, externam et publicam ». — Si quis addat oportere ut religiosus ob violationem gravem et praesertim scandalosam iuris particularis, etiam poena canonica non sanciti, dimitti possit, iure dixerit ; sed tertium argumentum duobus quae proposuimus non addiderit. Etenim ut talis religiosus dimitti possit, sufficit applicatio can. 2222, § 1, qui statim proponetur.

2. Delicto aequiperari potest violatio legis quae cum graviori scandalo commissa sit aut quae specialem gravitatem habeat. Contra enim atque lex civilis quae « nullum crimen sine lege poenali » admittat, lex ecclesiastica bonum animarum in primis spectans edicit : « Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest eius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat ;... » (c. 2222, § 1).

Quare ubi delictum, sensu stricto, dolum specialem (si praesumpserit, scienter, etc.) supponit, culpa dolo imminuto sed tamen gravi admissa, si scandalum ferat, ab Ordinario puniri poterit, v. g. violatio sigilli sacramentalis ab eo qui poenam ignorabat, etc. (3).

Ubi violatio est extraordinaria propter gravitatem aut scandalum,

(1) *S. C. Relig.*, 16 mai 1911. — AAS., III, 1911, 235. — *N. R. Th.*, 1911, 467. — *Per.*, VI, 44.

(2) *S. Cong. EE. et RR.* 4 nov. 1892. — *N. R. Th.* 1893, 29. — *de Relig.* II, 275.

(3) *Ephem. theol. Lovan.*, 1926, 210, ss.

decet ut Superior, in societate quae distinctionem potestatum non urget, poenam extraordinariam, i. e. nondum ipsa lege statutam reo imponere possit (1).

3. Violatio *praecepti* cui poenalis sanctio annexa sit, violationi *legis* poenalis ipso Codice assimulatur « nisi ex adiunctis aliud appareat » (**c. 2195**, § 2).

Nota essentialis delicti, i. e. violatio normae *poenalis* sic quoque apparet. Praeceptum dici potest iussio vel prohibitio quam Superior vi iurisdictionis vel potestatis dominativae subdito imponit ob bonum publicum vel privatum ad tempus definitum vel indefinitum. Cum ex doctrina certum sit neminem posse poenas ecclesiasticas ferre qui iurisdictione careat, agitur in c. 2195, § 2 de praecepto ex potestate iurisdictionis lato.

4. In Codice nullum iam vestigium reperitur distinctionis inter *crimina* et *delicta*, pro varia violationis gravitate. Attamen vox « crimen » variis in locis occurrit, in locutionibus usu definitis v. g. tit. XV, *de crimine falsi* (c. 2360, ss.) ; « Si quis... de sollicitationis crimine... » (c. 2363. Cf. c. 894). In iure anteriore *delictum* violationem legis designabat quae minori poena, v. g. vituperio, remotione ab officio, paenitentia muniebatur, etc.

II. Divisiones

384. - 1. *Ratione obiecti*, delicta in varias species dividuntur e natura iuris quod transgressione legis violatur ; i. e. « qualitas delicti desumenda est ex obiecto legis » (**c. 2196**).

Variae species delictorum in titulis tertiae partis huius libri enumerantur.

2. *Ratione gravitatis* quantitas delictorum, qua in varios gradus eiusdem speciei dividuntur, pendet ex ratione obiectiva simul ac subiectiva, sc. « non solum ex diversa gravitate legis laesae, sed etiam ex maiore minoreve imputabilitate aut damno illato » (c. 2196).

Gravissima erunt v. g. abusus sacrilegus sacrarum Specierum ob legis gravitatem ; violatio directa sigilli sacramentalis, simul ob legis gravitatem et damnum illatum.

3. *Ratione manifestationis*, delicta dividuntur in *publica*, *notoria* et *occulta*. Delictum est :

« 1° Publicum, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (**c. 2197, 1°**) ;

Publicum hic specifice sumitur per oppositionem ad notorium et occultum ; dum vox *publicum* per se est generica quae delictum notorium, manifestum vel simpliciter publicum designat. — Definitio Codicis verbotenus ex Wernz, *o. c.*, VI, n. 17, V, desumpta est. — *Divulgatio* est notitia in maiore parte oppidi, viciniae, collegii, etc. Omnes regulae a variis scriptoribus de *numero* personarum datae, etsi utilitate non carent, his tamen verbis cl. d'Annibale, temperandae sunt : « Quia res facti est, in aestimatione boni viri esse debet » (*Summula*, I, n. 242, nota 49).

(1) Cf. cl. d'Angelo in h. can. in *Ephem. theol. Lov.*, 1926, 210, ss.

2° Notorium. *Notorietas* est evidentia rei quae nulla tergiversatione celari possit. Oritur ex re iudicata, ex legitima confessione iudiciali vel ex numero et qualitate testium. Alia est *iuris*, alia est *facti*.

a) Delictum est « *notorium notorietate iuris*, post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ad normam c. 1750 » (c. **2197**, 2°) ; sc. « in scriptis aut oretenus... coram iudice, sive sponte sive iudice interrogante peractam... »

Contra notorietatem *iuris* non repugnat afferri solidam probationem ; quare, per se, eius vis minor est quam notorietatis facti.

b) « *Notorium notorietate facti*, si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit » (ibid. 3°).

Delictum non est notorium, si de *imputabilitate* facti dubium moveri potest. Haec est enim delicti qua talis elementum essentiale.

E definitione data, ad notorietatem *facti* remittendi sunt casus quibus reus in committendo delicto ab ipso Superiore manifeste deprehenditur, vel si delictum, publice notum, documentis publicis asseritur, v. g. si secundae nuptiae, vivente comparte, in libris publicis annotatur.

3° « Occultum, quod non est publicum ; *occultum materialiter*, si lateat delictum ipsum ; *occultum formaliter*, si eiusdem imputabilitas » (ibid. 4°).

Dum publicum erit delictum si paucis manifestum sit, qui narrandi pruritu anguntur, occultum est etiam a pluribus cognitum, sed linguae tenacibus vel quos ad silentium causa specialis moveat.

Ex hac occulti delicti definitione patet duellum plerumque occultum non fore, etsi in loco satis secreto saepe perficiatur ; ipse enim duelli finis duellantes et testes ad manifestationem delicti impellit. — Ob aliam delicti *occulti* definitionem HOLLWECK, *o. c.*, § 6, n. 3, crimen duelli semper occultum esse censebat donec de eo iudicialiter constaret.

Adde occultum fieri posse quod fuit publicum, quia memoria rei ob longum tempus obliterata est ; aut idem delictum publicum in alio loco, in alio occultum esse posse, in quem eius notitia haud facile est perventura.

Codex in definitionibus maiores partes prudenti Superioris vel Doctorum arbitrio sapienter concedit nec admisit strictiorem, ideoque interdum falsam, determinationem conceptuum ex loco (publico vel remoto), tempore (interdiu vel noctu) vel numero personarum (sex in oppido, octo in civitate). — Ad casus singulares diiudicandos nihil impedit quin Ordinarius vel iudex recurrant ad distinctiones quibus utebantur DD. in definiendis verbis veteris iuris, uti erant *manifestum*, *famosum*, *omnino occultum*, etc.

385. - 4. *Ratione competentiae* in delicta *mere* ecclesiastica, *mere* civilia et mixta.

Reservantur foro ecclesiastico delicta quae unice legem Ecclesiae, foro civili, quae unice legem civilem laedunt ; « delictum quod laedit utriusque societatis legem, ab utraque potestate puniri potest » (**c. 2198**).

Asseritur praeterea ius Ecclesiae requirendi necessarium vel opportunum brachii saecularis auxilium ; et competentia indirecta potestatis ecclesiasticae in delicta mere civilia, *ratione peccati*.

Delicta mixta varia sunt pro variis societatum civilium Codicibus, cum non eaedem legum violationes in omnibus puniantur.

Afferri possunt ex Cod. belg. et gall. abortus (c. 2350. C. P., a. 348, ss.), duellum (c. 2351. C. P., a. 423, ss.), raptus minoris (c. 2353. C. P., a. 379), etc. — Etsi hae causae per se praeventioni locum dant (c. 1553, § 2. Cf. supra, n. 7, 2), c. 1933, § 3 suadet ut « regulariter ne procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono consulit » (cf. c. 2223, § 3, 3°. Supra, n. 258, 3, 2°). — Ceterum huiusmodi delicta poenas latae sententiae non effugiunt.

TITULUS II

DE IMPUTABILITATE DELICTI, DE CAUSIS ILLAM AGGRAVANTIBUS VEL MINUENTIBUS ET DE IURIDICIS DELICTI EFFECTIBUS

(cc. 2199-2211)

Scriptores : d'Annibale, *Summula*, I, 297. 319. — Hollweck, *Die kirchlichen Strafgesetze*, §§ 8. 10. 13. 19. — Lega, *De delictis et poenis*, n. 29, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n. 18, ss. — Eichmann, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — Sole, *De delictis et poenis*, in h. cc.

386. - **Ordo dicendi.** Propositis elementis imputabilitatis, sc. dolo vel culpa (c. 2199), exponuntur natura et influxus causarum ex quibus delictum obiective vel subiective oritur, tollitur, minuitur aut augetur (cc. 2200-2208) ; dein gradus imputabilitatis delicti in complicitate (c. 2209). Tandem effectus delicti pro reo (c. 2210) et complicibus (c. 2211) enumerantur.

Hic titulus obiecta satis diversa continet, quae forte melius discernerentur. Sane participatio delicti seu complicitas, cum sit delicti forma, aeque vel minus imputabilis atque actio auctoris principalis, recte sub hoc titulo ponitur ; sed effectus delicti sub alio titulo proponendi videbantur, cum ipsi notioni delicti et eius inchoationi vel attentationi distincti tituli tributi fuerint.

387. - Imputabilitas est proprietas actus moralis qua agenti tamquam eius libero auctori ascribitur. Iamvero delictum merito ei ascribitur qui illud posuit sciens volens, i. e. cum dolo seu ex mala voluntate aut cum culpa, i. e. ignorans legem quam nosse poterat et debebat vel omittens debitam ad delictum vitandum diligentiam.

« Quare omnes causae quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem » **(c. 2199)**.

Personae *morales* collegiales iuridicos actus ponere et legem poenalem in suis deliberationibus violare possunt. Non sunt tamen *qua tales* delicti capaces, quod imputabilitatem seu voluntatem liberam supponit ; collegii autem non est voluntas communis, nisi unanimi suffragio res decernatur vel actus ab aliis

positus, ab aliis libere confirmetur. Cum oporteat collegia ad leges servandas sanctionibus poenalibus cogere, quae tamen insontes propriis bonis spiritualibus non privent, lex ecclesiastica transgressiones a collegio admissas privatione iurium communium plectit, quae erga reos rationem poenae habet, alios indirecte tantum et saepe minus plene afficit (cf. cc. 2255, § 2 ; 2274. 2285. 2391). — Personae morales *non collegiales*, v. g. Seminarium, dioecesis, neque actus neque delicti capaces sunt. Poenae, v. g. interdictum locales, si territorii finibus definiuntur, re vera physicas tantum personas afficiunt ; immo tamquam formales poenae eos tantum qui patrati, non impediti vel non reparati delicti rei fuerunt.

Cum violatio legis dolo, culpa vel casu oriri possit, de his iam est dicendum.

388. - 1. « Dolus heic est deliberata voluntas violandi legem eique opponitur ex parte intellectus defectus cognitionis et ex parte voluntatis defectus libertatis » (c. **2200**, § 1).

Defectus cognitionis est ignorantia, error, inadvertentia ; defectus libertatis oritur ex vi, metu, passione. Ex casu potest uterque defectus oriri.

2. Causae quae imputabilitatem afficiunt, aliae sunt physicae, ut aetas, morbus, vis ; aliae morales, ut negligentia, passio, metus. — Etsi ex natura rerum diiudicandae sunt, potestas socialis eas pressius definire, immo praesumptiones de iis statuere potest.

Codex distinguit homines qui « actu carent usu rationis » (c. 2201, § 1) ; qui « usu rationis sunt habitu destituti » (c. 88, § 3), sive nulla sive quaedam lucida intervalla habeant aut sive in nullis sive in quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur (c. 2201, § 2) ; qui mente debiles sunt (c. 2201, § 4). Itaque remota de causis vel natura intrinseca harum infirmitatum disputatione, iudicem vel Superiorem ad *facta* consideranda cogit. Saepe difficillimum erit ferre iudicium de iis qui lucida intervalla habent, cum initium et finis lucidi intervalli a minus certa amentia haud multum differat.

3. « Posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur » (ibid. § 2).

Favor enim callidis viris conciliaretur, si obicere ignorantiam iuris aut asserere se ioco vel ignorantia facti egisse sine probatione possent.

In nn. 389-391 simul ponemus causas quae delictum tollunt, dein quae ipsum minuunt, tandem quae dolum augent (1).

389. - I. *De causis quae delictum tollunt.*

1° Carentia usus rationis (c. **2201**, § 1). Quare a delicto excusantur :

a) *Perpetuo amentes.*

Amentes qui et dementes vel mente capti vel insani dicuntur sunt qui rationis usu plene carent, etsi physice satis sunt evoluti ; a furiosis distinguuntur tranquillitate et pace animi (2).

---

(1) De causis quae imputabilitatem in iure ecclesiastico ex defectu mentis tollunt vel minuunt, cf. I. NOVAL, O. P., *De semi-amentibus*, etc. in *Ius pontific.*, 1924, 76, ss.

(2) CALVINUS, *Magnum lexicon iuridicum*, V° *Dementes*.

b) « *Habitualiter amentes*, licet quandoque lucida intervalla habeant vel in certis quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur, *delicti* tamen *incapaces praesumuntur.* » (2201, § 2).

Mera praesumptio statuitur ; quare legibus poenalibus inter lucida intervalla vel in iis materiis in quibus non desipiunt tenentur.

Num aliis quoque legibus teneantur, disputant DD. Dubitat P. Vermeersch (*Epitome* I, n. 80) ; negat Maroto, *Institutiones*, I, n. 195, affirmant alii v. g. Claeys-Boúúaert-Simenon, *Manuale*, n. 161, brevius suam sententiam probantes.

Curnam dubitari possit, vide *Epitome*, I, 80 ; pro affirmante sententia hæc afferri possunt, quibus veram vim inesse equidem admitto : 1° c. 12 obligatione legum ecclesiasticarum eximit eos « qui sufficienti rationis usu non gaudent » ; iamvero per lucida intervalla aut in certis ratiocinationibus vel actibus (cf. c. 2201, § 2) habitualiter amens usu rationis satis gaudet vel gaudere potest ; 2° in c. 88, § 3 agitur de persona quod ad capacitatem iurium potius quam ad obligationem legum, ut patet ex contexta materia ; 3° multae leges mere ecclesiasticae poenis sanciuntur, quibus si habitualiter amens per lucida intervalla teneatur, non est mirum aliis quoque legibus ecclesiasticis eum teneri ; 4° « monomaniachos legibus ecclesiasticis teneri, » nisi circa eas insaniunt, censebant Sanchez, *in Decal.*, I, 12, n. 4; Laymann, X, 3, d'Annibale, *Summula*, I, n. 204, nota 33, quem Maroto, *l. c.* haud recte pro sua sententia affert.

Estne haec praesumptio *iuris tantum* an *iuris et de iure* ? Primum si dixeris, satis erit probare eum qui habitualiter amens est, legem poenalem, dum sui compos erat, violasse, ut puniri possit ; alterum si admiseris, non punietur qui habitualiter amens est, nisi probaveris eius amentiam plene desiisse. Hanc opinionem I. Noval proponit (1), illam admittere videntur ceteri scriptores (2).

Equidem verbis Codicis praesumptionem iuris tantum statui censeo ; poenas tamen ferendae sententiae prudentius non decerni, nisi perfecta amentiae cessatio probetur ; poenas autem l. s. prout fuerit in agendo sui compos vel non, habitualiter amens contrahet.

c) *Perfecte ebrii*, nisi ebrietas sit voluntaria.

« Idem dicatur de aliis similibus mentis perturbationibus » (c. 2201, § 3) ;

Usus enim rationis tolli potest, etsi rarius plene aufertur, v. g. usu cocainae, morphii, opii, etc.

d) *Infantes*. Ante septennium, legibus mere ecclesiasticis non tenentur, « nisi aliud iure expresse caveatur », et praesumptione iuris censentur non esse sui compotes (c. 88, § 3), non tamen praesumptione iuris et de iure.

Quare aetas imputabilitatem non absolute tollit. Leges societatum civilium

(1) *Ius pontificium*, 1924, 83. — (2) Eichmann, *Das Strafgezetz*, p. 38. — Sole, *in h. c.*, n. 24, 2.

aliae infantes iudicio criminali subiciunt, aliae ab eo eximunt. Sed ab aliquot annis magis praevalet mos specialia tribunalia minoribus vel saltem pueris erigendi. — Pueris assimulandi sunt omnes adulti qui ob morbum vel ex defectu educationis non sunt, saltem quod ad moralem vitam, satis evoluti.

2° Ignorantia *involuntaria* ipsius legis (c. **2202**, § 1).

At ignorantia iuris non praesumitur (c. 2202, § 2 ; R. I. 13 in VI°) et nocet.

Fides tamen facilius adhibebitur suam ignorantiam asserenti minori, mulieri, rudi (Cf. Reiffenstuel, *Ius. can. univ.*, in R. I. 13 in VI°), non autem, ut olim, omni militi.

3° Casus fortuitus, si stricto sensu habetur i. e. praevisionem vere fugerit vel praevisus averti non potuerit (c. **2203**, § 2).

4° « Vis physica quae omnem adimit agendi facultatem » (c. **2205**, § 1).

Qui « per coactionem astrictus » actum ponit, « magis pati quam agere convincitur » (c. 5, *de his quae vis metusve causa fiunt*, X, I, 40).

5° *Si agatur de lege mere ecclesiastica,* metus etiam relative gravis, necessitas et grave incommodum, saltem plerumque (c. 2205, §§ 2. 3).

a) Metus *etiam relative gravis.*

Metus *absolute* gravis est qui in virum constantem cadit et oritur ob magnum et imminens malum quod vitari nequit ; *relative* gravis est, si determinatae personae malum grave apparet (Cf. *Epitome*, I, 74).

Metus quoque gravis habetur etiam si malum non immediate agenti, sed personis cum eo arcto vinculo coniunctis immineat, sc. ex c. 3, *de sent. excommunic.*, X, V, 39 coniugi, parentibus, filiis, fratribus et sororibus.

b) Necessitas, i. e. maximum detrimentum quod vitari nequit, nisi lege violata.

c) *Immo* grave incommodum (c. 2205, § 2).

Istud autem pro gravitate legis vel damni existimandum est.

Quamvis lex humana nequeat cum nimio incommodo obligare, iuridica delicti suppressio propter causas n. 5 indicatas, propria est legis ecclesiasticae.

Etiamsi de lege mere ecclesiastica agatur, non tollitur, sed minuitur delictum, « si actus... vergat in contemptum ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum » (ibid. § 3).

Quare non excusatur necessitate vel incommodo qui ad duellum provocatur (c. 2351) aut si quis ministellum acatholicum adeat ad matrimonium celebrandum (c. 2319, § 1, 1°).

6° *Causa legitimae* tutelae (ibid. § 4).

Ut delictum ob hanc rationem tollatur, condiciones sunt : iniusta invasio, modus se defendendi invasioni proportionatus, defensio in continenti adhibita ; secus tutela iusta non est vel debitum moderamen non servatur.

Extenditur legitima tutela ad casum quo alius contra iniustam

aggressionem defenditur ; et cruenta defensio admittitur, non tantum si ipsa vita, sed etiam si bona magni momenti invadantur. Ita saltem secundum sententiam multorum Doctorum (Cf. SCHMALZGRUEBER, *Ius eccles. univ.*, V, 12, n. 65).

Exemplum. Qui clericum, etiam in dignitate constitutum, a quo iniuste invadatur, plagis affecerit, delictum violati privilegii canonis non admittat (c. 2343. Cf. *Epitome*, I, 193).

7° **Passio**, « si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat » (**c. 2206**).

Excusatur, saltem in foro externo, v. g. ab excommunicatione « qui in clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter inventum, manus violentas iniciat » (c. 3, *de sent. excomm.*, X, V, 39), etiam si fines moderatae tutelae praetergrediatur. Censetur enim tam probroso facinore adeo commotus, ut iam sui compos non manserit.

390. - II. *De causis quae minuunt delictum.*

Delictum minuunt :

1° **Ebrietas**, etiam voluntaria, « nisi tamen... apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita sit... Idem dicatur de aliis similibus mentis perturbationibus » (**c. 2201**, § 3).

2° **Debilitas mentis** (c. 2201, § 4).

Debiles mente seu imbecilles dicuntur qui sive ob aetatem (senes decrepiti, impuberes septennio proximi) sive ex infirmitate nervorum (neurasthenici, psychasthenici) nondum aut iam non plene sui compotes sunt. Posterioribus accensendi sunt qui continuis et magnis scrupulis anguntur, vanis timoribus saepe percelluntur, facillime animo perturbantur (phobies), etc.

3° **Ignorantia** culpabilis *legis* vel *facti* eo magis minuit delictum quo minus est voluntaria (**c. 2202**, § 1) ; item ignorantia solius poenae (ibid. § 2). Idem valet de inadvertentia et de errore.

4° **Culpa** ex omissione diligentiae debitae (**c. 2203**, § 1).

Prudentis iudicis erit imminutionem imputabilitatis determinare ; eo minor haec erit quo maior cura necessaria erat ad praevidendum effectum et cautiones adhibendas. Exemplum classicum est parentum, ac praesertim matris, qui puerum in lecto per somnum opprimunt (c. 7, *de paenit. et remiss.*. X, V, 38).

5° **Minor aetas**, nisi aliud constet (**c. 2204**).

6° **Metus** gravis, necessitas, grave **incommodum**, « si actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum » (**c. 2205**, §§ 2, 3).

7° *Causa legitimae* tutelae, ubi fines moderaminis iusti non fuerint servati, et *causa provocationis* (ibid., § 4).

Quare magis culpanda est provocatio ad duellum quam acceptatio, etsi utraque eadem poena lege sancitur.

8° **Passio** *antecedens,* quo magis usum rationis perturbat (**c. 2206**).

Passio antecedens ea est quae *ante actum* in anima *sponte* oritur, per oppositionem ei quae ex ipsa actione vel deliberate ante eam excitatur.

391. - III. *De causis quae dolum augent.*

Augent delictum :

1° Passio deliberate excitata et nutrita (c. **2206**).

Auget enim voluntarium et, cum effectus malus praevideatur, voluntatem malo magis deditam indicat.

2° *Maior* dignitas rei, quia *scandalum* auget (c. **2207**. Cf. cc. 2196. 2218).

Quare clerici maiore quam laici poena ob eandem legis violationem saepius puniuntur, v. g. blasphemantes vel peierantes (c. 2323) ; bona ecclesiastica usurpantes (c. 2346) ; rei homicidii vel quorundam delictorum contra bona vel bonos mores (c. 2354) ; rei delicti contra sextum mandatum (cc. 2357. 2358 ; etc.)

3° *Maior* dignitas personae offensae. *Damnum* enim maius est (c. 2207, 1° ; 2196).

Poenae contra eos qui violentas manus in clericos iniecerint pro dignitate offensae personae quattuor gradibus diversis determinantur (c. 2343).

4° Abusus auctoritatis vel officii ad delictum patrandum (c. 2207, 2°).

Delicta huius speciei cum suis poenis in tit. XIX (cc. 2404-2414) recensentur.

5° Repetitio delicti ex pertinaci voluntate.

Etsi magis reus est qui deliquerit pluries etiam in diverso genere (c. **2208**, § 2), recidivus, sensu iuris, « est qui post condemnationem rursus committit delictum eiusdem generis et in talibus rerum ac praesertim temporis adiunctis ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter conici possit » (ibid., § 1).

Gravius punitur qui iam punitus taxas consuetas iterum auxerit (c. 2408) ; Superiorissa, quae iam monita quia libertatem confitendi suis subditis minuit, iterum deliquerit (c. 2414). Contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem proceditur primo monitione (c. 2182), dein correptione et congrua poena (c. 2183), postremo privatione beneficii (cc. 2184. 2185). Iuxta c. 2311 vigilantia in recidivos aliis poenis ad eas augendas addi potest.

392. - *De participatione in eodem delicto* seu de complicitate (c. **2209**).

1. Complicitas habetur cum idem delictum patratur a pluribus qui in illud concurrunt sive *formaliter*, per intentionem, delicti, sive *materialiter* per solam actionem exteriorem.

Cooperatio est *mere materialis*, quando cooperator ignorans vel absolute coactus in actionem concurrit ; *mere formalis*, si actioni externae nullo modo concurrit. Porro delicta alia sine cooperatione perfici nequeunt, sive ex sua notione, v. g. adulterium, simonia, etc., sive ob adiuncta, v. g. ex difficultate negotii, ut quidam raptus ; alia sine cooperatione fieri possunt, sed cum auxilio facilius perpetrantur. — Tandem iuvat distinguere ab alia cooperationem materialem vel formalem, sed improprie dictam, quae delicto iam perfecto adhibetur. Cooperatione mere materiali vel permissione delicti quod quis impedire moraliter non debebat, delictum numquam constituitur.

2. Concurrentes aliter ab aliis scriptoribus dividuntur. Stricte

distinguendi videntur *exsecutores*, qui libere ipsam actionem delicti ponunt ; *cooperatores* qui delicto perpetrando auxilium morale, necessarium vel utile, praestant aut illud *culpabiliter* non impediunt ; et *fautores* qui, perfecto delicto, delinquenti favorem moralem vel auxilium materiale praestant.

Codex dividit participes delicti in duas classes, pro maiore minoreve *efficacia* cooperationis. Ad primam classem pertinent qui in delicto exsequendo communi consilio simul et actione concurrunt et ii qui influxu, sive morali sive morali et physico *necessario* cooperantur (c. **2209**, §§ 1-3) ; ad alteram classem qui sua complicitate delictum *facilius* reddunt, culpabiliter non impediunt, aut iam perfectum, sive moraliter sive moraliter et physice tuentur (c. 2209, §§ 4-7). Priores correos principales, posteriores accessorios recte vocaveris (cf. Lega, *o. c.*, n. 51).

Quare correi principales obligatione tenentur in solidum expensas et damna resarciendi (c. 2211) ; poenam incurrunt, etiam si cum impubero in delictum concurrerint (c. 2230), vel si exsecutor delicti tantum in lege nominatur, nisi lex contrarium expresse caverit (c. 2231). — Exemplo sint qui abortum fieri iusserint vel pharmacum necessarium praestiterint (c. 2350, § 1) ; qui suffragium necessarium dederint pro lege qua prohibentur beneficiarii fructus beneficii percipere (c. 2346), etc.

393. - *De imputabilitate complicitatis.*

1. Imputabilitas *praesumitur* eadem atque *exsecutoris* in cooperatore principali ; minor in cooperatore accessorio ; saepe nulla in simplici fautore. — Potest tamen ex *adiunctis* imputabilitas in uno maior, in alio minor esse, v. g. ob ignorantiam damni secuturi, ob abusum potestatis, etc. quae omnia prudenti iudici consideranda sunt. Quare dicit c. 2209, § 3 « non minorem, *ceteris paribus*, imputabilitatem contrahunt ».

2. Cooperatio moralis *principalis* oritur ex praecepto, mandato, consilio, precibus, pretio dato, laudibus, promisso favore. Mandans seu qui praecipit, ut delictum suo nomine ponatur, verius principalis *auctor* a Codice nominatur quam cooperator (c. 2209, § 3).

3. Imputabilitatem tollit *retractatio* opportuna et plena sui in delictum influxus, minuit tantum retractatio quae non fuerit plena seu, quod ad auxilium praestitum attinet, non plene efficax (ibid., § 4).

Casus erit eius qui postquam modum abortus procurandi docuerit, consilium inefficaciter retractat, qui vulnus letale a se inflictum frustra sanare conatur, etc.

4. Imputabilitas neglectae diligentiae ex officio debitae ad delictum impediendum, ex gradu ipsius obligationis est definienda (c. 2209, § 6).

5. *Favor* delicto iam absoluto praestitus imputabilitate criminali, i. e. fori externi, delicti vacat, nisi de hoc favore ante delictum convene-

rit. Sed quandoque lege poenali *explicite* sancitur, quo casu speciale per se delictum constituit (**c. 2209**, § 7).

Delictum est favor excommunicato vitando *in delicto* criminoso praestitus (c. 2338, § 2); item facultas officia divina celebrandi concessa clericis excommunicatis, suspensis, etc. (ibid., § 3).

394. - *De effectibus delicti.*

Effectus diversi sunt prout delictum aliis damnosum vel innocuum est.

1. Ex delicto publico oritur semper actio poenalis « ad poenam declarandam vel infligendam et ad satisfactionem petendam ». Haec actio procedit ad normam c. 1933, ss. (**c. 2210**, § 1, 1°). — Si cui delinquens damnum intulerit, oritur actio civilis ad reparanda damna. Haec explicatur ad normam c. 1552, ss. (ibid., 2°). Etsi persona laesa directe coram tribunali contentiose agere potest, iudex qui causam criminalem cognoscit, ex conexione causarum, ad cognoscendam causam contentiosam competens est (cc. 2210, § 2; 1567).

2. Auctores et cooperatores principales delicti obligatione reficiendi damna in solidum tenentur, licet a iudice pro rata damnati (**c. 2211**).

Is enim qui toti damno sponte cooperatus est vel auxilium praestitit necessarium, totius delicti reus est.

TITULUS III

DE CONATU DELICTI

(cc. 2212-2213)

Scriptores: Hollweck, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 7. — Lega, *De delictis et poenis*, nn. 24-26. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI, nn. 21-34. — Eichmann, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — Sole, *Commentarium de delictis et poenis*, in h. cc.

395. - Titulus duobus canonibus absolvitur, quibus notio obiectiva (c. 2212) et imputabilitas (c. 2213) conatus delicti definiuntur.

396. - 1. Delictum est *perfectum*, ubi violatio legis poenalis est *consummata*; *imperfectum*, ubi violatio non perficitur, etsi reus cum mala intentione quosdam saltem actus ad violationem legis aptos posuerit.

2. Delictum duplici modo imperfectum manet, sive quia series actionum quibus constituitur, fuit interrupta vel non plane executioni mandata, sive quia, positis omnibus actibus delicto perficiendo aptis, effectus ob felicem casum non est obtentus. In priore casu habe-

tur conatus delicti stricte dictus *(tentative)*, in altero, delictum frustratum *(délit manqué)* (1).

3. *Definitiones.* Conatus delicti stricte dictus habetur si quis « actus posuerit vel praetermiserit qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, sive quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum perficere non potuit » (c. 2212, § 1).

Ut habeatur *conatus delicti*, debet medium adhibitum aliquam saltem ad malum effectum aptitudinem habere : secus, cum nihil mali *externe* factum sit, ne inchoatio quidem delicti adest. Ita deest conatus delicti, si quis specie deceptus saccharum pro veneno ad mortem procurandam apposuerit.

Delictum frustratum vero adest, « cum omnes actus positi vel omissi sunt qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt et ad delictum perficiendum sufficiunt, si ex alia causa, praeter voluntatem agentis, effectum sortiti non sint » (ibid., § 2).

Exemplo res illustretur : Si quis ad auferendum ciborium, ianuam tabernaculi frangere mere coepit, conatum furti sacrilegi fecit ; si repertum ciborium auferebat, sed in exitu deprehensus relinquere coactus est, delictum furti sacrilegi est frustratum.

4. Iussio, mandatum, consilium, favor, quibus aliquis alium ad delinquendum inducere studuerit, sed inefficaciter, dicuntur conatui delicti accedere, sed puniri non possunt, nisi ratione magni scandali (ibid., § 3).

5. « Si conatus delicti peculiari poena in lege mulctetur, verum constituit delictum » (ibid., § 4).

Exemplum classicum est conatus duelli ; puniuntur enim excommunicatione latae sententiae (2) provocatio vel acceptatio, etiamsi ad effectum non pervenerint (c. 2351, § 1).

397. - *De imputabilitate conatus delicti* (c. 2213).

Dum *moralis* imputabilitas conatus delicti interdum eadem est ac delicti, cum actus exterior per se *moralitatem* non addat, *criminalis* imputabilitas conatus delicti semper minor est quam delicti (c. 2213, § 1).

Maior est in delicto frustrato quam in simplici conatu, atque in isto, eo maior quo magis accessit ad consummationem delicti (ibid., §§ 1. 2). Vacat omni imputabilitate, si duae condiciones simul concurrunt : 1° retractatio spontanea malae voluntatis ; 2° absentia omnis damni et scandali.

Si quis ob conatum delicti poenam l. s. iam contraxerit, etiamsi sponte a mala voluntate recedat et nullum damnum vel scandalum adfuerit, poena l. s. non cessabit ; eius vero actio poenis f. s. a iudice sanciri non poterit (Cf. cc. 2236. 2248).

---

(1) Cf. CARRARA, F., *Cours de droit criminel*, § 349, ss.

(2) Haec verba plerumque signo l. s. reddemus.

Si actus non perficitur quia irritus ab Ecclesia redditur, ipsa attentatio non est conatus delicti, sed delictum. Haec enim attentatio lege poenali prohibetur et qua talis consummata est (Cf. WERNZ, *o. c.* n. 34).

Ita punitur ipsa attentatio etiam mere civilis matrimonii a clerico in sacris constituto vel a religioso sollemniter professo (c. 2388).

PARS SECUNDA - DE POENIS

398. - Postquam de obiecto poenarum in genere actum est, ordine logico de poenis in genere (Sectio I. cc. 2214-2240) et in specie (Sectio II. cc. 2241-2313) normae proponendae sunt, quibus non plene expositis, impossibile sit applicationem singularum poenarum ad singula delicta intellegere.

SECTIO I - DE POENIS IN GENERE

399. - **Ordo Codicis.** Sectio prima constat canone introductorio de iure puniendi in Ecclesia (c. 2214) et quattuor titulis, quibus definiuntur plenissima notio ipsius poenae ecclesiasticae (cc. 2215-2219) ; Superior competens ad puniendum (cc. 2220-2225) ; subiectum potestati coactivae obnoxium (cc. 2226-2235) et modi quibus poenae relaxantur (cc. 2236-2240).

INTRODUCTIO. - DE POTESTATE COACTIVA ECCLESIAE (c. 2214)

Scriptores : CAVAGNIS, Card., *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, I, n. 277, ss. — CHOUPIN, L., *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège*, ad prop. damn. Syll. 24. Appendice I. — HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze*, Einleitung, XXVI, ss. — LEGA, *De delictis et poenis*, n. 8, ss. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, V, n. 75, ss. — EICHMANN, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. c. — SOLE, *Commentarium de delictis et poenis*, in h. c.

400. - *De potestate Ecclesiae infligendi poenas.*

In canone **2214**, § 1, duo principia magni momenti asseruntur : 1° Potestas infligendi poenas est in Ecclesia *ius nativum* et *proprium*, independens a qualibet humana auctoritate ; 2° Ecclesia delinquentes sibi subditos coercere potest *poenis* etiam *temporalibus*.

1. Quod Ecclesia ius nativum, i. e. a divino Fundatore collatum et proprium seu ab alia potestate non mutuatum et a qualibet potestate independens, possidet « devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi » (1), est *doctrina fidei.*

Id eruitur ex textibus N. T., quibus Christus Ecclesiae potestatem facit coercendi sub poena excommunicationis subditos contumaces (Matth. XVIII, 15) et ex plenissima iurisdictione Petro et Apostolis collata ; dein ex constanti Patrum et RR. Pontificum doctrina (2), ex damnationibus Marsilii Patavini

(1) PIUS VI, C. *Auctorem fidei* propr. 5. DENZINGER, n. 1505.

(2) Cf. praesertim PIUS IX, Ep. encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864. DENZINGER n. 1697. — *Syllabus errorum*, prop. 24. — LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

et Ioa. de Ianduno (1) et ex damnatis propositionibus 4 et 5 Synodi Pistoriensis (2). Neque de hac re inter catholicos ulla controversia exsistit.

2. Competere Ecclesiae ius *proprium* coercendi subditos poenis temporalibus est doctrina communissima Doctorum. Nituntur autem his argumentis : ius istud a multis RR. Pontificibus et a pluribus Conciliis asseritur ; videtur fluere e natura Ecclesiae, quae societas hominum est ; confirmatur praxi quasi perpetua Ecclesiae, quae in usu tam continuo suae iurisdictionis errare non potest.

Ecclesiam hoc ius ex quadam historica evolutione vel ex principum concessione acquisivisse asseruerunt recentes quidam scriptores (3), quorum doctrinae P. Vermeersch notam theologicam inurendam negat (4). Nobis videtur potestatem *directam et immediatam* infligendi poenas temporales documentis pontificiis ita asseri, ut erronea sit sententia contraria. Attamen tuto negari potest ius Ecclesiae inferendi poenas corporales *irreparabiles*, ut mutilationem et mortem. Etenim Ecclesia tali iure numquam usa est; Patres et RR. Pontifices illud Ecclesiae numquam vindicarunt, immo haud semel negarunt vel negare visi sunt (5).

401. - *De usu et fine potestatis coercitivae.*

Supremus Legislator, exscriptis pulcherrimis verbis Conc. Tridentini, S. XIII, de ref. c. 1, in memoriam Pastorum revocat fideles omni qua possint caritate et diligentia a delictis committendis esse deterrendos ; delinquentes prius instanti exhortatione quam poenis esse reducendos ; « sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris et necessaria, conservetur, et qui correcti fuerint, emendentur, aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur » (c. **2214**, § 2).

Simul hoc textu docemur triplicem finem quem Ecclesia usu potestatis coercitivae persequitur, sc. effectum salutarem oriundum ex conservatione disciplinae seu ordinis socialis, ex emendatione rei et ex reparatione scandali. Nam sive emendetur reus, quod Ecclesia semper intendit, sive non, oportet poenis inflictis alios fideles a delictis deterrere. Praeterea certis poenis reo subtrahitur, sive in perpetuum sive ad tempus, possibilitas saltem quaedam delicta committendi.

Card. Lega, (*o. c.*, nn. 11. 17. 59. 68) nimis forte extollit finem individualem poenae ecclesiasticae, sc. emendationem rei. Ecclesia enim, etsi ad salutem animarum est instituta, quia tamen institutum *sociale* est, primo ac per se propter

(1) Denzinger, n. 499.
(2) Denzinger, nn. 1504. 1505.
(3) Vacandard, *L'Inquisition*, p. 304, contra quem scribit Choupin, *o. c.* praesertim in Appendice I.
(4) Cf. Vermeersch, S. I., *La tolérance*, p. 67, ss.
(5) Cf. Vermeersch, *La tolérance*, p. 81, ss. et *Études religieuses*, t. 128, p. 433, ss. — Y. de la Brière, S. I., in *Études religieuses*, t. 129, p. 857, ss.

totum, non propter singulas partes exsistit. Quare, etiam si nulla spes emendationis adsit vel e contra, reus iam plene sit emendatus, ratio etiam manet cur, in certis saltem casibus, poena infligatur vel non condonetur, sc. ad exemplum aliorum.

TITULUS IV

DE POENARUM NOTIONE, SPECIEBUS, INTERPRETATIONE ATQUE APPLICATIONE

(cc. 2215-2219).

Scriptores : D'ANNIBALE, *Summula*, I, 300, ss. — HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze*, §§ 20-221. — LEGA, *De delictis et poenis*, nn. 66-95. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, VI, nn. 72-85. — EICHMANN, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — SOLE, *Commentarium de delictis et poenis*, in h. cc.

402. - **Ordo dicendi** in ipso titulo distincte proponitur, ita ut singulis tituli partibus unus canon tribuatur, exceptis speciebus delicti, quae duobus canonibus explicantur.

403. - *Definitio poenae.* « **Poena ecclesiastica** est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta » (**c. 2215**).

Non omnis **privatio boni** poena est, sed illa tantum quae saltem in delicti punitionem infligitur.

Quare poenae non sunt : coactio ad actum ponendum, reparatio damni illati, poena mere conventionalis, impensae iudicii, solutio cautionis.

Bona quibus Ecclesia subditos delinquentes privat, sunt iura quae Christus instituit et ipsa procurat, vel quae ipsa primo concedit, vel saltem lege sua tuetur.

Prima sunt v. g. sacramenta, participatio sacrificii, etc. ; secunda, indulgentiae, patronatus, etc. ; tertia, libertas, fama, bona temporalia, etc. Quae ab Ecclesia nullo modo communicantur aut attingi possunt, uti gratia et merita, ab ea neque possunt auferri.

Omnis poena intendit delicti **punitionem** seu restitutionem ordinis socialis violati, sed Ecclesia plerumque in puniendo ab **emendatione** rei non abstrahit.

Sola **auctoritas legitima** poenas infligere potest ; qui vero potestate destituuntur, reparationem tantum iurium vel exsecutionem conventionis exigere possunt.

404. - *Divisiones.* Poenae ecclesiasticae dividuntur :

1° *Ratione* finis : in *censuras*, *poenas vindicativas*, *remedia poenalia* et *paenitentias* (**c. 2216**).

Censurae emendationem delinquentis, poenae vindicativae expiationem delicti

primario intendunt ; remedia poenalia ad vitandum delictum, paenitentiae ad poenam effugiendam vel tollendam infliguntur. Sed de his fusius sub propriis titulis.

2° *Ratione* taxationis a potestate ecclesiastica, in poenas *determinatas* et *indeterminatas* (c. **2217**, § 1, 1°).

Aliae enim sunt ipsa lege vel praecepto *taxative determinatae*, aliae prudenti iudicis vel Superioris *arbitrio* relinquuntur. Lex mox iudici officium puniendi imponit, mox ipsi facultatem facit (cc. 2391, § 2 ; 2361. 2405. 2406, § 2).

Secus atque iudices saeculares, qui iurisdictionem iudicialem tantum possident, iudices ordinarii Ecclesiae plena iurisdictione fori externi seu imperio muniuntur, poenas propria auctoritate infligere et poenas indeterminate statutas pressius definire possunt. — Omnes poenae *l. s.*, sunt determinatae : et planum est, cum incurrant in reum sine sententia iudiciali ; quae *ferendae sententiae* sunt, aliae sunt determinatae (v. g. cc. 2379. 2381. 2394, 3°), aliae indeterminatae (v. g. cc. 2411. 2412). — Quando sunt indeterminatae, praecipitur vel consilium datur iudici ut puniat pro gravitate delicti. Poenam lege determinatam iudex imminuere, immo non infligere interdum potest. Quandonam ita agere possit, docemur c. 2223. Cf. infra n. 412.

2° Ratione modi quo infliguntur, in poenas *latae sententiae* (*l. s.*) et *ferendae sententiae* (*f. s.*) (c. 2217, 2°).

Poena *l. s.* ita est addita legi vel praecepto ut incurratur ipso facto commissi delicti ; poena *f. s.* incurritur mediante actu seu sententia iudicis.

Etsi reus, consummato delicto, poena *l. s.*, in utroque foro statim teneatur, eam non semper observare debet ante sententiam delicti declaratoriam, ut dicetur ad c. 2232, infra, n. 426.

405. - *De opportunitate poenarum l. s.*

In societate quae ad sanctificationem hominum instituta est, non ea semper graviora sunt delicta quae *iuribus* aliorum hominum nocent quaeve facilius publica fiunt. Ita v. g. sacrilegus abusus specierum consecratarum, lectio librorum ab haereticis ad defendendam haeresim conscriptorum, absolutio complicis, plurimum sanctitati societatis christianae nocent, quin ullius iura violent.

Praeterea cum Ecclesia, pro fine suo spirituali conscientiam magis directe ligare possit et soleat, sic ad poenas quasdam obligat immediate, dum tamen culpa sit semper actus externus. Quare decet, nedum repugnet, ut fideles ac praesertim ministros suos a gravioribus quibusdam delictis deterreat, ea sanciendo poenis quas reus, etiam occultus, effugere nequeat.

406. - 4° Ratione auctoris in poenas *a iure* et *ab homine*, (c. 2217, § 1, 3°), prout *ex lege* vel *ex praecepto* communi aut ex praecepto particulari vel *sententia* ortum habent.

Poena est a iure quae per modum *statuti* seu in ipsa lege statuitur, sive l. s., sive f. s. sit ; ab homine, « si feratur per modum *praecepti*

peculiaris », seu personalis, « vel per sententiam iudicialem *condemnatoriam* », quae ab ipso iudice infligitur, « etsi in iure statuta ».

Definitio censurae *ab homine* in Codice veram difficultatem movet. 1° Mentio praecepti *peculiaris* opponiturne praeceptis *communibus*, de quibus nulla mentio est in Codice, etsi canonistae multum disputarent num censura praecepto *communi* lata dicenda foret *a iure* an *ab homine* ? 2° censura *l. s.* praecepto peculiari addita, postquam admissa est, estne *ab homine* ? Negat cl. MICHIELS. O. C. Cuius praecipua argumenta haec sunt : a) Codex opponit censuras *l. s.* censuris ab homine (c. 2244) ; b) dum omnis censura *ab homine* est reservata, censura *l. s.* non est reservata, nisi in praecepto id expresse dicatur (c. 2245, § 4) : c) videntur solae censurae *inflictae*, i. e. actu irrogatae, esse ab homine, ex collatis can. 2217, § 1, 3°, 2244, § 3, 2245, § 2. (1).

Quae sententia, etsi bonis argumentis nixa, valde incerta videtur. Etenim : a) opponitur fere communi sententiae canonistarum ante Codicem (2) ; b) verbum *infligere* de censura *l. s.* in Codice, c. 2225 adhibetur, et a scriptoribus, quos Codex in hoc libro pressius sequitur (3) ; c) facit censuram *l. s.* praecepto peculiari, postquam admissa fuerit, *quasi a iure*, quod ipsi Codici, nedum communiori sententiae canonistarum contradicere videtur (cf. c. 2253). Quare censuram *l. s.* praecepto peculiari additam etiam post delictum prorsus occultum admissam, *ab homine* esse censemus.

Decretum latum d. 24 oct. 1922 a *S. C. C.* contra sacerdotem G. G. eiusque fautores exemplum praebet excommunicationis l. s. ab homine, praecepto particulari et praecepto communi inflictae (4).

« Quare poena f. s., *legi* addita, ante sententiam condemnatoriam est *a iure* tantum, postea *a iure* simul *et ab homine*, sed consideratur tamquam *ab homine*. » (c. **2217**, 3°).

Notandum est poenam sententia *declaratoria* delicti numquam produci. sed iuridice *manifestari* ; a momento enim delicti consummati poena exsistebat, etiamsi ob adiuncta infra declarata non erat observanda. — Postquam poena est inflicta, si f. s. est, simul est ab homine ; si est l. s., videndum est utrum procedat a lege vel praecepto communi, aut a praecepto particulari. Haec magni sunt momenti pro absolutione censurarum.

407. - *Quomodonam poenae l. s. a poenis f. s. discernuntur ?*

« Poena intelligitur semper f. s., nisi expresse dicatur eam esse *l. s.* vel *ipso facto* seu *ipso iure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur » (c. 2217, 2°).

Quia, ut statim dicetur, « in poenis benignior interpretatio est facienda », legislator non est censendus ipse sine delicti declaratione vel condemnatione iudiciali punire, nisi id expresse et liquido dicat. Censetur enim alloqui iudicem, cuius est poenas infligere, non reum, cuius est eas pati, quotiens contrarium non clare patet aut non apparet ipsum legislatorem munere iudicis fungi. Tandem quaedam poenae interventum iudicis necessario requirunt, ut sunt depositio et degradatio. — Codex autem quaedam verba ad exemplum, non taxative, proponit quibus poena l. s. esse certo intellegitur.

(1) Cf. MICHIELS, O. C., *De reservatione censurae*, etc. in *Ephem. th. Lov.*, 1927, 180, n. 613, ss.

(2) Cf. WERNZ, *Ius Decretalium*, VI, n. 146, 3. — LEGA, *De delictis et poenis*, ed. altera, n. 130 et scriptores a MICHIELS allatos.

(3) Cf. WERNZ, *l. c.* — HOLLWECK, *Die kirchl. Strafg.*, §§ 23. 35.

(4) AAS., XIV, 1922, 495.

408. - Quare : 1° Poena est *certo l. s.*, si :

a) Adhibentur ipsa verba : *l. s. ; ipso facto ; ipso iure ;* (c. 2217). vel similia, ut sunt : *eo ipso* privatus exsistat (c. 2365) ;

b) Legislator proprio nomine loquitur : *excommunicamus, suspendimus*, etc. His verbis utitur Pius X in C. *Vacante sede apost.* n. 82, addita clarissima voce : *ex nunc.*

In exemplo supra, n. 406 allato, excommunicatio in fautores sacerdotis G. G. decreta, dicenda est *latae sententiae*, quia ipsa S. Congregatio eam *infligit*... « *contrahendam* quoque ab iis qui communicaverint ». Praeterea dicitur reservata speciali modo S. Sedi ; iudex inferior censuram S. Sedi reservatam declarare potest, non infligere.

c) Legislator reum tamquam *condemnatum* alloquitur : *sciat, noverit* se esse excommunicatum, etc., vel de ipso tamquam punito loquitur : v. g. « *habeatur tamquam excommunicatus* » (cf. c. 2353) ; *excommunicatio tenet* (c. 2388, § 2). Verba « *maneat excommunicatus* » clare supponunt poenam esse inflictam ; quare poenam l. s. designant. Verba « *subiaceat excommunicationi* » poenam l. s. indicant, tum ob vim passivam verbi *subiacere*, quod ad reum dirigitur, tum ob modum quo in quibusdam casibus reservatur. Poena enim ferendae sententiae ab ipso iudice vel Superiore alii Superiori reservari non potest. Etsi R. Pontifex contrarium relate ad paucas poenas statuere potest, haec innovatio sine valido argumento, quod nobis deesse videtur, non est admittenda. Huic interpretationi non obstat quod Codex interdum sic loquatur : « subiaceat ipso facto » (c. 2343, § 4) vel « subiaceant exc. l. s. » (c. 2345).

2° Poena est *certo f. s.*, si :

a) Legislator iubet poenas irrogari, v. g. *excommunicetur, suspendatur* (cfr. cc. 2315. 2321. 2328, etc.).

b) Lex poenam *comminatur*, i. e. prohibet actum sub poena, etiam determinata. *Per se* enim poena a iudice est irroganda. Cf. v. g. C. *Vacante Sede apost.*, n. 80 « ... sub excommunicationis poena prohibemus, ne quis... decernere praesumat ».

c) Quando lex utitur verbis imperativi modi, quae non afficiunt ipsam poenam, sed reatum poenae, v. g. qui hoc fecerit, *reatum* talis poenae incurrat.

Sed haec verba in Codice non reperiuntur.

3° *Controversia* erat de verbis imperativis legis quae ipsum reum immediate afficiunt, uti sunt v. g. : *sit excommunicatus, subiaceat interdicto, incurrant excommunicationem.*

Alii, inter quos Abbas (i. e. Panormitanus) (in c. Quia in omnibus, n. 9, *de Usuris*), poenam l. s. exprimi sentiebant, quia verba non sunt de actione iudicis, nec de poenae reatu ; alii, quorum Navarrus (*Manuale*, c. 27, n. 12), poenam f. s. exprimi dicebant, quia sic Glossa pluries habet, quia tempus futurum indicatur et in dubio benignior interpretatio sumenda est (cf. Reiffenstuel, *Ius. can. univ.*, I, t. 2 n. 208 et ss.). Quid nunc de verbo « subiaceat » dicendum, cf. supra sub 1°.

4° Quid dicendum ubi Codex verba « *manet excommunicatio* » adhibet, ut in c. 2369, § 1 ? Per se poena f. s. infligitur ; « manet » enim futurum tempus indicare potest et ministerium iudicis tali verbo non clare excluditur, quod vi c. 2217, § 2 de poena l. s. omnino requiritur. Attamen quando poena quae « reum manere » dicitur, simul declaratur reservata, intellegenda est latae sententiae, quia ab omni usu forensi alienum est ut Superiori iudicis reservetur absolutio censurae quae a iudice infligitur. — Argumentum ex indice Codicis afferre nolumus, cum non sit authenticus et in opus ceterum praeclarum error de re controversa irrepere potuerit.

409. - *De applicatione poenarum.*

Hic traduntur principia generalia quorum applicationes proponentur, ubi de Superiore potestatem coactivam habente agetur.

1° Proportio debet exsistere inter poenam et delictum (c. **2218**, § 1).

Proportio iam servatur a Legislatore in taxandis poenis pro singulis delictis. At iudex poenam etiam in lege determinatam temperare potest, si id adiuncta suadeant (c. 2223, § 3). Potestate autem hic facta Superiores praesertim uti debent quando quantitas poenae vel ipsa eius inflictio eorum prudenti arbitrio committuntur (cf. cc. 2329. 2346, etc.).

Ad aestimandam autem gravitatem delicti tria sunt consideranda : imputabilitas, scandalum, damnum.

Quod ad *imputabilitatem* plura elementa subiectivum momentum habent : aetas, scientia, institutio, sexus, conditio, status mentis delinquentis. Adde passionem vel metum. *Scandalum* determinant dignitas personae delinquentis vel offensae, locus et tempus quibus delictum commissum est, praesentia vel absentia testium. Consideranda quoque sunt pertinacia vel dolor post admissum delictum.

2° Quidquid a *gravi imputabilitate* excusat, pariter a *qualibet poena* excusat, « etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur » (ibid. § 2).

At supra (n. 388) dictum est dolum praesumi ubi adest externa legis violatio.

3° « Mutua iniuria compensatur, nisi una pars propter maiorem iniuriae ab eadem illatae gravitatem damnari debeat, deminuta, si casus ferat, poena » (ibid. § 3).

410. - *De interpretatione poenarum.*

1. « In poenis benignior est interpretatio facienda » (c. **2219**, § 1).

Hoc principio quod iam in VI°, Reg. iur. 49 continetur, cum iudices, tum doctores uti debent. Quare quotiens, re diligenter inspecta, permanet *dubium* iuris vel facti, poena ordinaria seu lege determinata nec declarari neque infligi potest. — Verba vero quae *poenam* exprimunt vel *delictum* definiunt, stricte sunt accipienda (c. 19) ; hac enim parte omnis lex poenalis in materia odiosa versatur. Quare v. g. in poenis contra simoniacos intellegenda est simonia iuris divini (cf. *Epitome*, II, 13, 2, a). — Etsi lex legi derogans vel priorem abrogans strictae sit interpretationis, in dubio num lex posterior poenam anteriorem

mitiget vel abroget, mutationi favendum est (Lega, *l. c.*, n. 93). Infra, ad c. 2226, videbimus legem favorabiliorem delicto semper esse applicandam.

2. Extensivae interpretationi in poenalibus locus non datur, quod Codice confirmatur : « Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, immo gravior,... » (c. 2219, § 3).

Ceterum ita iam disponebat c. 20, agens de interpretatione legum (cf. *Epitome*, I, 68). Excipit Codex complices principaliores de quibus in c. 2209, §§ 1-3 (supra, n. 392, 2), ad normam c. 2231.

3. In dubio tamen « utrum poena, a Superiore competente inflicta, sit iusta, necne, servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo » (ibid., § 2).

Non datur appellatio in suspensivo a censura iudicialiter inflicta (c. 2243, § 1) ; datur a poenis vindicativis, « nisi aliud expresse in iure caveatur » (c. 2287).

TITULUS V

DE SUPERIORE POTESTATEM COACTIVAM HABENTE

(cc. 2220-2225)

Scriptores : d'Annibale, *Summula*, I, 306. — Hollweck, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 24. — Lega, *De delictis et poenis*, n. 107, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n. 77. 148. — Eichmann, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — Sole. *Commentarium de delictis et poenis*, in h. cc.

411. - 1. « § 1. Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere ; qui iudiciali tantum, possunt sollummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare. »

« § 2. Vicarius Generalis sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas » (**c. 2220**).

Ad legem ferendam vel praeceptum iurisdictionale requiritur iurisdictio in foro externo, ad causas iudiciales non restricta. Ex hoc canone poenas ecclesiasticas ferre possunt R. Pontifex, SS. Congregationes intra ambitum suae competentiae, Concilium oecumenicum, Ordinarii locorum, Capitulum ecclesiae cathedralis sede vacante, Vicarius Capitularis, Concilia plenaria et provincialia, Superiores religionis clericalis exemptae *etiam locales*, ad normam tamen Constitutionum, Capitula religionum exemptarum, ad normam Constitutionum. Cardinales, cum nullam in fideles sui tituli iurisdictionem habeant, et in clerum sola potestate dominativa gaudeant, poenas ecclesiasticas infligere non possunt (c. 240, § 2).

Etsi iudex, qua talis, legem tantum applicare, i. e. delicta intra fines lege statutos punire potest, decreta tamen imponere eademque, vi iuris, poenis sancire potest (cf. supra, n. 216, 2°).

2. Qui potestatem legislativam habent, etiam leges a superiore potestate latas, poenis urgere possunt vel poenas statutas aggravare (c. 2221).

Condiciones sunt : 1° ut lex suo in territorio vigeat ;

Exemptiones enim a suo Superiore concessas, v. g. quod ad festorum observationem, tollere non possunt.

2° ut pecularia rerum adiuncta adsint.

Commendatur enim Ordinariis ut poenas, sive suis legibus sive legi Superioris, non addant, nisi id ad compescenda graviora delicta opportunum vel necessarium appareat (cf. cc. 2214, § 2 ; 2247). Huc quoque referre licet quod de reservatione peccatorum cc. 897. 898. dicitur.

Si lex sanciatur censura S. Apostolicae reservata, Ordinarii aliam *censuram* sibi reservatam in *idem* delictum ferre omnino prohibentur (cf. infra c. 2247, § 1).

Quid iudex possit, dicetur c. 2223.

412. - *De exercitio potestatis coactivae.*

1. Etsi poena generatim sine praevia comminatione infligi non potest, ubi tamen reparatio scandali vel peculiaris gravitas transgressionis id ferunt, legitimus Superior reum sine comminatione punire potest (c. **2222**, § 1).

Exemplum huiusmodi poenae habetur c. 1956 et in suspensione ex informata conscientia (cf. supra, n. 373, ss.).

Etiam in hoc casu non habetur poena *sine lege*. Sed, dum in societate civili in qua variae potestates stricte separantur, numquam puniri potest violatio legis nisi poena, saltem indeterminata, lege sanciatur, in societate ecclesiastica omnino non repugnat conferri Superiori, etiam legislativam potestatem non habenti, potestatem puniendi violationem legis non poenalis scandalosam vel peculiari modo gravem (cf. supra, n. 383. 2).

Poena erit « aliqua... *iusta* », i. e. minor quam *graves* poenae in delicta iure definita statutae ; reus enim neque poenam ex antecessu cognoscere, neque se perfecte defendere potest. — Poena erit *vindicativa*. Poena enim medicinalis monitionem supponit ; praeterea si scandalum causa poenae fuerit, vindicatio delicti, non emendatio rei principaliter intenditur (1).

Etiam in hoc casu, si delictum publicum sit et iudicium sine gravi incommodo servari queat, poena extra iudicium infligenda non est. Ab eo enim servando c. 2222, § 1, Superiorem quem a monitione eximit, non dispensat.

2. Dum inflictio poenae delictum *certum* et *non praescriptum* requirit, licet legitimo Superiori clericum ab ordinibus recipiendis arcere vel promotum ab exercendis prohibere ob delictum mere probabile vel cuius actio sit praescripta. — Hae prohibitiones rationem poenae in his casibus non habent, neque ullo modo iustitiae adversantur ; Superior enim ius habet, immo officio tenetur non-promovendi clericum de cuius idoneitate non constat, et, ut scandalum vitetur, arcendi clericum

(1) Cf. Noval, O. P., *De ratione corrigendi et puniendi*, etc. in *Ius pontif.*, 1923, 36. ss.

promotum ab exercendis ordinibus. Quae sapienti communitatis regimine omnino requiruntur.

Ob hanc causam, sine praevia monitione, nec servatis iis quae de poenis infligendis praescribuntur, suspendi poterit clericus reus delicti qualificati contra VIm divinum mandatum, quod ante plures iam annos est patratum, nunc vero primum publicum factum est (cf. c. 1703, 2o).

Cum tamen huiusmodi prohibitiones famam eius cui imponuntur graviter laedere possint, illicitae erunt, nisi habeatur seria probabilitas delicti a clerico promovendo admissi, diffamatio vero quaedam, saltem imminens, ubi de clerico ad ordines promoto agitur.

413. - *De munere iudicis in erogandis poenis* (c. 2223).

1. Iudex poenam lege statutam regulariter, qualis est, *applicare* debet ; si lex determinationem vel applicationem prudenti eius arbitrio committat, ratio habenda erit imputabilitatis, scandali et damni (cf. c. 2218. Supra. n. 409).

2. *Aggravatio poenae* non permittitur, nisi ob adiuncta extraordinaria ; sed c. 2223, certis finibus, iudici committit ut etiam poenam *differat, mitiget* vel omnino *non inferat.*

Causa *differendi* poenam erit ne praepropera rei punitione maiora mala eveniant, v. g. si praevideatur clericus recursum ad civilem potestatem cum magno communitatis damno facturus, aut apud fideles et incredulos magnum scandalum procuraturus (ibid., § 3, 1°).

Poena potest *omitti,* « si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctoritate civili sancitis ; » (ibid., § 3, 2°). In hoc ultimo casu, si de clerico agatur, plerumque poena vindicativa ad reparandum scandalum erit necessaria vel saltem prohibitio oeconomica exercitii ordinum.

Mitigatio poenae suadetur : *a*) omnibus adiunctis imputabilitatem delicti *notabiliter* minuentibus, ut sunt indoles parum firma, minor aetas, aegritudines animi, passio antecedens, i. e. non voluntaria, etc. ; *b*) emendatione rei, sine tamen sufficienti scandali reparatione ; *c*) castigatione imposita a potestate civili (c. 2223, § 3, 3°).

3. Maior libertas iudici relinquitur, ubi de *poena l. s. declaranda* agitur. Nisi enim pars cuius interest, instet aut bonum commune id exigat, declaratio prudentiae iudicis committitur (ibid. § 4).

414. - *De numero poenarum.*

1. Principium generale est : « Ordinarie tot poenae quot delicta » (c. 2224, § 1. ; c. 1, *de poenis,* X, V, 37).

2. Sed cumulatio poenarum pro variis delictis possit ita esse acerba ut contra omnem aequitatem canonicam peccet. Quare legislator ecclesiasticus, leges civiles imitatus, permittit ut iudex, pro suo prudenti arbitrio, poenam omnium graviorem, immo, si casus ferat, etiam paenitentia vel remedio poenali auctam,

infligat, aut poenas ad aequos terminos moderetur : « habita ratione numeri et gravitatis delictorum » (ibid., § 2).

Ob eandem causam, si quis primo conatum delicti commiserit, dein ipsum delictum consummaverit, « infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta » (c. **2224**, § 3).

415. - *Modus declarandi* vel *infligendi poenam* varius est, prout haec est a iure vel praecepto particulari lata (c. **2225**). In priore casu requiruntur omnes formae in sententia iudiciali ferenda praescriptae (cfr. c. 1868, ss.) ; in altero, sufficit, et ordinarie requiritur ut poena declaretur vel irrogetur scripto vel coram duobus testibus, indicatis poenae causis. Ita enim de delicto et de poena illata melius constabit.

Suspensioni ex informata conscientia suae sunt normae speciales (cfr. c. 2186, ss. Supra n. 373, ss.).

TITULUS VI

DE SUBIECTO COACTIVAE POTESTATI OBNOXIO

(cc. 2226-2235)

Scriptores : D'ANNIBALE, *Summula*, I, 130. — HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 11, ss. — LEGA, *De delictis et poenis*, 91, ss. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, VI, nn. 68. 78. — EICHMANN, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — SOLE, *Commentarium de delictis et poenis*, in h. cc.

416. - **Ordo dicendi.** Sub hoc titulo plura reperiuntur quae a commentatoribus sub diversis omnino titulis exponuntur, cum aeque ad poenarum applicationem atque ad earum subiectum pertinere videantur. Non potest puniri nisi qui legi poenali est subditus (cc. 2226. 2227) et perfectum delictum (c. 2228) deliberate commisit (c. 2229). Complices principales, etiam impuberum, eadem atque adultus qui sit principalis auctor poena plectuntur (cc. 2230. 2231). Poenae positivae infamantes observandae non sunt antequam sententia (c. 2232) legitime (c. 2233) in reum lata fuerit. Repetitio delicti graviore, conatus delicti minore poena sancitur (cc. 2234. 2235).

I. Ut quis puniatur, tres condiciones requiruntur : subiectio legi, admissio delicti, imputabilitas. De his cum Codice singillatim agemus.

1. PRINCIPIUM DE BENEDICTIONE LEGI

417. - « Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur » (c. **2226**, § 1). Nemo enim punire aliquem potest qui suae iurisdictioni non subdatur.

Iam vero legibus Ecclesiae universalis tenentur omnes **fideles** *latini ritus* post septennium, ubique terrarum, nisi lex quaedam in certo territorio ex indulto speciali vel legitima consuetudine non vigeat, vel fideles exemptione fruantur. **Peregrini** vero legibus sui territorii non ligantur, nisi transgressio in suo territo-

rio noceat, ut est violatio legis residentiae ; neque tenentur legibus territorii in quo degunt, « iis exceptis quae ordini publico consulunt vel actuum sollemnia determinant » (c. 14, § 1). Cf. *Epitome*, I, n. 83. Si in quodam territorio lex universalis particulari poena sancitur, peregrinus, etsi lege tenetur, poenae non subicitur ; additio enim poenae est lex *particularis*. Excipe si poena addita sit, quia violatio legis in illo territorio ordinem publicum perturbet (1).

Vagi omnibus legibus, etiam particularibus, tenentur (c. 14, § 2).

Religiosi exempti ab Ordinario loci puniri possunt in omnibus in quibus eidem subsunt. Excipe privilegia quibus exemptio a poena etiam in his casibus conceditur (c. 619. Cf. *Epitome*, I, n. 718. ss.).

II. EXCEPTIONES

1. **Qui supremum regimen populorum habent**, aliique ad normam c. 1557, § 1 (cf. supra, n. 13, 1°) :

1° Subduntur poenis l. s. et f. s. legibus universalis Ecclesiae iure communi annexis ; « sed poena non nisi a R. Pontifice infligi aut declarari potest » (**c. 2227**, § 1).

2° Non subduntur poenis quae legibus particularibus adduntur.

Non poenis l. s., secus Ordinarius eis poenam infligeret ; nec poenis f. s., cum Ordinarius iurisdictione iudiciali in eos careat.

2. **Cardinales** « nisi expresse nominentur... sub lege poenali non comprehenduntur » (c. 2227, § 2).

Expresse nominantur c. 2332 de appellatione ad universale Concilium et c. 2397 de iureiurando post acceptam dignitatem emittendo ; praeterea in C. *Vacante Sede Apostolica.*

3. « **Episcopi** sub poenis l. s. suspensionis et interdicti » non comprehenduntur, nisi expresse nominentur (ibid.).

Episcopi suspensionem l. s. praesertim incurrunt ob criminosam ordinum collationem, v. g. sine Apostolico mandato (c. 2370), sine dimissoriis proprii Ordinarii (c. 2373, 1°).

418. - I. *De lege applicanda.*

Si delictum sub lege anteriore commissum erat, applicabitur lex anterior vel posterior, prout illa vel haec est reo favorabilior. Quare si lex vel poena lege posteriore sublata est, nulla poena irrogabitur (**c. 2226**, §§ 2. 3).

Per se nova lex est applicanda, cum sola vigeat, sed « interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam asperandae » (l. 4 *de poen.*, ff. XLVIII, 19); et durius videtur reo poenam applicare quam in committendo delicto praevidere non poterat.

Censura iam contracta, etiamsi lex mutetur, integra manet ; sola enim absolutione tolli potest.

Etsi *poena vindicativa* l. s. vel f. s. iam contracta, vi principii generalis

(1) Cf. VAN HOVE, A., *Leges quae ordini publico consulunt. — Ephem. Lovanien.*, I, 165, s.

sola expiatione vel dispensatione tolli potest (c. 2289), statim cessare videtur, si lex posterior legem vel poenam anteriorem tollat. Id enim tam expressis verbis c. 2226, § 3 continetur, in quo contrarium de solis censuris iam contractis asseritur.

419. - « Poena reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur. » (**c. 2226**, § 4.)

Cessaret v. g. morte Superioris, si ad arbitrium eius esset lata, aut resoluto eius iure, si nec scripto nec coram duobus testibus esset irrogata (cf. c. 24). Reservatio autem censurae addita extra territorium Superioris non tenet (c. 2247, § 2). Clericus irretitus excommunicatione in *statutis* suae dioecesis lata, in alio territorio eam observare debet ; sed a quolibet huius territorii confessario ab ea absolvi potest, etiam si suo Ordinario reservatur et eadem poena in loco ubi confitetur Ordinario loci reservetur. Aliud est, ut patet, si agatur de censura quae ipso *iure communi* Ordinario loci reservatur.

420. - II. *De perpetratione delicti.*

« Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis » (**c. 2228**).

Lex enim poenalis est strictae interpretationis (c. 19) et in poenis benignior interpretatio est facienda (c. 2219). Debet ergo actus esse internus et externus, uterque graviter culpabilis et idem habens obiectum, lege poenali prohibitus, et actu consummatus, saltem tamquam conatus, si lex conatum puniat. — Sed contra D'ANNIBALE (*Summula.* I, n. 305) putamus poenam contrahi, si quis percusserit Seium clericum, Osium clericum putans. Scit enim se in *hoc actu* legem poenalem violare nec identitas personae quidquam refert (c. 2343, § 4). Non plectitur vero qui, mutata voluntate vel ob adiuncta voluntati extrinseca, delictum non consummavit, ut si quae iam emerit pharmacum ad abortum sibi procurandum, eo non utatur aut si, postquam eo usa sit, abortum ob aliam causam patiatur (c. 2350, § 1).

421. - III. *De imputabilitate* (**c. 2229**).

1. Notio imputabilitatis relate ad delictum supra plene iam est explicata (c. 2199, ss.), ita ut iudici certae normae proponantur. Sed oportet ut legislator ipse definiat quomodo poenae *latae sententiae* applicandae sint, ubi imputabilitas specietenus aut revera minuitur vel tollitur. In his enim casibus deest iudicis sententia et normae tradendae sunt quas etiam minus periti facile applicare possint.

2. Atque primo distinctio facienda est inter leges poenales quae dolum plenissimum *expressis verbis* requirunt, ut delictum habeatur, et leges quae hanc condicionem non addunt. Priores sunt quae his verbis utuntur « praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerario, consulto egerit » aliisve similibus.

Saepe feruntur in violationes legis mere ecclesiasticae quae facilius ignoratur ; aut etiam in gravissima delicta, quae legislator cum plena deliberatione fuisse admissa non facile credit. Exempla harum legum in c. 2316 et ss. passim occurrunt.

Si lex talia proferat, « quaelibet imputabilitatis imminutio, sive ex

parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis l. s. » (**c. 2229**, § 2).

Supponit enim lex *contemptum* quemdam qui, imminuta imputabilitate, non adest. De variis imputabilitatis imminutionibus cf. supra, n. 390. Num metus gravis in hoc quoque casu a poenis *l. s.* excuset, disputatur. Sententiam affirmativam pro veriore habemus, quia collati cc. 2205, § 3 et 2229, § 2 satis clari sunt ut mutatio iuris admitti queat (cum cl. *Crnica* contra Cappello, *Ius pont.*, 1925, 9 ss. 129, ss.).

422. - *De ignorantia relate ad poenas l. s.*

Codex triplicem ignorantiam distinguit : affectatam, crassam seu supinam, gravem.

Nam in c. 2229, § 3, 1° Codex procul dubio ignorantiam crassam a gravi, contra doctrinam Suarezii (*De legibus*, l. V, c. XII), cum iurisperitis distinguit. Cum enim nemo poenam incurrat quin graviter peccaverit interne et externe et poenae vindicativae dicantur incurrere in eum qui ignorantia non crassa deliquerit, patet discrimen esse inter crassam et gravem ignorantiam.

Crassa seu *supina* dicenda est, ubi nulla vel fere nulla diligentia ad obligationem cognoscendam adhibita est : **gravis** seu e culpa *lata*, ubi diligentia omissa est quae communiter in re alicuius momenti adhibetur. In hoc canone Codex simul loquitur de ignorantia legis vel solius poenae : utraque enim est ignorantia iuris. Non ignorat poenam qui sciens gravi poena canonica violationem legis sanciri, naturam istius poenae ignorat, v. g. nescit utrum excommunicatio sit an suspensio, utrum reservetur necne, immo quinam sint omnes effectus poenae. — Imputabilitas ignorantiae tempore delicti commissi consideranda est. Ita qui studium legis vel poenae ante longum tempus neglexit, quas addiscere iam non potest, crassa vel gravi ignorantia *nunc* laborare non dicetur.

1° Ignorantia affectata, a *nullis* poenis l. s. excusat (**c. 2229**, § 1).

Sic confirmatur sententia Suarezii (*De legibus*, V, XII, n. 6) contra doctrinam Card. d'Annibale (*Summula*, I, 312, n. 72) et Card. Lega (*o. c.*, p. 64). Legislator censuit ignorantiam affectatam, etsi psychologice scientiae non est comparanda, moraliter ei aequivalere, immo dolum, saepe saltem, graviorem supponere.

2° Ignorantia crassa *seu supina* excusat *a poenis l. s.*, statutis in violatores legum quae plenissimum dolum expressis verbis requirunt (c. 2229, § 3, 1°).

Exemplo sint v. g. c. 2317 « Pertinaciter docentes... » ; c. 2326 : « Qui falsas reliquias... scienter vendit... » et passim.

3° Ignorantia mere gravis excusat a *censuris l. s.*, non a poenis vindicativis l. s. (c. 2229, § 3, 1°).

423. - *De imminutionibus imputabilitatis relate ad poenas l. s.*

1. Quando lex specialia verba de dolo non habet, imminutio imputabilitatis ex ebrietate, culpa seu defectu debitae diligentiae, mentis debilitate, impetu passionis, a nullis poenis l. s. excusat, si actio graviter culpabilis remaneat (ibid. § 3, 2°).

2. « Metus *gravis*, si delictum vergat in contemptum fidei aut

ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a poenis latae sententiae nullatenus eximit » (c. **2229**, § 2, 3°).

In his enim casibus, leges divinae et humanae etiam cum maximo incommodo urgent. Casus fuerit illius qui ob metum gravem nomen sectae damnatae publice dederit (c. 2314, § 1, 3°), matrimonium inierit coram ministello acatholico (c. 2319, § 1, 1°), ad duellum provocaverit aut illud acceptaverit (c. 2351, § 1), etc. Id obtinet cum lex dolum plenum expressis verbis non requirit.

3. Quotiens autem delinquens gravem culpam commiserit, etiam si censuris *l. s.* ob ignorantiam gravem non tenetur, potest a iudice alia congrua poena vel paenitentia affici (ibid., § 4).

424. Impuberes excusantur a *poenis l. s.* omnibus. Immo legislator Superioribus suadet ut eos poenis educativis, non poenis canonicis corrigant (c. **2230**).

In re *criminali* aetas pubertatis probabiliter eadem computatur, sc. quattuordecim annorum, tam in puellis quam in viris. Id sentiunt post REIFFENSTUEL, V, tit. XXIII, n. 5, LEGA, *De iudiciis*, I, n. 37, 1 et HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 12 ; quae sententia nititur c. 1 *de delictis puerorum*, X, V, 23, in quo R. Pontifex indiscriminatim loquitur « de pueris grandiusculis... nisi ab annis 14, cum pubescere coeperint ». Non in puellis enim, ut sexus, ita intellectus et voluntas citius quam in maribus evolvuntur. Confirmationem quis viderit in c. 1648, § 3, in quo, relate ad causam per se agendam, aetas 14 annorum in omnibus exigitur. Sub vetere iure fere solus D'ANNIBALE (*Summula*, I, 312), impuberes ab omnibus poenis l. s. immunes habebat.

425. - IV. *De cooperatoribus.*

1. Qui cum impuberibus in delictum concurrerint, eorum exemptione nullo modo fruuntur, sed, si fuerint correi principales, etiam moraliter tantum, vel efficaces et necessarii cooperatores ad normam c. 2209, §§ 1-3, poenis in lege latis plectuntur (c. **2230**).

Puberes minorennes, etsi imputabilitati imminutae obnoxii sunt (c. 2204. Cf. supra, n. 390, 5°), a poenis l. s. non excusantur, contra atque NOVAL asserit (1), nisi lex plenissimum dolum requirat (cf. supra, n. 421, 2).

2. Correi et cooperatores principales ad normam c. 2209, §§ 1-3 (cf. supra, n. 392) iisdem poenis tenentur atque auctor principalis de quo solo lex loquitur, nisi contrarium *expresse* dicatur (c. **2231**).

Alii cooperatores poenis f. s. subiacent, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat.

Excommunicabitur v. g. qui consilio *efficaci* et *necessario* alium induxerit ut Ordinario violentas manus iniciat (c. 2343, § 3) ; vel ut ad duellum provocet vel illud acceptet (c. 2351) ; qui pharmacum abortivum scienter praebuerit, quod nullus alius praebuisset, ita ut, ipso renuente, delictum non esset commissum (c. 2360), etc.

426. - V. *De observatione poenae* (c. **2232**).

Etsi poena ipso facto contrahitur, observanda non est cum infamia

(1) *Ius Pontif.*, 1924, 85

propria ante sententiam *declaratoriam delicti* ; neque quisquam hanc observationem in foro *externo* exigere potest, nisi delictum sit *notorium*. Superior tamen delictum declarare debet, sive ad instantiam partis sive ob exigentiam boni communis. Ex ipsa natura sententiae *declaratoriae* sequitur poenam ad momentum delicti patrati retrotrahi.

Nemo enim seipsum prodere debet et contra omnem aequitatem cogatur quis ut contra se actus vindicativos exerceat. Quo facilius haec explicarent, DD. distinguebant poenas positivas et negativas (1) seu privativas (2), vel etiam mixtas. *Positiva* poena *in facto* consistit seu sine hominis actione observari nequit, v. g. exsilium, mulcta. *Negativa* seu privativa ius adimit sive quaesitum, ut officium, beneficium, sive quaerendum, ut fit in privatione vocis passivae, in irregularitate ad ordines ecipiendos. *Mixtam* poenam vocat LEGA (*o. c.*, n. 86), quando privatio iuris aliquod factum vel saltem omissionem secum fert. Consentiebant ante sententiam declaratoriam non praecipi exsecutionem poenae positivae et, plerumque, poenae privativae iuris *quaesiti* ; praecipi vero, si ageretur de privatione iuris *acquirendi*. Codex clarius et generalius dicit : « delinquens excusatur quotiens eam servare sine infamia nequit ». Quotiens ergo non potest observari privatio quin delictum occultum patefiat, exspectari potest sententia declaratoria, etiam si de censura agitur. Idem dicendum videtur de irregularitate *ex delicto* ; etsi enim non stricte poena sit, ad modum poenae infligitur.

Ita parochus ob delictum occultum excommunicatus, donec occasionem absolutionis reperiat, administrare sacramentum et sacrum celebrare poterit, ne omissione officii se infamet ; nec beneficiarius suo beneficio, quo poena privatur, se spoliare vel illud, ad quod inhabilis factus est, recusare debet, si aliter agendo se proderet.

Beneficio huius canonis reus uti non potest nisi infamiae periculo coactus ; ope c. 2290, ab observanda poena etiam in aliis casibus poterit eximi (cf. infra, n. 491, § 2 ad c. 2290, ss.).

427. - VI. *De inflictione poenae.*

1. Nemo puniri potest nisi eum deliquisse certo constet et actio praescriptione exstincta non fuerit (c. **2233**, § 1).

Non licet ergo in poenis infligendis probabilitate facti vel mera praesumptione uti ; versamur enim in odiosis et lex est strictae interpretationis. Quodnam sit remedium contra delicta probabilia clericorum, supra diximus, n. 412, 2.

2. Praeterea, antequam censura infligatur, reprehensio et monitio adhibendae sunt, immo, si id utile videatur, tempus est concedendum ut reus a contumacia recedat. Lex tamen et praeceptum poenam etiam f. s. comminantia continuam monitionem continent (c. 2233, § 2).

Censura enim non fertur nisi ad frangendam contumaciam ; quare, si reus monitus a peccato statim resipiscat, non est cur huiusmodi poena plectatur. — Ob violationem praecepti peculiaris, quod communitum erat censura ferendae sententiae, statim post delictum comprobatum censura infligi potest, sine nova

---

(1) D'ANNIBALE, I, 309.
(2) WERNZ, *l. c.* 6, n. 63.

monitione (Resp. *Comm. I. C.*, 14 iul. 1922) (1). Si tamen tempore quo reus citatus comparet a contumacia iam recessit, censura puniri non potest.

3. Qui plura delicta commisit, sicut et recidivus, gravius puniendus est. Poenis addenda est, pro prudenti iudicis arbitrio, vigilantia, si casus ferat, vel aliud remedium poenale, ut sunt publicae monitiones et correptiones (c. **2234**. Cf. cc. 2208, § 2 ; 2311).

4. Conatus delicti, ubi lege non sancitur, congrua poena a Superiore plecti potest, nisi reus sponte ab incepto delicto recesserit et damna scandalumque, si casus ferat, pro posse reparaverit (cc. **2235**. 2213, § 3).

TITULUS VII

DE POENARUM REMISSIONE

(cc. 2236-2240)

Scriptores : d'Annibale, *Summula*, I, n. 313, ss. — Lega, *De delictis et poenis*, n. 121, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n. 86, ss. — Blat, O. P., *Commentarium*, lib. V, in h. cc. — Eichmann, *Das Strafrecht des C. I. C.* in h. cc. — Sole, *De delictis et poenis*, in h. cc.

428. - **Ordo dicendi.** Agitur prius de potestate *in genere* requisita ad tollendas poenas (c. 2236), dein de potestate *speciali*, qua Ordinarii pollent ad tollendas poenas iure communi statutas (c. 2237) ; tum de condicionibus validae et licitae remissionis (cc. 2238. 2239) vel praescriptionis (c. 2240).

429. - Poena cessat expiatione, remissione a legitimo Superiore rite facta, praescriptione, morte rei. *Expiatio* commentario non indiget. *Remissio poenae* concedenda est absolutione vel dispensatione a Superiore competente, servata forma legitima.

Absolutio est *actus iustitiae*, quo causa terminatur in favorem rei ; **dispensatio** est *actus gratiae*, quo aliquid iure debitum relaxatur in favorem alicuius.

Quare absolutio paenitenti per se concedenda est, et semel concessa tolli non potest. Dispensatio ab arbitrio Superioris pendet et, sublata causa, cessare potest vel etiam a Superiore non delegato valide revocari, et, si iusta causa adsit, licite. Proin poenae medicinales absolutione tolluntur, vindicativae, si remittuntur, dispensatione (cf. cc. 2248, § 1. 2289).

I. DE SUPERIORE COMPETENTE

A. *De competentia in genere.*

430. - 1. Competens Superior est (c. **2236**) :

1° Qui poenam tulit, sive lege sive prrecepto.

(1) ASS. XIV, (1922), 530. — *N. R. Th.*, 1923, 114. — *Per.*, XI, 166 et 172.

2° Superior aut successor competens eius qui poenam tulit (c. **2236**, § 1).

Ille solus poenam ab inferiore latam remittere potest qui pleno iure aut saltem in *eadem* materia eius Superior est; ita R. Pontifex poenas a quovis inferiore latas, Metropolita, extra visitationem, nullam poenam a suffraganeo inflictam remittere potest. Idem principium valet de successore : v. g. Capitulum, dein Vicarius Generalis, sede vacante, poenas a defuncto vel absente episcopo remittere potest.

3° Is cui haec potestas ordinaria vel delegata concessa est. Committitur ipso iure Ordinariis, quod ad poenas iure communi statutas, in multis casibus publicis et in plerisque casibus occultis ; confessariis, quod ad censuras reservatas, in periculo mortis et in casibus urgentioribus (cc. 2252. 2254).

2. Cum poena sit pars legis, « qui potest a lege eximere, potest quoque poenam legi adnexam remittere » (c. 2236, § 2).

3. « Iudex qui ex officio *applicat* poenam a Superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit » (ibid., § 3).

Qua talis enim iudex in legem nullam habet potestatem ; et, poena lata, eius officium per se cessat.

B. *De potestate speciali Ordinariorum.*

431. - 1. Canone 2237 confirmatur et extenditur potestas quam commentatores Ordinariis ex tacito R. Pontificis consensu, ex c. 4, *de iudiciis*, II, I (num iure, disputatur) et ex Trid. Sess. XXIV, c. 6, de ref. vindicabant (cf. Wernz, *l. c.*, nn. 91. 92).

Distinguendi sunt casus publici ab occultis ; in illos minorem, in hos multo maiorem potestatem Ordinarius habet. Notandum est facultatem Ordinariorum ad solas censuras Codice non restringi.

2. *De casibus publicis.* « Potest Ordinarius poenas iure communi statutas remittere, exceptis :

« 1° Casibus ad forum contentiosum deductis ; »

Casus ad forum contentiosum deducitur cum reus legitime citatus est (c. 1725), ut poenam solvat vel damnum reparet (c. 2210).

« 2° Censuris Sedi Apostolicae reservatis. »

« 3° Poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae » (c. **2237**, § 1).

Poenae huiusmodi saepius occurrunt, praesertim in c. 2368 et sequentibus Sic pleraeque poenae vindicativae a potestate dispensandi Ordinariis concessa excluduntur. Quare Superior maior religionis exemptae subditum abortus public reum a poenis absolvere vel dispensare, secluso privilegio, non posset.

In casibus vero *occultis*, Ordinarius tum censuras tum poenas vindicativas iure communi statutas remittere potest.

Excipiuntur censurae specialissimo vel speciali modo Sedi Aposto-

licae reservatae, nisi casus sit urgentior aut periculum infamiae in observanda poena immineat (cf. cc. 2254. 2290).

Quinam casus *occulti* dicendi sint, cf. supra, n. 384, 3, 3°

II. DE IPSA POENAE REMISSIONE

432. - « Poenae remissio, vi aut metu gravi extorta, ipso iure irrita est » (c. **2238**).

Etsi textus inter metum iustum et iniustum non distinguit, ob finem legis et ex fontibus canonis dicendum est remissionem metu iusto tum quod ad rem tum quod ad modum, v. g. denuntiationis ad Superiorem, extortam non esse invalidam.

433. - Remissio poenae, cum sit actus iurisdictionis per se non sacramentalis, non requirit praesentiam rei et condicioni subici potest. Item eius extensio Superioris potestate vel arbitrio restringi potest, v. g. ad solum forum externum. (c. **2239**, § 1).

Concessa pro foro externo, valet pro utroque foro. Confessarii plerumque remissionem concedere nequeunt, nisi in actu sacramentalis confessionis et pro foro interno (cf. cc. 2254. 2290).

Nulla *forma* ad valorem requiritur. Consulitur *(expedit)*, ut scripto concedatur remissio poenae quae scripto inflicta sit, ut in foro externo certius de condonatione constet (ibid., § 2).

434. - Poena exstinguitur quoque :

1. *Praescriptione*, de qua cf. c. 1703. (c. **2240**. Cf. supra, n. 138).

2. *Expiatione poenae.*

Si delictum civili poena fuerit expiatum, Ordinariis ab addenda poena canonica generatim abstinendum est (cf. c. 2223, § 3, 2°).

3. *Morte rei.*

Quod perfecte obtinetur, si reus ante latam sententiam moriatur. Si lata fuerit sententia, poenae *reales* exsecutioni ab heredibus mandandae sunt. Poenae pars quae exsecutionem nullam requirit et mortuo applicari potest, v. g. privatio suffragiorum Ecclesiae, non exstinguitur.

SECTIO II. - DE POENIS IN SPECIE

435. - Haec sectio, ex ipsa poenarum divisione, tribus titulis absolvitur, sc. de censuris, de poenis vindicativis, de remediis poenalibus et paenitentiis, etsi haec ultima poenarum nomine minus stricto sensu vocantur. Plerique scriptores poenas quibus singula delicta plectuntur explicationi singularum poenarum subiciunt. Alium tamen ordinem secuti sunt clari quidam commentatores, ut Lega, Hollweck, Wernz.

TITULUS VIII

DE POENIS MEDICINALIBUS SEU DE CENSURIS
(cc. 2241-2285)

Scriptores : d'Annibale, *Summula*, I, n. 324, ss. — Hollweck, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 23, ss. — Lega, *De iudiciis*, I, n. 86, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n. 143, ss. — Cappello, S. I., *De censuris iuxta C. I. C.*, n. 1, ss. — Cerato, *Censurae vigentes*, n. 1, ss. -- Eichmann, *Das Strafrecht des C. I. C.* in h. cc. — Sole, *De censuris et poenis*, in h. cc.

Caput I. - De censuris in genere

§ 1. de notione censurarum

436. - Definitio : « Censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec a contumacia recedens, absolvatur » (c. **2241**, § 1).

Solum subiectum censurae est homo *baptizatus*, quia lex est ecclesiastica ; *delinquens*, quia nulla poena sine iussione cui annectitur poena, saltem indeterminata ; *contumax*, quia nemo punitur, nisi sciens volens praecepta Superioris transgressus sit. — Censura non privat *directe* bonis temporalibus, ut paenitentiae. — Cum *finis* primarius censurae sit emendatio rei, quo fine a poena vindicativa praesertim discriminatur, statim ac reum sui delicti paenitet, quod efficaciter reparare velit, a poena absolvendus est ; finis enim poenae tunc obtentus est.

Censura primum omne poenarum genus significavit. Porro Innocentius III (1198-1216) c. 20, X, *de V. S.* V, 40, hac voce designari voluit excommunicationem, suspensionem et interdictum, quae bona tantum spiritualia auferunt. Ad has poenas doctores post Hostiensem († 1271) vim verbi restrinxerunt. Constitutione *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869, notio minus accurata est inducta. Dum obiectum Constitutionis *censurae* dicebantur, in ea suspensiones ad tempus definitum latae, seu vindicativae, reperiebantur. Quare finis medicinalis tamquam nota censurae essentialis haberi iam nequibat. In Codice ad distinctionem perfectam inter utriusque poenae speciem reducimur.

437. - *De usu moderato censurarum.*

Maxima Ordinariis sobrietas et circumspectio praecipitur in censuris, praesertim excommunicatione, infligendis.

S. Officium totam hanc materiam (Instr. *Cum experientia*, 13 iul. 1916. — AAS, VIII (1916), p. 313. *Per.* VIII, p. 179) cum fuso commentario ordinavit, cuius praecipua praescripta in Codice c. 895, ss. et c. 2247, ss. resumuntur. Sobrietas erit in numero et reservatione censurarum, circumspectio in delectu delictorum, in notitia poenarum spargenda, in facultatibus ad absolvendum concedendis. — Ratio est quod si censurae nimiae sint, contemnuntur, sive quia ignorantur, sive quia, ne animae nimium damnum patiantur, facultates ad absolvendum pluribus quam par est sunt concedendae, sive tandem quia minae saepius agitatae vilescunt (cf. Trid. S. XXV, c. 3 de ref.).

438. - *De condicionibus censurae infligendae* (c. **2242**).

Ut censura infligatur, tres condiciones requiruntur : delictum, monitio, contumacia.

1° Delictum.

Ex ipsa delicti definitione supra (c. 2195. Supra, n. 383) data, requiritur :

a) Imputabilis *violatio* legis *poenalis ;*

b) Actio *externa*, etsi forte plene occulta ; de mere enim internis Ecclesia non iudicat ;

c) *Peccatum grave*, etiam qua externum est.

Gravitas tamen actus non ex solo effectu iudicatur. Sic qui in sacerdotem globulum ignitum explodit illumque levi vulnere attingit, graviter deliquit et censurae obnoxius fit (cf. c. 2343, § 4).

d) *Actus consummatus*, seu in quo omnes notae delicti, vel conatus delicti, si iste poena expresse sanciatur, verificantur (cf. cc. 2212. 2213. Supra, n. 395, ss.).

e) *Contumacia*, i. e. libera transgressio coniuncta cum cognitione legis et poenae (cf. cc. 2201. 2229).

Cum censurae possint *ipso iure*, sine interventu iudicis ferri, in reos ignotos ut in cognitos ferri possunt (c. 2242, § 1).

2° Monitio.

Haec est per se necessaria, quia, excepto casu specialis scandali vel gravitatis culpae, nemo poena quam non noverit, punitur. Ubi agitur de poenis *l. s.*, lex ipsa continuam monitionem constituit. Si agatur de poenis *f. s.*, vult Codex ut Superior reum moneat et generatim tempus ad resipiscentiam legitimum concedat (c. 2233, § 2).

Triplex olim monitio, statis intervallis, erit facienda. Nunc sufficit ut, ex spreta unica monitione, contumacia certo appareat. In aliis materiis duplex etiam monitio iure exigitur, v. g. antequam processus expellendi religiosi professi instituatur (cf. c. 662, ss. *Epitome*, I, n. 757, 3, b) (c. 2242, § 2).

Quonam modo facienda sit monitio, eruitur ex c. 1711, ss. et c. 2143, ss. Sed nota condiciones in c. 2143, ss. statutas respicere tantum subiectam in illa Codicis parte materiam.

3° Contumacia consistit in mala voluntate delinquentis cum cognitione legis et poenae.

Cessat efficaci paenitentia, seu quae reum movet ad reparationem congruam statim faciendam aut, si id difficilius sit, serio promittendam. Aestimatio sufficientis recessus a contumacia, committitur prudenti arbitrio iudicis illius a quo absolutio petitur : hic erunt confessarius in foro sacramentali, Ordinarius vel saltem Superior iurisdictione ordinaria in foro externo munitus, ut sunt Superiores quoque locales in Ordine religioso. Pro delictis plene praeteritis censura proprie dicta infligi nequit (c. 2242, § 3).

439. - *De exsecutione censurae* (c. **2243**).

Quod exsecutionem censurae et appellationem vel recursum ab ea attinet, quattuor casus distingui possunt.

1. Censura *l. s.* est *contracta.* Exsecutio statim incipit, saltem quod ad omnes effectus qui actionem vel omissionem infamantem non requirunt (cf. supra, n. 426). De appellatione vel recursu nullus sermo fieri potest ; omne fundamentum iniustitiae poenae vel defectus procedurae deest.

2. Censura *l. s.* est a iudice *declarata.* Appellatio a sententia fieri potest ; censura iam in foro externo tota servanda est. In foro interno sententia iniusta veritati cedit.

De his duobus casibus Codex in c. 2243 non agit ; solutio ex cc. 2217 et 2222 sequitur.

3. Censura *f. s. inflicta* est per sententiam iudicialem condemnatoriam. Statim servanda est ; appellatio enim non conceditur, nisi in devolutivo (cf. supra, n. 240, I). Idem valet de censura inflicta ad modum praecepti ; at hic nulla appellatio datur, cum formae iudiciales adhibitae non fuerint, sed *recursus* tantum in devolutivo (**c. 2243**, § 1).

Censurae enim per se nullam ab alio factam exsecutionem requirunt et tolluntur sola absolutione.

4. *Sententia* vel *praeceptum* datum est *comminans* censuram f. s. vel etiam l. s. Appellatio vel recursus a censura habet effectum suspensivum tantummodo si ius admittit in hac re, i. e. in ipsa materia praecepta vel prohibita, appellationem vel recursum in suspensivo. — Praeterea servandum est id quod sententia vel praecepto mandatur, « nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto » (ibid. § 2).

440. - *De multiplici censura in eodem subiecto.*

1. « Non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei censura potest in eodem subiecto multiplicari » (**c. 2244**, § 1).

Privatio enim, etsi *in se* augmentum non admittit, multiplici titulo imponi potest ; quae proin non cessabit, nisi remotis omnibus eius causis. Iamvero aliae causae multiplicant censuram l. s., aliae censuram f. s. Inde absolutio poterit tollere unam censuram, alia non sublata. Quo casu tota privatio ex manente titulo remanet.

2. Censura *latae sententiae* multiplicatur ubi diversa delicta committuntur vel idem *repetitur ;* vel cum numero et specie delictum *a pluribus Superioribus punitur* (ibid. § 2).

Eadem actione plura delicta committi possunt, v. g. si quis gravibus verberibus cogere nitatur novicium ad emittendam professionem (cf. cc. 2343, § 4 ; 2352) ; clericum ad falsum rescriptum Apostolicum conficiendum (cf. c. 2360), etc. Idem delictum diversis censuris a pluribus Superioribus plecti potest, nisi iam censura Sedi Apostolicae reservata sanciatur (cf. c. 2247, § 1). De necessitate manifestationis omnium censurarum ad absolutionem, cf. c. 2249, infra. n. 448.

3. « Censura ab homine multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant » (c. **2244**, § 3).

Fac Ordinarium prohibere sub suspensione clericum cum aliqua muliere publice conversari et sub excommunicatione eam domi recipere. Duplex censura incurretur a clerico qui istam mulierem publice ex eius domo ad suam usque comitatus sit in istamque introduxerit ; nisi tamen Ordinarius introductionem in domum tamquam gravius, sed non distinctum a priore delictum graviore poena sanxerit. Tunc enim adsunt tantum unum delictum et una poena.

Mira videri potest distinctio facta in hoc canone inter censuram l. s. (§ 2) et censuram *ab homine* (§ 3). Haec enim inter se non opponuntur ; sed in utraque paragrapho de censuris l. s. agitur, cum applicatio poenarum f. s. alio canone (c. 2223) regatur. Sed cf. supra n. 406.

§ 2. DE RESERVATIONE CENSURARUM

441. - « Censurae aliae sunt *reservatae*, aliae *non reservatae* » (c. **2245**, § 1).

Reservatio, uti ad c. 893, § 2 (*Epitome*, II, 172), dictum est, est avocatio delicti ad iudicium Superioris, qua potestas absolvendi inferiorum limitatur. Reservatio censurae eundem finem ac reservatio peccati habet, sed normis propriis regitur (cf. c. 893, § 3). Quare non consentimus commentatoribus qui normas unius ad alteram transferunt (cf. FERRERES, *Comp. theol. mor.* II, 678. — ARREGUI, *Summarium theol. mor.*, n. 615).

442. - 1. « Censura *ab homine* est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori aut delegato » (ibid., § 2).

Censura *ab homine* dicitur quae fertur per modum praecepti particularis, sive fuerit l. s. sive f. s., aut per sententiam *condemnatoriam*. Communi doctorum consensu, *omnis* censura *ab homine* erat reservata ; saltem nullam distinctionem apud commentatores invenies (cf. SCHMALZGRUEBER, V, t. 39, 85. — D'ANNIBALE, I, 345. — WERNZ, VI, n. 175).

Verba huius paragraphi premens, P. CAPPELLO censet semper reservatam esse censuram quam Superior per sententiam iudicialem condemnatoriam inflixit aut praecepto particulari *inflixit*, i. e. *actu irrogavit*, non autem quam ipso facto *incurrendam* tulit (1).

SOLE, in h. c., n. 173, nitens paragrapho quarta huius canonis *nullam* censuram praecepto latam reservari autumat, « nisi praecepto id expresse dicatur ». — Contra sententiam SOLE iure affert CAPPELLO locos Codicis in quibus censura ab homine sine distinctione semper et ubique reservari dicitur (cf. cc. 2247, § 2 ; 2253, 2°) ; addemus eam censuris specialissimo modo S. Sedi reservatis pluries assimulari (cc. 2247, § 3 ; 2252) et c. 2253, censuras ab homine cum censuris a iure reservatis opponi censuris non reservatis.

Sed eadem duo argumenta ipsi sententiae P. CAPPELLO adversantur. Ipse vero c. 2245, § 4 sic commentatur : « verba sunt intellegenda, ut apparet ex contextu, praesertim ex § 2, de censuris *a iure*... ac de censuris quae feruntur *per modum*

---

(1) *N. R. Th.*, 1920, 525.

censurarum a iure, id est per praeceptum *particulare* tamquam *incurrendae*, quin *actu* irrogentur... ».

Quam distinctionem neque iure anteriore neque iure Codicis sustineri posse censemus. Sub iure anteriore, nisi valde fallimur, nemo censuram praecepto *particulari* latam, etiam tamquam incurrendam, sed tantum censuram praecepto *communi* seu *generali* latam, per modum censurarum a iure latam dicebat (1).

Codex autem neque in definitione censurae ab homine, neque in cc. 2247, §§ 2, 3 2252, 2253, 2°, distinctionem a CAPPELLO propositam adhibet. Solum commodum huius sententiae est aliquam, non tamen nostro sensu plene aptam, solutionem dare difficultatis quam movet hic c. 2254, § 4, de qua mox dicemus (infra, n. 443).

2. « Ex censuris vero *a iure* reservatis aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi* » (c. **2245**, § 2).

Codex loquitur de solo iure *communi*. Porro nulla, ni fallimur, censura iure communi dicitur Ordinario *loci* reservata, sed simpliciter *Ordinario*. Sequitur censuram, quae iure communi Ordinario reservatur, si a religioso *exempto* contracta fuerit, ab Ordinario loci tolli posse, dummodo delictum fuerit occultum. Sufficit enim tunc absolutio in foro sacramentali. Iamvero ex cc. 873. 874 patet Ordinarium loci iurisdictione sacramentali ordinaria etiam in religiosos exemptos pollere. Si vero delictum publicum fuerit, censura a solo Superiore maiore religiosi exempti tolli poterit ; ipse enim solus est Ordinarius rei in foro *externo*, in quo absolutio danda est. In priore casu, confessarius qui iurisdictionem in casus Ordinario loci reservatos habet, absolvere poterit ; in secundo casu, is tantum qui iurisdictionem in reservatos Superiori maiori religionis obtinet.

Praeter censuras iure communi Ordinariis reservatas, aliae iure *particulari* dioecesium Ordinario loci aut Superioribus religionum exemptarum minoribus vel maioribus reservantur. Iamvero : 1° Regulares, ex privilegio, gaudent facultate absolvendi a censuris Ordinario *loci* iure *communi* reservatis ; in censuras iure particulari eidem reservatas nihil possunt quod ab ipso Ordinario loci non fuerit concessum ; 2° omnes confessarii, ab Ordinario loci ad confessiones audiendas approbati, religiosos exemptos absolvere possunt a censura iure particulari *religionis* quomodolibet reservata (c. 519). De reservatis iure communi vel dioecesano, consulant facultates speciales sibi forte a suo Ordinario concessas.

Haec distinctiones in quaestione de absolutione a censuris reservatis sedulo respiciendae sunt.

3. « E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt *reservatae simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo* » (c. 2245, § 3).

Quod ad usum facultatum, attendenda praecipue divisio inter censuras quae specialissimo modo et eas quae minus stricte reservantur. Etenim Regulares quidam ab istis, saltem in exercitiis spiritualibus, missionibus, etc. ex privilegio absolvere possunt, quod ad priores vero nulla speciali facultate gaudent. Praeterea in periculo mortis absolutio a casibus etiam specialiter reservatis dari potest sine onere recursus, a specialissime reservatis tantum cum isto onere (cf. c. 2252).

443. - Censura l. s. non est reservata nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur » (ibid., § 4).

Haud parvam difficultatem movet haec § 4. Dum e cc. 2245. § 2 ; 2247, §§ 2 et 3; 2252, omnis censura ab homine reservata esse dicitur, hic exigitur mentio expressa reservationis in praecepto. SOLE mutationem iuris veteris admittit et necessitatem

(1) Cf. SUAREZ, *De censuris*, VII, II, 20 ; LEGA, *De delictis et poenis*, ed. 3. n, 78 ; WERNZ, *Ius Decretalium*, VI, n. 146, nota 16. De his fusius egimus in *Ius pontif.*, 1924, 26, ss.

mentionis in omni praecepto requirit (cf. supra, n. 442, 1); CAPPELLO (ibid.) intellegit § 4 de praecepto quod censuram *incurrendam* infligit; MICHIELS censuram *l. s.* praecepto additam, antequam obiectum sententiae fiat, *quasi a iure*, certe non *ab homine* esse dicit (Cf. supra, n. 406).

Quarta solutio dari potest, quae, etsi imperfecta est, melius cum iure anteriore et cum reliquis Codicis canonibus congruere videtur. Possit quis dicere in § 4 agi de praecepto *communi*. Censuram enim latam praecepto communi per modum censurae a *iure* latae ferri communior DD. sententia erat (1). Si quis autem dicat Codicem neque de praeceptis communibus mentionem facere, neque hic distinguere, responderi potest sine distinctione sive hic sive in cc. 2247, 2252, 2253, etc. c. 2245 explicari non posse et praecepta communia per oppositionem ad præcepta singulis data vel peculiare (can. 24 et 2217, § 1, 3°) implicite allegari. Qua interpretatione non admissa, illa P. Cappello nobis praeferenda videtur.

« Et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget » (**c. 2245**, § 4).

Reservatio, etsi poena stricto sensu non est, cum poenam satis aggravet et facultates confessarii minuat, est materia odiosa in qua *stricta* (c. 2246 § 2) et reo favorabilior interpretatio (cf. c. 2219, § 1) est facienda.

444. - Praecipitur Ordinariis ne reservent censuras, « nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium » (**c. 2246**, § 1).

De sobrietate in reservationibus servanda, opportune legetur instr. S. Officii, 13 iul. 1916 (AAS, VIII, 1916, p. 313. *Per.* VIII, p. 179); quae, etsi de peccatis reservatis loquitur, nostrae materiae nullo negotio aptari potest.

445. - Aliae censurae receptionem sacramentorum impediunt, ut excommunicatio (c. 2260, § 1) et interdictum personale (c. 2275, 2°); aliae, ut suspensio (c. 2278), non impediunt. In prioribus ergo absolutio a peccatis dari vetatur, antequam a censura fuerit concessa. Quare si censura fuerit reservata, peccatum est *ratione censurae* eodem modo reservatum. Quocumque autem modo reservatio censurae absit vel cesset, reservatio quoque peccati abest vel tollitur (c. 2246, § 3).

Delinquens potest ergo a legitimo Superiore absolutionem a censura vel dispensationem a reservatione petere, dein a simplici confessario absolutionem a peccatis accipere. — Cum confessarii a censuris absolvere generatim nequeant, nisi in actu confessionis, usus potestatis supponit accusationem vere sacramentalem, i. e. ad absolutionem obtinendam; non tamen requiritur ut confessio absolutione a peccatis revera compleatur. — Qui apud *competentem* confessarium confessionem peragens, peccati oblitus sit cui censura reservata annexa sit, peccatum illud iam apud quemlibet confessarium confiteri poterit. Censura enim et reservatio iam cessaverunt, cum confessarius suis facultatibus quantum potest, nisi contrarium constet, uti velit (2).

446. - 1. « Si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre » (**c. 2247**, § 1).

Ratio est ne absque necessitate multiplicentur leges, et quia S. Sedes sua dispositione ius quoddam praeventionis exercuit (Ita ex instr. S. Officii, 13 iul. 1916, a. 4 et ex Reg. 54, *R. I.*, in VI°).

(1) Cf. elucubrationem nostram in *Ius pontif.*, 1924, 26, ss. *De reservatione censurae praecepto latae.*

(2) Cf. GOUGNARD, A., *Le confesseur et les péchés réservés*, in *La Vie diocésaine* Malines, 1924, p. 609. ss.

2. « Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur » (c. 2247, § 2).

Reservatio, cum sit limitatio iurisdictionis, ab eo tantum procedere potest qui iurisdictionem concedit vel ab eius Superiore competente. Iamvero peregrinus absolvi potest ab Ordinario loci ubi commoratur vel ab eius delegato (cf. c. 2253, 3°).

Sequitur *peregrinos* ubique a censuris suae dioecesis a quolibet confessario absolvi posse. Ante Codicem opposita sententia acriter a nonnullis propugnabatur, qui censebant peregrinum ex iurisdictione *proprii* Ordinarii, iure consuetudinario delegata, absolvi (cf. *Epitome*, II, n. 145, 1). Communi sententia, egressus e territorio *in fraudem legis*, i. e. cum sola intentione obtinendae absolutionis, confessarium extraneum iurisdictionis beneficio privabat (cf. Hollweck, *o. c.*, § 37).

Censuris autem dioecesis in qua versatur, peregrinus non subest, nisi ordo publicus id postulet. — Censura addita legi generali in territorio particulari peregrinum non tenet ; ipsa enim est lex particularis. — *Vagi* censuris et reservationibus territorii ubi actu commorantur, subiacent.

3. « Censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit » (c. 2247, § 2).

Non est enim lata per modum legis, sed per modum praecepti personalis quod natura sua ubique urget (cf. c. 24). Quare Codex quod ad hanc censuram principium veteris iuris sustinuit quod « a non suo iudice... nullus... valeat absolvi » (Fagnani, *Comm.* in c. 12, X, V, 38, n. 52).

4. « Si confessarius, ignorans reservationem, paenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata » (c. 2247, § 3).

Haec facultas iuri antea vigenti omnino contraria, maximum paenitenti beneficium confert. Quid si paenitens confessarium consulto eligat, quem sciat iuris ignarum ? Validam absolutionem censemus, cum e iure nihil obstet. Sitne qui sic agat bene dispositus necne a pluribus adiunctis pendet.

447. - 1. *De necessitate absolutionis.*

« Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione » (c .2248, § 1).

Quare censura non cessat sola delinquentis paenitentia et satisfactione, aut morte subiecti vel auctoris poenae. Qui censura innodatus mortuus fuerit, si signa paenitentiae dederit, per se post mortem absolvi potest. Neque sic Ecclesia eum qui suo iudicio eripitur proprie et directe absolvit, sed effectus censurae qui eum respiciunt et perdurant, tollit, v. g. prohibitionem sepulturae ecclesiasticae privationem suffragiorum, etc. Sed huiusmodi absolutio iam necessaria non est ut defunctus sepulturae ecclesiasticae mandetur (c. 1240).

Si quis praeceptum cum annexa censura, etiamsi nec scripto neque coram testibus datum sit, vivente Superiore, violaverit, censura, mortuo Superiore, tenet. Immo ex c. 2245, § 2 reservatio quoque perseverat.

Absolutionem sub condicione de praeterito vel de praesenti impertire licet ; absolvere sub condicione de futuro est contra usum Ecclesiae, et si agitur de censura, quae absolutionem a peccatis impediat, confessario non licet.

Absolutio a censura est semper *directa*. Cum enim una censura manente alia remitti possit, causa cur indirecte concedatur prorsus deficit.

2. *De obligatione absolvendi paenitentem.*

Censura ad contumaciam frangendam et medicinam peccatori praebendam primario infligitur ; quare, effectu obtento, urgeri nequit, sed absolutio paenitenti statim est concedenda. Potest vero ipsa delinquentis emendatio vel vitandum scandalum exigere ut congrua alia poena imponatur (**c. 2248**, § 2).

Quia tamen ad infligendam poenam vindicativam iurisdictio in foro externo requiritur, certum est a simplici confessario vel parocho paenitentiam tantum congruam exigi posse (cf. c. 2220).

3. *De reviviscentia censurae.*

« Censura, per absolutionem sublata, non reviviscit, nisi in casu quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit » (c. 2248, § 3).

Absolutio, cum sit actus iustitiae, secus ac dispensatio, semel concessa retrahi non potest. Data sub condicione oneris implendi ad reincidentiam, revera sub condicione resolutoria conceditur, ideoque censura, condicione non impleta, reviviscit. Nemo potest absolutionem cum onere sub poena reincidentiae implendo concedere, nisi qui potest censuram infligere, salvo speciali iuris praescripto, quale in c. 2254, § 3 reperitur (cf. infra, n. 454).

448. - *De absolutione a multiplici censura.*

1. Condonatio poenae pro uno delicto debitae poenas ob alia delicta contractas non tollit. Igitur « si quis pluribus censuris detineatur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis » (**c. 2249**, § 1).

Iusta causa absolutionem partialem dandi fuerit v. g. defectus debitae reparationis pro certo delicto requisitae. Notandum est absolutionem a peccatis concedi non posse nisi remittantur omnes censurae quibus receptio sacramenti paenitentiae prohibetur.

2. Iuxta c. 2249, § 2, absolutio per se valet tantum pro casu in petitione expresso ; concessa in forma *generali*, valet quoque pro casibus *bona fide* reticitis, excepta censura specialissimo modo S. Sedi reservata. Numquam valet pro reticitis mala fide.

Nota hic agi de Superiore *competente*, ita ut censura ab homine, etiam bona fide, si res fingi potest, reticita, vi absolutionis generalis non tollatur, nisi absolutio a Superiore in *hanc* censuram competente proficiscatur. S. Sedi non deest potestas, sed voluntas complectendi in forma generali censuram specialissime reservatam, quae non fuerit in libello supplici expressam. In forma generali, quam semper adhibet confessarius, casus specialissime reservati attingi nequeunt, cum confessarius careat potestate. Nemo censuram apud confessarium mala fide reticere dici potest, cum satis sit ut paenitens delictum patefaciat nec censuras confessarium docere debeat.

449. - *De conexione inter absolutionem a censura et a peccatis* (**c. 2250**).

1. Cum censura, etsi receptionem sacramenti prohibere potest, *per se* neminem *incapacem* recipiendi sacramenti facit, absolutio bona fide

petita et concessa relate ad peccata semper valida erit ; reservata enim non sunt, nisi *ratione censurae*.

2. Ad validitatem absolutionis, nulla *forma* praescribitur et sufficiunt verba vel signa quae eam clare manifestant.

In foro sacramentali adhibenda est consueta forma absolutionis, in foro extrasacramentali commendatur regulariter forma in libris ritualibus tradita, sc. in Pontificali Romano sub titulo : *Ordo suspensionis, reconciliationis*, etc. et : *Ordo excommunicandi et absolvendi* ; in Rit. Rom. tit. III, cc. 2. 3. 5. Haec forma adhiberi poterit v. g. si conversus ab haeresi vel a secta massonica reconciliandus est.

Nisi Superior facultatem concedens formam sollemniorem praescripserit, sufficit formula brevior quae sequitur : « Dominus N. I. X. te absolvat : et ego auctoritate Ipsius, et sanctissimi Dom. nostri Papae (vel Reverendissimi episcopi, vel talis Superioris) mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi vel incurrisse declaratus es, propter tale factum (vel causam, etc.) ; et restituo te communioni et unitati fidelium, et sanctis sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris, etc. ».

450. - *De vi absolutionis in utroque foro* (**c. 2251**).

1° Absolutio censurae data *in foro externo*, valet pro utroque, cum bonum individui simul intendatur ac membri societatis et *in foro interno* sola absolutionis veritas attendatur.

2° Absolutio data in foro *interno* non valet pro externo, nisi probetur vel legitime praesumatur. In foro enim externo attenditur primo ac per se bonum communitatis nec quidquam valet, nisi quod certis et externis argumentis probatur.

Quare Superior observationem censurae in foro externo urgere potest, donec eius absolutio probetur vel legitime praesumatur ; immo debebit, si legitima satisfactio, moraliter possibilis, non fuerit praestita.

3° Remoto scandalo, v. g. si censura in loco non fuerit publica vel si de recepta absolutione satis constet, absolutus in foro tantum interno potest uti talem se gerere etiam in actibus fori externi. Absolutio enim in foro externo propter solam erga Superiores oboedientiam et ad removendum scandalum exigitur.

451. - *De iurisdictione ad absolvendum requisita.*

In periculo mortis, omnis sacerdos quemlibet peccatorem vere paenitentem cum Deo et cum Ecclesia reconciliare potest, i. e. ad hoc ab Ecclesia iurisdictione munitur. Si tamen aegrotus convaluerit, pro quibusdam censuris onus remanet ad Superiorem competentem recurrendi qui congruam paenitentiam imponat et reparationem condignam exigat. Extra periculum mortis, si nihil urget, reservatio censurae

natura sua recursum ad Superiorem ad ipsam absolutionem recipiendam postulat; in casibus urgentibus, Ecclesia omni confessario iurisdictionem necessariam ad absolvendum paenitentem concedit, qui tamen plerumque intra mensem a recepta absolutione ad Superiorem competentem vel privilegiatum confessarium, sub poena reincidentiae in censuram, recurrere debebit. Normae speciales pro his tribus casibus in cc. 2252-2254 traduntur.

452. - *De absolutione a censuris in periculo mortis.*

« Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Paenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam c. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi » (c. 2252).

1. In *periculo mortis* versatur cuius discrimen vitae seria probabilitate considerandum est. — Id potest accidere ex gravitate morbi, qui dies criticos, ut aiunt, habet. vel ex condicione subiecti, puta si quis senio debilitatus morbo per se etiam levi corripiatur, vel ob adiuncta externa, ut sunt milites ad pugnam vocati vel incolae civitatis ope tormentorum bellicorum obsessae. Inter causas periculi Codex non distinguit.

Quod si postea constet periculum prudenter existimatum revera non adfuisse, de validitate absolutionis non est dubitandum, cum in dubio probabili Ecclesia suppleat.

2. Casus in quibus *recursus* imponitur sunt duo, sc. censurae S. Sedi *specialissime* reservatae et censurae ab homine. Ante Codicem praescribebatur in casu censurae S. Sedi *specialiter* reservatae.

3. Onus recurrendi ipsum paenitentem directe afficit, non confessarium, sed etiam *per confessarium* qui hoc onus suscipere debet, nisi gravi incommodo excusetur.

Confessario in c. 2252 specialis obligatio monendi paenitentem de onere non imponitur; quare haec monitio, haud raro satis difficilis, ipsius prudenti iudicio remittitur. Si paenitens est sacerdos, onus cognoscit vel sine gravi incommodo a confessario moneri potest.

4. *Superior* ad quem recursus praescribitur faciendus ille est qui relate ad censuram competens est.

Casus quo confessarius etiam Regularis necessariam facultatem habeat, rarissimus erit. Quare pro censuris S. Sedi specialissime reservatis saltem ad episcopum speciali facultate praeditum recurrendum erit; Ordinarii enim locorum nonnumquam facultate gaudent per delegatum absolvendi in duobus tribusve casibus. Sine speciali facultate etiam episcopum in hoc casu absolvere et mandata dare non posse, etsi per se planum erat, expresse declaratum est a *Comm. I. C.*, resp. 12 nov. nov. 1922 ad VIII (1).

---

(1) AAS, XIV, 1922, 663. — *Per.*, XI, 184.

5. *Tempus* recursus est intra mensem (« ad normam c. 2254, § 1 ») « postquam convaluerint ».

Convalescere dicendus est qui huiusmodi negotio sine gravi incommodo vacare potest ; quod tempus anxie non est computandum, praesertim si paenitens bene dispositus est. — Quia diximus quosdam in periculo mortis versari non aegrotos, ex analogia iuris recursus iis imponitur intra mensem a tempore quo periculum cessavit.

6. Oneri recursus additur obligatio « *mandatis parendi* ». Dubitare quis possit num haec obligatio sub poena reincidentiae implenda sit, cum verba « sub poena reincidentiae » statim post verbum « recurrendi » ponantur et in phrasi includantur. Affirmativam sententiam, propter clarum S. Sedis responsum, 30 mart. 1892, ad 3, probabiliorem habemus ; in dubio enim a veteri iure non est recedendum (c. 6, 4°) ; negativam sententiam ob ordinem verborum Codicis sua probabilitate carere non negamus (cf. ARREGUI, *Summ. theol. mor.* n. 617).

453. - In casibus ordinariis absolvere possunt (**c. 2253**) :

1° « *A censura non reservata*, in foro sacramentali quilibet confessarius ; extra forum sacramentale quicunque iurisdictionem in foro externo habeat in reum ; »

Invalide egerit qui reum non paenitentem absolverit ; nemo vero dicat eum delicti paenitere qui reparationem moraliter possibilem praestare vel serio promittere nolit, nisi gravius incommodum ferendum sit. — Quia parocho iurisdictio in foro externo in solis casibus iure expressis ordinarie competit, absolutionem extra forum sacramentale, etiam suis subditis, impertire nequit (Contra EICHMANN, *Das Strafrecht*, p. 87).

2° A censura *ab homine*, ille qui censuram per praeceptum particulare inflixit aut sententiam condemnatoriam tulit, eiusve Superior competens, vel successor aut delegatus ad *huiusmodi* censuras tollendas.

Quod ad censuram *ab homine* contractam, delinquens ita iudicis vel Superioris istius subditus manet, ut etiamsi domicilium vel quasi-domicilium alio transtulerit, ab eo tantum vel eius legitimo delegato absolvi possit.

Notandum est censuram illatam per sententiam *declaratoriam* esse a iure non ab homine et censuram per praeceptum datum communitati inflictam non reservari, nisi id in praecepto expresse dicatur (cf. c. 2245, § 4. Supra, n. 442, 1).

3° « A censura *a iure reservata*, ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario*, quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos ; a reservata *Sedi Apostolicae*, haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem, si *reservata speciali modo*, sive denique specialissimam, si *reservata specialissimo modo*, salvo praescripto can. 2254 ».

Post datos supra commentarios, haec facile intelleguntur. — Nota Ordinarios ipso iure absolvere posse in casibus occultis a censuris S. Sedi simpliciter reservatis (c. 2237, § 2). Maiores facultates specialibus indultis generatim conceduntur. Sic Nuntiis competit facultas absolvendi, etiam in foro externo, a censuris iure S. Sedi etiam speciali modo reservatis (cf. facultates Nuntiorum, etc. n. 4. — *Epitome*, I, n. 813). Eadem facultas conceditur Ordinariis in terris missionum (cf. *Epitome*, I, n. 814, 28). Regularibus sua sunt in hac re privilegia, ex iure particulari cognoscenda.

454. - *De absolutione in casibus urgentioribus extra mortis periculum* (c. 2254).

In casibus urgentioribus facultas cuilibet confessario ipso iure conceditur a censura quovis modo reservata immediate absolvendi, sub poena tamen reincidentiae, nisi recursus fiat intra mensem ad Superiorem competentem. Immo, si recursus sit moraliter impossibilis, ipse confessarius mandata proponet, quibus nisi paenitens steterit, in censuram reincidet. Recursus ad Superiorem competentem *semper* imponendus est, si agitur de excommunicatione contracta a sacerdote qui complicem in peccato turpi absolvit.

Hoc canone, paucis mutatis, ius antea vigens confirmatur. Quattuor praesertim explicanda sunt, sc. quinam sint casus urgentiores ; quaenam vis absolutionis ; quaenam condiciones recursus ; quaenam confessarii potestas et officium.

1. *Casus urgentiores* ex ipso Codicis textu habentur :

1° « Si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae ».

Casus erit v. g. si parochus vel vicarius celebrationem missae aut laicus communionem paschalem sine infamia omittere nequeant. — Haec causa casus urgentioris in censuris *l. s.* tantum occurrere potest ; quae enim sunt *f. s.* et *inflictae*, cum publicae sint, in foro externo omnino sunt servandae ; neque iam fama est integra.

2° « Aut si durum sit paenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat. »

Iuxta omnes DD. satis est ut paenitenti durum sit per unum diem in peccato mortali manere. Iamvero, nisi quis in civitate episcopali degat, plerumque saltem per tres dies responsum exspectandum erit ; in recursu vero ad S. Sedem, per decem vel quindecim dies. Ceterum confessarii munus est ut in paenitente excitet horrorem peccati qui moram duram ipsi faciat.

Quisnam sit ille *Superior competens* de quo in canone, opportune quaeritur. Iuxta DD. nemo ad alium quam ad ipsum Superiorem cui censura reservatur, recurrere debebat, etsi alius necessaria facultate gauderet. Sed iam c. 2254 eodem modo de episcopo aliove Superiore competente loquitur. Quare censemus paenitentem in casu urgentiore non versari, si v. g. eodem die recursus ad episcopum vel Nuntium, facultate praeditum, fieri potest.

2. *De vi absolutionis.*

Absolutio data in casu urgenti est *directa*, sed data *sub condicione resolutoria.*

Indirecta poenae absolutio non intellegitur. — Quia absolutio plenum suum effectum statim obtinet, modo paenitens sit rite dispositus, peccata et poena omnino tolluntur ; quia absolutio non est definitiva, sed ad tempus data, si paenitens intra mensem ab ea accepta ad Superiorem vel confessarium competentem non recurrat, censura, non peccata, reviviscit.

3. *De recursu faciendo.*

1° Paenitens debet recurrere oretenus vel per epistolam, per se vel per confessarium.

Grave incommodum sive paenitentis sive confessarii a recursu *per confessarium* eximit, si v. g. difficultas satis magna est ad litteras transmittendas, vel paenitens responsum accipere nequeat quin alii causam eius suspicentur, etc.

Confessarium, nisi iusta causa excusetur, ad recursum pro paenitente faciendum teneri, non est dubium. Id patet e resp. *S. O.*, 5 sept. 1900 (1). Consentiunt Cappello, *De censuris.* p. 34, nota 6 et Sole, *o. c.*, n. 96.

2° *Potest* recurrere ad S. Paenitentiariam vel ad episcopum vel ad alium Superiorem competentem, v. g. Nuntium apostolicum vel ad confessarium facultate praeditum ; *non debet* recurrere ad confessarium facultate praeditum. Recursus ad confessarium in sacramento paenitentiae erit faciendus ; apud illos qui iurisdictione in foro externo gaudent, etiam extra sacramentum fieri potest. Recursus ad confessarium facultate praeditum, etiam misso ad Superiorem recursu, fieri potest ; quo casu, sufficit ut paenitens mandatis confessarii pareat (**c. 2254**, §§ 1. 2).

Iuxta Sole, *o. c.*, in h. c., paenitens qui a confessario non privilegiato absolutus est, debet semper recurrere ad Superiorem competentem, nec sufficit recursus ad confessarium debita facultate praeditum. Id eruit ex resp. *S. O.*, 19 dec. 1900, ad 3, citato tamquam fonte huius canonis in Codice. Sententiam contrariam proponit sine argumento Cerato, *Censurae vigentes ipso facto*, n. 25, §§ 3, 4 et recte, ut opinamur. Quorsum enim tendat recursus ad Superiorem, cuius mandatis iam nullo modo stare debeas ? Nec quisquam miretur Codicem dicere « facto quoque recursu ad Superiorem ». Id quasi necessarium erat, ne putarent per recursum ad Superiorem rem iam non esse integram eiusque mandatis omnino esse parendum. Alii scriptores dubium istud non movent.

3° Recursus debet fieri *intra mensem* a recepta absolutione. Dies receptae absolutionis non computatur. — Si per totum mensem recursus fuerit moraliter impossibilis, paenitens in censuram non reincidit, sed ab obligatione non solvitur ; tempus enim ad urgendam, non ad finiendam obligationem imponitur.

Si cessatio impedimenti non praevideatur, locus erit applicandi ea quae sub eodem canone § 3 dicuntur.

4° Accepto responso, paenitens mandatis stare debet. Si mandata graviter violaverit, probabilius reviviscet censura (cf. supra, n. 452, 6).

4. *De officio et potestate confessarii.*

(1) *Coll. P. F.*, II, n. 2095.

1° Confessarius sine facultate speciali debet monere paenitentem de onere recurrendi et standi mandatis.

Graviter peccaret, sed non invalide absolveret nec ipso facto ab audiendis confessionibus suspenderetur, qui de ista obligatione taceret ; iurisdictione enim in casu urgentiori non caret, sed male utitur.

2° « Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in c. 2367, potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram » (c. 2254, § 3).

Recursus debet esse impervius tum ad S. Poenitentiariam, tum ad episcopum vel Superiorem, non tamen ad confessarium privilegiatum. Etsi enim verba « hic recursus » (c. 2054, § 3) videntur etiam ad § 2 remittere, in qua sermo fit de confessario privilegiato, ex responsis *S. O.* patet recursum ad confessarium privilegiatum non imponi. Recursus moraliter impossibilis est v. g. si probabile periculum est sigilli violandi, si paenitens sit satis ignarus et cum confessario iam non communicaturus praevideatur, etc. — Tunc ipsius est confessarii ea omnia praecipere quibus delictum expietur, scandalum et damna reparentur. Semper excluditur casus sacerdotis qui complicem in peccato turpi absolverit (1).

(1) Modus recurrendi ad S. Paenitentiariam.

BEATISSIME PATER,

Titius (*)... vicarius unum (duos) paenitentem (...s) complicem (-s) in peccato turpi semel (bis, pluries) sacrilege absolvit. Delictorum suorum sincere paenitens, absolutus est per me, infrascriptum confessarium, a censuris et peccatis ad normam c. 2254, § 1. Nunc, ad pedes S. V. humiliter provolutus, profitetur se omnino paratum ad quaecumque mandata exsequenda, quae Sanctitati Vestrae placuerit iniungere et per me transmittere. Et Deus, etc.

NN. confessarius.

(Locus domicilii)

Involucrum inscribitur :

ALL'EMIN. CARDINALE PENITENZIERE MAGGIORE,
Palazzo S. Ufficio,
Roma.

Caput II. - De censuris in specie

455. - Ordo dicendi. Codex, praemissis duobus canonibus introductoriis (cc. 2255. 2256), qui normas et definitiones ad omnes censuras explicandas

(*) Nomen verum ne umquam scribatur.

praebent, tribus articulis accuratam notionem singularum censurarum, sc. excommunicationis (cc. 2247-2267), interdicti (cc. 2268-2277) et suspensionis (cc. 2278-2285) tradit.

INTRODUCTIO. DE CENSURIS IN SPECIE (cc. 2255. 2256).

456. - 1. « Censurae sunt : 1° excommunicatio ; 2° interdictum ; 3° suspensio » **(c. 2255, § 1).**

Iam diximus hanc divisionem a decretali INNOCENTII III, (c. 20, X, *de V. S.*) esse repetendam, quae postea a Doctoribus rite explicata, in C. *Apostolicae Sedis* (12 oct. 1869) minus recte adhibita, nunc perfecte restituitur.

2. *Comparatio* inter tres censuras ex modo quo fideles attingunt et ex natura ipsius poenae in c. 2255, § 2 instituitur.

Excommunicatio reum a communione fidelium per se absolute separat, eumque omnibus spiritualibus auxiliis privat quae nobis mediante Ecclesia procurantur.

Hinc explicabis eam posse attingere *omnes* fideles, sive laicos sive clericos ; nec posse ferri nisi *ad frangendam contumaciam*, et quidem singulorum. Quare « si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint », et singulis paenitentibus, etiam non fracta maioris partis communitatis contumacia, absolutio concedi debet. Excommunicatio est semper *censura ;* proin inferri nequit propter delictum omnino praeteritum.

Interdictum et suspensio privant *usu activo* vel *passivo* quorundam iurium, quibus fideles, sive omnes sive tantum clerici, sive tamquam individui sive tamquam persona moralis, fruuntur.

Hinc *interdictum* attingere potest *omnes* fideles, etiam *indirecte*, i. e. mediante territorio, in quo celebratio quorundam officiorum vel administratio sacramentorum prohibentur ; ferri etiam potest in personam *moralem*, ut insontes a reis recedant vel eos instanter ad resipiscentiam provocent. Interdictum est vel *censura* vel *poena vindicativa ;* aptum enim est medium reparandi publica et gravia scandala. *Suspensio* non afficit nisi clericos, at etiam personas morales quae iura spiritualia exercent, et ferri potest tamquam poena vindicativa.

Interdictum et suspensio « in dubio praesumuntur esse censurae ». Censura enim difficilius incurritur et facilius remittitur. — Praecipuum signum quo poena vindicativa a censura discernetur, erit addita indicatio temporis definiti (v. g. ad sex menses ; in perpetuum) vel indefiniti (ad beneplacitum nostrum), dum absolutionem a censura ultra sinceram resipiscentiam differre non licet.

Sub veteri iure exemplum excommunicationis ad tempus « in duobus mensibus » reperitur c. 24, D. 86.

Quia poenae ecclesiasticae usum divinorum officiorum vel ius ad quosdam actus publicos ponendos tollunt, Codex eorum definitionem tradit, quae in « canonibus qui sequuntur », i. e. in applicatione poenarum stricte est servanda.

457. - *Quid sint divina officia.*

« In canonibus qui sequuntur :

« 1° Nomine divinorum officiorum intelleguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt » (c. **2256**, 1°) ;

Quare divinum officium non obit qui sacro inservit, qui contionatur, qui in choro vel in processione, etiam toga indutus, psalmos vel sacros hymnos cantat, etc.

458. - *Quid sint actus legitimi.*

« 2° Nomine autem actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur : munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum ; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis ; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis ; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis ; ius patronatus exercere » (ibid., 2°).

Nota munus *testis*, sive in matrimonio sive in iudicio, inter actus legitimos non recenseri. Ab eo igitur infames, saltem hoc titulo, excludendi non sunt.

Art. I. - De excommunicatione

Scriptores : (1) D'ANNIBALE, *Summula*, I, n. 360, ss. — HILARIUS A SEXTEN, O. M. C., *Tractatus de censuris ecclesiasticis*, §§ 8. 9. — HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 45, ss. — LEGA, *De delictis et poenis*, nn. 153-167. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, VI, nn. 179-199. — Cf. CAPPELLO, S. I., *De censuris*, n. 32, ss. — EICHMANN et SOLE, in h. cc.

I. NOTIO EXCOMMUNICATIONIS

459. - **C. 2257.** — § 1. Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt ».

« § 2. Dicitur quoque *anathema*, praesertim si cum sollemnitatibus infligatur quae in Pontificali Romano describuntur. »

1. Potestas excludendi fideles a communione fidelium iis Superioribus iure proprio competit qui a Christo duces suae Ecclesiae constituti sunt, i. e. S. Pontifici et episcopis. Haec facultas aliis Superioribus a prioribus concedi potest, ordinaria vel speciali concessione. Hanc poenam contumacibus esse infligendam praecipit ipse Christus Dominus (Matth. XVIII, 15, ss.). — Praxis excommunicationis in Synagoga vigebat, cuius modum procedendi Ecclesia mutuari potuit.

2. Ante C. *Apostolicae Sedis*, distinguebant excommunicationem *maiorem* et *minorem*. Minorem contrahebant qui cum excommunicatis vitandis illegitimum commercium fovebant. Eius effectus *fere* ad privationem sacramentorum restringebatur ; et absolutio a quolibet

(1) In hac parte, scriptores veteres pluribus locis indicantur, quia alii alio ordine hanc materiam tractant.

sacerdote saltem ad curam animarum approbato, impertiri poterat. Suppressa saltem tamquam poena l. s. in C. *Apostolicae Sedis* (cf. resp. *S. O.*, 5 dec. 1883). in Codice silentio premitur. Quare haec distinctio saltem nunc e iure omnino sublata est.

3. *Communio fidelium* distingui potest interna et externa aut, ut quidam volunt, mere externa et mixta.

Interna ea est qua omnes ii qui gratiae participes membra sunt Christi et in illo uniti alii pro aliis orare et satisfacere possunt. *Mere externa* vocari potest communio in actibus mere civilibus. Externa vel *mixta* est unio in societate visibili et perfecta seu in corpore Ecclesiae, qua fimus participes omnium bonorum quae ipsi a Christo sunt commissa.

Communio interna sicut ab Ecclesia concedi nequit, ita nec auferri potest. Prohibitio communicationis in vita civili immediate et per se in excommunicatione non includitur, etsi eius partem a primaeva Ecclesiae aetate constituerit. Ecclesia ergo privat excommunicatos iis bonis quae sibi a Christo commissa, per suum ministerium fidelibus procurantur. Istud autem est excommunicationis proprium quod reus a communione fidelium totaliter *(effectus separari nequeunt)* excluditur.

4. Vox *anathema* ex versione septuagintavirali (Num. 21, 3) desumpta, in N. Testamentum transiit et significabat rem destructioni destinatam. Adhibetur in decretis Conciliorum contra eos qui definitiones dogmaticas negant (Sic in Trid., in Vatic.). — Sollemnis excommunicatio describitur in Pontif. Romano, sub titulo : « *Ordo excommunicandi et absolvendi.* »

II. DIVISIONES

460. - 1. « Excommunicati alii sunt *vitandi*, alii *tolerati* » (**2258**, § 1).

Distinctio inter excommunicatos vitandos et toleratos a MARTINO Pp. V (C. *Ad evitanda*), anno 1418 inducta est (1). Ex iure anteriore, omnis excommunicatus erat vitandus, i. e. ab omni communione etiam civili cum fidelibus excludendus. Tempore magni schismatis adeo auctus est numerus eorum qui ob leges vel praecepta a fautoribus unius vel alterius partis lata excommunicati erant, ut, ad evitanda scandala et conscientias pacandas, MARTINUS V vitandos eos tantum edixerit qui nominatim vel publice sententia iudiciali aut tamquam notorii clericorum percussores erant excommunicati. — Dictum est supra n. 459, 2, quomodo ex hac divisione orta sit alia sc. in excommunicationem *maiorem* et *minorem*. Codex doctrinam communem de hac distinctione resumit, complet et perficit.

(1) De discrimine inter textum authenticum et receptum istius Constitutionis cf. WERNZ, *o. c.*, VI, n. 181, nota 216.

2. « Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1 » (c. **2258**, § 2), iuxta quem « Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit excommunicationem contrahit latae sententiae S. Apostolicae specialissimo modo reservatam ; et est ipso facto vitandus ».

Codex tres condiciones requisitas accurate enumerat, ut quis ob sententiam excommunicationis vitandus sit. Sententia debet proficisci a *S. Sede*, *publicari* i. e. plerumque in AAS. inseri, et obligationem vitandi reum *expresse indicari*. C. 2343, § 1, n. 1 maxime restringit ius antea vigens de clericorum percussoribus.

Excommunicati *vitandi* declarantur in decreto *S. O.*, 5 Dec. 1906 (cf. *Per.* III, p. 218 vel 171) ; in decr. *S. O.*, 22 mart. 1909 (AAS. I, 1909 p. 276) ; in decr. *S. O.*, 8 nov. 1922 ; non dicitur vitandus in decreto *S. O.*, 14 ian. 1921 (AAS, XIII, 1921, p. 42) ; neque in decr. *S. C. C.*, 24 oct. 1922 (AAS, XIV, 1922, 594).

3. Quod ad effectus excommunicationis, Codex hanc divisionem perfecit addendo tertiam classem, nimirum eorum quorum excommunicatio sententia iudiciali declarata vel inflicta est.

Qua divisione, legislator simul rationem habet tranquillitatis conscientiae ob facilem poenae cognitionem, scandali reparandi, cum poena in notorios excommunicatos gravior feratur, et hodierni status societatis, in qua commercium civile cum omnibus saepe necessarium est. — Quas distinctiones in favorem fidelium non excommunicatorum institutas esse, ad praxim probe notandum est.

4. In explicandis effectibus excommunicationis, hanc divisionem sequemur quo clarius innotescat quinam actus in singulis casibus liciti vel validi sint.

III. DE EFFECTIBUS COMMUNIBUS EXCOMMUNICATIONIS

461. - *De iure participationis in divinis officiis.*

1. « Excommunicatus quilibet caret iure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei » (c. **2259**, § 1).

Excommunicatus privatur *iure* assistendi divinis officiis ; assistere non prohibetur nec *directe* obligatione assistentiae Sacro eximitur. Etsi a communicatione suffragiorum Ecclesiae excluditur, fructu sacrificii, modo sit in statu gratiae, non omnino privatur ; quare praeceptum de audiendo Sacro relate ad eum sua ratione non caret eique excommunicatus occultus satisfacere debet. Si excommunicatio est publica, non debet assistere cum periculo eiectionis ; praeceptum enim est mere ecclesiasticum et alia lege ecclesiastica ab officio implendo removetur. Ipsis Codicis verbis solvitur disputatio olim inter auctores vigens num excommunicato tolerato divinis officiis assistere liceret (cf. D'ANNIBALE, *Summula*, I, 362, nota 19 ; LEHMKUHL, *Theol. mor.* II, n. 1136).

Assistentia praedicationi verbi Dei a reliquis prohibitionibus semper excepta fuit ; neque enim est officium divinum, et verbum divinum est utilissimum vel quandoque necessarium medium ad peccatores in viam salutis reducendos.

2. « Si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur » (c. **2259**, § 2).

Confirmatur disciplina mitior quae iam a sat multis annis vigebat et praeclaros defensores habebat. Assistentia enim *passiva* divinis officiis, nisi in signum contemptus fiat, ad convertendos animos plurimum valet.

3. Immo toleratus cuius excommunicatio sententia iudiciali non sit prolata, *non iubetur* ab assistentia activa excludi.

Haec tolerantia ad vitanda scrupulos aut periculum scandali vel imprudentis diffamationis opportune statuitur. Quod lege ecclesiastica toleratur, lege naturali vetari potest, v. g. si clericus, cuius excommunicatio publica sit, cum scandalo participationem in celebrandis divinis officiis habere permittatur. — Quare qui notorie, notorietate facti, excommunicatus esset, iure dicitur a Sole (*o. c.*, n. 215) excludendus.

462. - *De receptione sacramentorum, sacramentalium ac participatione sepulturae ecclesiasticae* (**c. 2260**).

Nemo excommunicatus sacramenta *licite* recipere potest. *Valide* tamen sacramenta recipit, excepto sacramento paenitentiae ad quod male dispositus accesserit. — Toleratus, nisi notorie in excommunicatione mortuus sit, sepultura ecclesiastica non est *hoc titulo* privandus (cf. c. 1240). Receptio seu usus passivus sacramentalium non prohibetur eis quorum excommunicatio non est per sententiam saltem declarata.

463. - *De usu activo sacramentorum.*

1. « Prohibetur excommunicatus licite sacramenta et sacramentalia conficere et ministrare, salvis exceptionibus quae sequuntur » (**c. 2261**, § 1).

Confectio vel administratio erit *valida*, si excommunicatus ordinem necessarium receperit et, in sacramento paenitentiae, iurisdictione non careat. Iam vero excommunicatio, ante sententiam iudicis, iurisdictione non privat, ut mox explicabitur (cf. c. 2264).

2. Ubi *sententia* excommunicationis deest, « fideles, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi » (ibid., § 2).

Iusta, non gravis, causa requiritur, qualis erit maturior baptismi collatio, dubium de gravitate peccati deponendum, intentio cum maiori animi puritate ad S. Synaxim accedendi, intentio etiam saepius communicandi, etc.

Petitio ex parte fidelium *implicita* sufficit. Ita cum plures singulis sabbatis et, mane, diebus dominicis sacramentum paenitentiae recipere soleant et in hebdomada communicare, sacerdos praesertim occulta excommunicatione irretitus, ad audiendas confessiones vel distribuendam S. Communionem se paratum sponte ostendere potest (Cf. Hilarius a Sexten, *Tractatus de censuris*, p. 56).

Addit Codex : « *maxime si alii ministri desint* ». Sublata ergo anxietate petendi sacramenti ab excommunicato, insinuatur obligatio caritatis qua tenemur, sine nimio incommodo, ne actione nostra alium, etiam ob eius malam voluntatem, in periculum peccati inducamus.

De peccato loquimur quod excommunicatus, nisi contritione perfecta statum gratiae recuperaverit, ex confectione vel administratione sacramenti in statu peccati committeret.

464. - *Exclusio a communibus Ecclesiae suffragiis.*

« Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum » (c. 2262, § 1).

1. De *indulgentiis*, cf. *Epitome*, II, 200. — *Suffragia*, dicta a votis scrutinii, designavit intentiones et orationes in spirituale fidelium subsidium oblatas. *Communia* suffragia, quibus solis excommunicati privantur, « ex sacrificio missae totius Ecclesiae nomine oblato, ex publicis ministrorum officiis et orationibus, ex publico et communi thesauro satisfactionum Ecclesiae per indulgentias Praelatorum auctoritate applicatas fidelibus provenire solent » (Wernz, *o. c.*, VI, n. 188). Prout in canone ab indulgentiis et publicis Ecclesiae precibus distinguuntur, designant thesaurum precum et meritorum Ecclesiae quae ab ea fidelibus per modum impetrationis et satisfactionis applicantur (cf. Ferraris, *Bibl. canon.*, v° Suffragia) — *Publicae Ecclesiae preces* eae sunt quas ministri ab Ecclesia deputati seu eius nomine Deo offerunt, sc. divinum officium, processiones rubricis praescriptae, preces quae in Sacrificio missae a sacerdote recitantur, etc. *Privatae* preces sunt quas laici vel clerici proprio nomine fundunt.

2. Omnis excommunicatus privatur hac meritorum et precum communione, in quantum mediante Ecclesia fidelibus proveniunt. Excipitur, non tamen omnino, Sacrificium missae. Etenim Codex sic pergit :

3. « Non prohibentur tamen :

« 1° fideles privatim pro eo orare ;

« 2° sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare ; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum » (c. 2262, §. 2).

Denuo Codex controversiam satis intricatam de applicatione Sacrificii missae excommunicato paucis verbis solvit. Sacerdos enim potest pro omnibus excommunicatis Sacrificium missae offerre : tres tantum restrictiones ponuntur — una moralis, duae canonicae. « *Remoto scandalo* », quia acceptationem stipendii vel ipsam Sacrificii celebrationem tam reus quam alii tamquam favorem contumaci concessum vel sordidum pecuniae negotium considerare possint. Sacerdos S. Sacrificium *privatim* applicat per intentionem specialem quae ab eius arbitrio pendet ; *publice* offert in quantum nomine Ecclesiae Sacrum litat. Quaedam ad publicam oblationem *per accidens* referuntur, ut sunt nuntiatio intentionis ex pulpito, qua fideles ad communem pro intentione orationem invitantur ; enuntiatio nominis episcopi vel principis in Canone. Iamvero, si de vitando agatur, etiam particularem intentionem missae concedere sacerdoti non licet, nisi *pro conversione* excommunicati. Itaque Codex verbo « privatim » recte enuntiat quod scriptores quidam ambigue vel falso verbis « tamquam persona privata » exprimebant ; sacerdos enim, dum sacrum litat, personam publicam necessario agit (cf. Lehmkuhl, II, n. 243 — Gasparri, *De Eucharistia* I, n. 483.)

Acatholici ab applicatione *privata* missae nullo modo excluduntur ; *sollemnis* applicatio ob scandalum fere semper erit vitanda. Pro acatholicis mortuis, si bona fide praesumuntur, non vetatur privata missae applicatio, etsi de efficacia dubitant ; sollemnis applicatio omnino prohibetur. Ita Gregorius XVI, resp. 9 iul. 1842 negavit licere

pro regina Bavariae in haeresi mortua sollemnem missam celebrare, etiam includendo eam « in omnibus defunctis huius familiae ». Cf. quoque resp. *S. O.*, d. 19 apr. 1837 de Sacro quod pro schismatico celebretur.

465. - *De exclusione ab actibus legitimis* (c. 2263).

« Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis iure definitos ; nequit in causis ecclesiasticis agere nisi ad normam can. 1654 ; prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui. »

Excommunicati, ut ex collato c. 1654 patet, quos nulla *sententia* afficit, per se agere in iudicio non prohibentur. Prohibitio exercendi officia iam sequitur ex prohibitione assistendi active divinis officiis (c. 2259) et exercendi potestatem sive ordinis (c. 2261) sive iurisdictionis (c. 2264). Ex c. 2232, excommunicatus occultus cessatione ab officio vel munere se infamare non debet. Notandum videtur excommunicatum privilegiis iam concessis non spoliari, sed usu seu fructu privilegiorum prohiberi. Ita excommunicatus, durante censura, privilegio oratorii privati uti non poterit, quo tamen non spoliatur.

466. - *De exercitio iurisdictionis* (c. 2264).

« Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est illicitus » ; sed non est invalidus, quando excommunicatio non est iure notoria. Immo erit licitus usus iurisdictionis, si ob iustam fidelium petitionem, sive explicitam sive implicitam, ponatur (c. 2261, § 2) ; in periculo mortis, usus non est tantum licitus, sed etiam, si alii ministri desint, caritate graviter praeceptus.

467. - *De collatione vel receptione officii*, etc.

1. « Quilibet excommunicatus :

« 1° prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi ;

« 2° nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia ;

« 3° promoveri nequit ad ordines » (c. 2265, § 1).

Electio, praesentatio, nominatio sunt actus quibus Superiori candidatus officio vel beneficio conferendo proponitur (cf. *Epitome* I, 210, ss. II, 776, ss.) — *Dignitas* dicit ius praecedentiae, cui, saltem olim, quaedam iurisdictio in foro externo addebatur.

De *officiis*, cf. c. 145 (*Epitome*, I, 208), de *beneficiis*, cf. c. 1409 (ibid. II, 742) ; de *pensione*, cf. *Epitome*, I, 191.

2. Omnes isti actus *valide*, etsi illicite, ponuntur, dummodo excommunicatio iure notoria ne sit vel excommunicatus ne sit vitandus (c. 2265, § 2).

IV. DE EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS IURE NOTORIAE

468. - Excommunicatio iure notoria est, postquam *sententia* iudiciali declarata *(declaratoria)* vel inflicta *(condemnatoria)* est.

Excommunicatus iure notorius omnibus prohibitionibus huc usque explicatis subiacet. Haec addenda sunt :

1° Si quam participationem in *celebrandis* divinis *officiis* habere voluerit, est repellendus.

Immo hoc valet quoque de eo cuius excommunicatio *facto* notoria est (c. 2259, § 2).

2° Non potest *recipere sacramentalia* (c. 2260, § 1).

Usus eorum fiet invalidus, ratione c. 2262, qui omnem excommunicatum a suffragiis Ecclesiae excludit.

3° Ecclesiastica *sepultura* privandus est, nisi ante mortem signa paenitentiae dederit (cc. 2260, § 2 ; 1240, § 1, n. 2. Cf. *Epitome*, II, 549, 2°).

Ecclesia sepultura eius violaretur (c. 1172 § 1, 4°) nec ante cadaveris remotionem, nisi grave incommodum obstaret, reconciliari posset (c. 1175). Cf. *Epitome* II, 489, 2, d. Praeterea « qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae » huiusmodi excommunicatos, « contrahunt excommunicationem l. s. nemini reservatam ; sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum » (c. 2339) Cf. infra comment. in h. c.

4° *Illicite conficit* vel *ministrat sacramenta*, excepto mortis periculo, in quo sacramentum paenitentiae semper, alia sacramenta et sacramentalia, tantum si alii ministri desint, conficere vel administrare potest (c. 2261 § 3).

5° Prohibetur ab *agendo* (coram tribunali) *per se* ipse, nisi ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis ; etiam per *procuratorem*, nisi agatur de praeiudicio animae avertendo (cf. supra, n. 79).

6° Omnis *actus iurisdictionis invalidus* est, exceptis casibus sub 4° propositis (c. 2264).

Confessarius invalide absolvit ; clericus invalide dispensat, etc. Ubi tamen error communis viget, Ecclesia supplet (cf. c. 209).

7° *Suffragium* ad collationem officii, beneficii, etc. et ipsamet *consecutio* ad normam c. 2265, § 1 sunt invalida (c. 2265 § 2). Immo, si excommunicatus iure notorius ad suffragium in electione ferendum *scienter* fuerit admissus, ipsa electio est nulla. Secus valida vel nulla est, prout, dempto excommunicati suffragio, numerus suffragiorum requisitus obtinetur vel non (c. 167, § 2).

Sequitur omnes actus positos ab eo qui sic est praesentatus, electus, etc., si veram potestatem requirant, per se nullos esse. — V. g. invalida fuerit alienatio bonorum ecclesiasticorum, cui, tamquam Superior, ipse consensum ad validitatem necessarium dederit ; professio religiosa, quam receperit ; etc. Si error communis exsistat, hi actus ex suppleta potestate ab Ecclesia validi essent (Maroto, *Institutiones*, I, n. 694). De hac sententia, cf. *Epitome*, I, n. 274.

8° Reus « manet *privatus fructibus* dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia » (c. **2266**).

Codex severiorem disciplinam hoc canone innovat ; ex veteri iure censebant sententia *declaratoria* excommunicatum fructibus dignitatis, etc. non privari. Cum canon dicat : « post sententiam... privatus manet », privatio ad tempus delicti commissi non retrotrahitur.

V. DE EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS « VITANDI »

469. - 1° *Excommunicatus* vitandus *repellendus* est, si velit assistere, sive passive sive active, *divinis officiis*, excepta praedicatione verbi divini. — Si repelli nequeat « ab officio est cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo » (c. 2259).

Si vitandus exire nolit et expelli nequeat, sacerdos, Canone non incepto, Missam abrumpere debet ; incepto Canone et non facta consecratione, potest, at non debet, pergere ; post consecrationem, pergere debet usque ad secundam ablutionem, reliqua in alio loco decenti et ecclesiae contiguo perfecturus. Cf. S. ALPH. *Theol. mor.* VII, n. 177. — Reliqui vero assistentes, excepto ministro, a tempore quo pertinax vitandi praesentia eis manifestatur, abire debent.

2° Iisdem subiacet prohibitionibus vel privationibus atque excommunicatus per sententiam, relate ad *sacramentalia*, *sepulturam* ecclesiasticam (c. 2260), confectionem vel administrationem *sacramentorum* et *sacramentalium* (c. 2261), communicationem *indulgentiarum* et *suffragiorum* (c. 2262) ; remotionem ab *actibus legitimis* (c. 2263) ; *iurisdictionis* possessionem vel usum (c. 2264) ; iura conferendi vel recipiendi *officia*, etc. (c. 2265) ; privationem *fructuum* dignitatis, etc. (c. 2266).

3° Post sententiam manet *privatus* « ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere » (c. 2266).

Privatio ad tempus delicti commissi non retrotrahitur.

4° « *Communionem in profanis* cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset » (c. **2267**).

Actus vitae civilis qui cum vitandis poni prohibentur, in glossa ad v. *aliis*, c. 3, V, 11 in VI° ita indicantur : « Os, orare, vale, communio, mensa negatur ». *Orare* privatas preces designat ; *communio*, commune domicilium, negotia. — Motiva quae communionem civilem excusabant in glossa ad v. *excommunicationis*, c. 15, X, V, 39 sic proponebantur : « Utile, lex, humile, res ignota, necesse ». *Utile* omne commodum alicuius momenti significabat ; *lex*, unionem coniugalem ; *humile*, dependentiam, famulatum ; *res ignota*, ignorantiam excommunicationis in certo loco ; *necesse*, omnem necessitatem. Ob modum loquendi Codicis, lata horum adiunctorum interpretatio facienda est. Ut patet, permittitur tantum ea communio quae ipsi delicto excommunicati non faveat. Excommunicationem enim l. s. contrahit qui impendit quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit (c. 2338, § 2).

Prohibitionem c. 2267 non violet qui praelectiones excommunicati vitandi de re profana ad periculum scientiae parandum audiat ; custos bibliothecae publicae

qui ipsi libros commodet ; persona quae habitationem locet ; mercatores qui res ad victum vel vestitum necessarias vendant ; qui communi prandio cum ipso assistat ; etc. Attamen quaedam actiones per se licitae, propter scandalum, omittendae forte erunt. Quod ex adiunctis est diiudicandum.

Art. II. - De interdicto

Scriptores : d'Annibale, *Summula*, I, n. 372, ss. — Hilarius a Sexten, O. M. C., *Tractatus de censuris ecclesiasticis*, § 13, ss. — Hollweck, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 51, ss. — Lega, *De delictis et poenis*, n. 168, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n, 261, ss. — Cf. Cappello, Eichmann, Sole, in h. cc.

470. - **Interdictum,** prouti censura est, privat delinquentes, donec sincere paenitentes veniam implorent, licito usu activo vel passivo quorundam sacrorum quae omnibus iure competunt. Huiusmodi prohibitio personas, sive physicas sive morales, directe vel, mediante territorio, indirecte, afficere potest. Tum quia in interdicto praesertim locali innocentes simul cum reis privationem sentiunt, tum quia de ambitu variarum formarum interdicti non una controversia vigebat, effectus istius poenae, accurate determinandi fuerunt. En triplex obiectum huius articuli, sc. notio, divisiones et effectus interdicti.

471. - I. *Notio.* 1. « Interdictum est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris quae in canonibus, qui sequuntur, enumerantur » (c. **2268**, § 1).

Quia fideles a communione Ecclesiae non excludit, interdictum ab excommunicatione essentialiter discernitur, a suspensione vero, quia laicos et clericos afficere potest. *Sacra* quibus fideles privat, sunt divina officia, sepultura ecclesiastica, quaedam sacramenta et sacramentalia. Interdicto numquam fuit prohibita praedicatio verbi Dei, qua vitatur amissio fidei, animus innocentium fovetur, rei ad officium reducuntur.

Interdictum potest esse poena vindicativa, v. g. si ad tempus fertur.

2. « Prohibitio fit vel directe per interdictum personale, cum personis ipsis usus eorum bonorum interdicitur ; vel indirecte per interdictum locale, cum certis in locis eorundem dispensatio vel perceptio vetatur » (ibid., § 2).

Haec censurae forma videtur profecta ab excommunicatione complicibus delinquentis inflicta, ut ex communi nomine ante saec. VIII vel IX adhibito et ex ipsa rei natura apparet. Etsi per se poena multo minor quam excommunicatio est, primis medii-aevi saeculis tanto rigore infligebatur, ut vitam ecclesiasticam omnem e loco tolleret. Eius praecipuus *finis* erat superbam praepotentium reorum contumaciam frangendi vel commune coetuum delictum puniendi, privationibus quae omnes illos afficerent qui in reos influxum materialem vel moralem exercere possent. *Iusta* privatio haec est quae, dum reos in poenam afficit, insontibus ob *gravem* causam auxilia non omnino necessaria ad tempus minuit vel subtrahit. Quia tamen saepius nimio rigore ab episcopis fuerat adhibitum, ita ut ipsam baptismi administrationem per annos prohiberent, interdictum praesertim locale et generale ad fines satis artos a RR. Pontificibus reductum est. Exempla interdicti localis generalis saltem a saec. VI° documentis commemorantur (Cf. Greg. Turon., *Hist. Francorum*, VIII, 31), et saec. XX°, non omnino defuerunt (cf. AAS., I, 1909, p. 765 ; V, 1913, p. 517). — De his cf. Kober, *Das Interdikt. Arch. f. Kath. KRecht*, t. 21, p. 3, ss. — Hinschius, *System des Kath. KRechtes*, IV, p. 804.

472. - II. *Divisiones.*

Interdictum dividitur :

1° Ratione modi *applicationis,* in personale et locale, prouti numero praecedenti est explicatum.

2° Ratione *ambitus* seu extensione in generale et particulare.

Generale est quod ad omnia loca etiam profana, ad omnia altaria, aut oratoria et ecclesias paroeciae, ad omnes personas communitatis extenditur ; *particulare,* quod in loca determinata vel in singulas personas fertur.

Viguit sub iure vetere interdictum *mixtum* seu *ambulatorium,* quo directe persona, indirecte omnia loca ubi versaretur, afficiebantur, vel etiam loca afficiebantur occasione praesentis personae. Tali interdicto plectebantur principes concubinarii (INNOCENTIUS III, *Epist.* l. II, 97) vel varia loca in quibus episcopus libertate iniuste privatus detinebatur (Conc. Colonien. a. 1266).

473. - *De Superiore competenti.*

Sola S. Sedes, per se vel per delegatum specialem, ferre potest interdictum generale in omnia loca vel omnes personas territorii paroecia maioris.

Ex praxi iam ante Codicem vigente, merito dubitabatur num episcopis competeret facultas ferendi interdictum generale in totam dioecesim ; atque ex c. 2269, § 1 haec gravissima poena inter causas maiores recensetur, quae R. Pontifici reservantur (cf. WERNZ, *o. c.*, VI, n. 221). — Ordinarii Regulares, etsi vi iurisdictionis interdictum infligere possunt, cum tamen haec iurisdictio personalis, non localis sit, in ecclesiis sibi subditis interdictum apponere non valent, iuxta S. C. *EE. et Reg.*, d. 21 iun. 1679. WERNZ, *l. c.*, n. 220, nota 497 hanc restrictionem saltem ex consuetudine vigere asserit.

III. *De effectibus interdicti.*

A. IN GENERE

474. - « Interdictum personale sequitur personas ubique ; locale non urget extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes, etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent » (c. **2269**, § 2).

Nemo vetatur e loco exire, ut sacris frui possit ; reis tamen exitus e loco non proderit, cum sint generatim personaliter interdicti.

B. IN SPECIE

475. - 1. Quod ad effectus in specie, (c. **2271**) quinque formae (cc. **2272. 2273**) interdicti considerandae sunt, sc. interdictum locale generale aut particulare, personale generale (c. **2274**) aut particulare (c. **2275**), interdictum ab ingressu ecclesiae (c. **2277**). Canon **2276** condicionem eorum definit qui insontes interdicto generali afficiuntur. — In hac materia, quae raro ad praxim deducitur,

praecipua elementa poenae cum brevi commentario exponemus, lectorem quod ad cetera ad Codicem remittentes.

2. Interdicto *locali* prohibentur omnia sollemnia quae ad sacrificium Missae vel sacramentorum administrationem non stricte requiruntur ; et maxime restringitur facultas celebrandi publice Missam ; qui *personali* interdicto subiacent, excommunicatis in multis prohibitionibus assimulantur.

476. - 1. Etiam quando interdictum locale generale sine expressa restrictione fertur, non prohibentur omnia sacra, omni tempore et loco, relate ad omnes personas.

1° Morientibus semper licet sacramenta et sacramentalia ministrare, sed viaticum privatim defertur et campanae non pulsantur (c. **2270**, § 1).

2° « In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et Beatae Mariae Virginis in coelum assumptae interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio » (ibid., § 2).

Eugenius IV, C. *Excellentissimum*, d 26 maii 1433, exceptionem ad totam Corporis Christi octavam extenderat. In Hispania, ex privilegio a Leone X concesso, diebus exceptis additur festum Immaculatae Conceptionis.

3° Omnes clerici non personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus *privatim* obire possunt « ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis » (c. **2271**, 1°).

Fideles non personaliter interdicti, iuxta Reiffenstuel, *Ius can. univ.*, l. V, t. 39, n. 209, his officiis assistere possunt, quod acriter et, multis allatis argumentis, negat Kober, *Arch. f. Kath. KRecht*, t. 21, p. 310, ss. — Codex hanc assistentiam explicite non prohibet, sed verba « ianuis clausis » prohibitionem implicitam continent, si veteres iuris commentatores sequi velis. Nunc quaestio minoris momenti facta est, quia saltem in una ecclesia fideles sacro assistere et sacramenta recipere possunt.

4° In ecclesia cathedrali, in omnibus et solis ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae in loco unica sit, licet celebrare semel quotidie Missam lectam et administrare omnia sacramenta, vetita qualibet sollemnitate (c. 2271, 2°).

477. - Personaliter interdicti prohibentur (c. **2275**) : 1° assistere passive vel active divinis officiis. Si partem in iis celebrandis sumere velint, omnes notorie interdicti sunt repellendi ; quae obligatio gravis est (cf. c. 2338, § 3).

2° Sacramenta vel sacramentalia ministrare, conficere et recipere.

Eaedem exceptiones quae pro excommunicatis cc. 2260-2261 statuuntur, hic repetuntur.

3° Iure cooperandi ad provisionem officiorum, etc. vel eadem consequendi, ad normam c. 2265.

4° Sepultura ecclesiastica, ubi interdictum est iure notorium.

478. - *De interdicto ab ingressu ecclesiae.*

« Interdictum ab ingressu ecclesiae secum fert prohibitionem ne quis in ecclesia divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat ; si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur » (c. **2277**).

Haec est forma mitior interdicti personalis, quo laici quoque puniri possunt. Adhibetur v. g., contra quosdam violatores ecclesiae vel coemeterii (c. 2329), contra eos qui interdictos ad celebrationem sacrorum admittunt (c. 2338, § 3), etc.

Art. III. - De suspensione

Scriptores : D'ANNIBALE, *Summula*, I, n. 379, ss. — HILARIUS A SEXTEN, O. M. C., *Tractatus de censuris ecclesiasticis*, § 10, ss. — HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 59, ss. — LEGA, *De delictis et poenis*, n. 182, ss. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n. 200, ss. — Cf. EICHMANN ET SOLE, in h. cc.

479. - **Ordo dicendi.** Suspensio est censura qua clerici iuribus sui status propriis partim vel totaliter privantur. Cum iura quaedam a clericis collegialiter exerceantur, nec repugnet personam moralem collegialem delinquere, suspensio in communitatem ferri potest. Quare data notione suspensionis (c. 2278), variae formae prohibitionum in suspensione individuali clare definiuntur (cc. 2279-2281). Dein agitur de competentia Superioris suspendentis (c. 2282) ; tum de iis actibus, quorum prohibitio invaliditate sancitur (cc. 2283-2284) ; tandem de suspensione in communitatem lata (c. 2285).

480. - I. *Notio.* « Suspensio est censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur » (c. **2278**, § 1).

Suspensio *per se* actus ordinis, iurisdictionis vel administrationis mere *prohibet*, non irritat, si paucos excipias ; solos *clericos*, sive singulos sive collegialiter sumptos, afficit et *directe*, non mediante territorio. Ex c. 2255, § 2, scimus hanc prohibitionem ad modum quoque poenae vindicativae ferri posse. Minus stricte dicitur suspensio prohibere solum usum *activum* iurium seu bonorum quae clericorum propria sunt (SOLE, in h. c.), cum quaedam suspensiones *receptionem* quoque ordinis vel dignitatis, officii, etc. prohibeant (cf. c. 2279, § 1, 5° ; 2283).

481. - II. *Divisio.* Suspensio potest esse *generalis* vel *partialis ;* etenim « etiam suspensionis effectus separari queunt » (cf. c. 2278, § 2).

Generalis dicitur suspensio ab officio et beneficio, ita ut omnes effectus infra recensendos simul comprehendat.

Partialis est suspensio ab officio vel a beneficio aut ab exercitio totali vel partiali potestatis ordinis vel iurisdictionis.

Si in sententia suspensionis nulla restrictio exprimatur, censetur generaliter lata. Quia suspensio, saltem quando ab Ordinariis fertur, plerumque partialis est, et non paucae inter DD. controversiae de

ambitu variarum suspensionis formarum agitabantur, Codex omnes istas formas accurate definivit.

III. *De effectibus suspensionis.*

482. - *De suspensione totali ab officio.*

« Suspensio ab officio simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii » (**c. 2279**, § 1).

Hac suspensione vetatur quis illos actus ponere quos *vi* potestatis ordinis exercet, non autem eos qui a laicis quoque poni possunt, ut est officium acolythatus. De modo interpretandi prohibitionem usus iurisdictionis, cf. subsequentem numerum.

483. - *De effectibus suspensionis partialis ab officio* (c. 2279, § 2).

« Suspensio :

« 1° *A iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae ; »

Quaerat quispiam quomodo hic potestas iurisdictionis intellegenda sit, num « latissime... et in tota sua amplitudine » cum Suarez (*De censuris*, 26, 4, 19) et Sole, *o. c.*, n. 252, an stricte cum d'Annibale (*Summula*, I, n. 380, nota 13). Si primum dixeris, episcopus suspensus ab officio non potest dimissorias concedere, nec parochus baptismum, Viaticum, extremam-unctionem, etc., sollemniter conferre etc. ; haec enim eis reservantur qui iurisdictione potiuntur. Nobis benignior sententia admittenda videtur. Etenim « in poenis benignior est interpretatio facienda » (c. 2219, § 1) ; quare poenae strictam interpretationem recipiunt. Iamvero administratio sollemnis baptismi, Viatici, extremae-unctionis sensu omnino lato ad iurisdictionem pertinet, cum parochus iurisdictionem in foro externo ex officio nullam habeat nisi quam explicite ius concedit, sed illi sunt actus administrationis spiritualis seu potestatis oeconomicae, parochi propriae.

« 2° *A divinis*, omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet ; »

Sacra ordinatio est qua maior ordo confertur. — Administratio *sollemnis* baptismi est actus potestatis ordinis per meram ordinationem receptae (cc. 738-741) Ex privilegio sacerdos non-episcopus confirmationem administrat (c. 782, § 2), Praefectus Apostolicus, charactere episcopali carens, etiam ordines minores (c. 957, § 2). Cum absolutio a peccatis actus potestatis ordinis simul ac iurisdictionis sit, sacerdoti suspenso a divinis confessiones audire non licet.

Haec Codicis definito ceteris opportunior erat, tum quia haec suspensionis forma aliis frequentior est, tum quia de eius certa vi non consentiebant ; ita Hinschius, *System des kath. KR.* V, p. 596, ss. identitatem suspensionis a divinis cum suspensione ab ordine demonstrare conabatur.

« 3° *Ab ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem ; »

« 4° *A sacris ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris ; »

Inter 3° et 4°, solum discrimen est inter ordinationem simpliciter et ordinationem in ordinibus maioribus (in sacris). Uterque numerus differt a 2° quia non prohibent actus ponendos vi potestatis ex privilegio concessae. Casus practicus vix citari potest. Sic sacerdos ab ordinibus tantum suspensus confirmationem ex privilegio conferre potest, Vicarius Apostolicus primam tonsuram et ordines minores.

« 5° *A certo et definito ordine exercendo*, omnem actum ordinis designati ; suspensus autem prohibetur insuper eundem ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere ; »

Ratio facile intellegitur ; etenim « qui indignus est inferiore ordine, indignior est superiore » (l. 4, *De Senatoribus*, I, 9).

« 6° *A certo et definito ordine conferendo*, ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem ; »

Canone confirmatur sententia iam probabilior (cf. Gasparri, *De sacra ordinatione*, I, 149).

« 7° *A certo et definito ministerio*, e. g. audiendi confessiones, vel *officio*, e. g., cum cura animarum, omnem actum eiusdem ministerii vel officii ; »

« 8° *Ab ordine pontificali*, omnem actum potestatis ordinis episcopalis ; »

« 9° *A pontificalibus*, exercitium actuum pontificalium ad normam can. 337, § 2. »

Exercere pontificalia non idem est atque *uti pontificalibus*, et consistit in peragendis functionibus sacris quae usum mitrae *et* baculi requirunt, quales sunt collatio ordinum maiorum, consecratio episcopi, consecratio ecclesiae, etc. Quare suspensus tantum a pontificalibus possit conferre confirmationem, tonsuram, minores ordines, etc. (Cf. *Epitome*, I, 408).

484. - *De effectibus suspensionis a beneficio.*

« Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat » (**c. 2280**, § 1).

Innovatio haec est quod suspensus simpliciter a beneficio, bona beneficialia administrare non vetatur, nisi aliud expresse dicatur. Quod prudenter edicitur, cum privatio reum punire, non ab officio suo exonerare intendat, nisi ab hoc quoque exercendo eum removeri ipsi beneficio prosit. — Suspenso licet ex fructibus expensas et onera desumere, v. g. vectigalia, stipendia Missarum quae ab aliis celebrantur, etc. — De choralibus distributionibus et iuribus stolae, cf. *Epitome*, II, n. 743.

Qui a beneficio occulte suspenditur, non debet cum propria infamia reditus episcopo tradere (c. 2232, § 1), sed eos sive fabricae beneficii sive pauperibus loci dare.

Ad restitutionem fructuum, quos illegitime perceperit, etiam canonicis poenis cogi potest (c. 2280, § 2).

« *Suspensio* generaliter lata vel suspensio *ab officio* aut *a beneficio* afficit omnia officia aut beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat » (c. **2281**).

485. - *De ambitu suspensionis* (c. **2282**).

1. *Ordinarius loci* suspensione generali aut totali ab officio vel beneficio privat *omnibus* officiis et beneficiis in *suo* tantum territorio habitis.

Id iam probabilius ante Codicem habebant. Cum tamen ex principiis de iurisdictione Ordinarii non necessario sequatur, a Legislatore opportune definitur.

2. *Ordinarius Regularis* suspendere potest subditum ab omni officio et beneficio, quod habet ab ipso. Non potest eum a iurisdictione quam Ordinarius loci concesserit suspendere, etsi eius usum illicitum sua prohibitione reddit.

Cum iurisdictio eius sit *personalis*, eius prohibitioni inferior ubique submittitur.

3. « Suspensio *latae sententiae, iure communi* irrogata, afficit omnia officia vel beneficia in quacumque dioecesi possideantur ».

Quod planum est, cum R. Pontifex a cuius voluntate poenae iuris communis vim habent, immediata et universali iurisdictione in singulos fideles et in omnia collegia potiatur.

486. - *De liceitate, illiceitate, invaliditate quorundam actuum.* Discrimen quod inter excommunicatos viget prout excommunicatio iure notoria est vel non, inter suspensos quoque Codice inductum est. Inde ex cc. 2283 et 2284, collatis cum c. 2265, haec statuuntur :

1. *Omnis* clericus suspensus prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi ; nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia ; promoveri nequit ad ordines.

Notandum est hanc prohibitionem ex nullo alio suspensionis effectu sequi, sed ex solo praescripto (c. **2283**).

Praeter receptionem ordinum, actus sunt *invalidi*, si ponantur ab eo cuius suspensio est *iure* notoria.

2. Clericus *iure notorie* suspensus nequit ullam gratiam pontificiam *valide* consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de suspensione fiat.

3. Ille, cuius suspensio iure notoria non est, actus iurisdictionis et ordinis semper exercet valide, nisi Superior contrarium *expresse* dixerit, et etiam licite, si a fidelibus ad eos ponendos fuerit invitatus.

4. Actus iurisdictionis prohibiti *invalide* ponuntur ab eo cuius suspensio est iure notoria, excepta, in periculo mortis, administratione sacramenti paenitentiae et, si desint alii ministri, aliorum sacramentorum et sacramentalium (cc. **2284**. 2261, § 2). Ergo qui per

entententiam est suspensus, invalide absolvit extra casum periculi mortis.

Nota § 3 canonis 2261 in c. 2284 citari; nam c. 2261, § 2 ad quem c. 2284 remittit, ipse § 3 excipit.

487. - *De suspensione in communitatem lata.*

1. Collegium delinquere potest, si unanimiter vel maiori suffragiorum numero praescripta vel prohibitiones sub poenis canonicis imposita violaverit.

Exemplo sit collegium quod exercitium iurisdictionis Nuntii Apostolici vel Ordinarii loci impediat (c. 2334, 2°); quod apostatam vel haereticum sepulturae ecclesiasticae tradi mandet (c. 2339); alienans bona ecclesiastica sine necessario beneplacito apostolico (c. 2347); admittens electum antè litterarum institutionis ostensionem (c. 2394, 3°); etc.

2. Suspensio ferri potest in collegium triplici modo, nempe aut in delinquentes, aut in communitatem, uti talem, aut in personas delinquentes et in communitatem (**c. 2285**, § 1).

3. 1° Si suspensio feratur in singulos delinquentes, satis est applicare canones in hoc articulo iam expositos (ibid., § 2).

2° Si feratur in communitatem qua talem, « communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium quae ipsi, uti communitati, competunt » (ibid., § 3).

Iura spiritualia collegii sunt v. g. ius suffragii deliberativi (c. 105), curae habitualis animarum (c. 471); suffragii consultivi in collatione beneficiorum (c. 403); praecedentiae (c. 408); etc.

3° Si suspensio fertur in singulos delinquentes et in communitatem qua talem, effectus cumulantur (ibid., § 4).

TITULUS IX

DE POENIS VINDICATIVIS

(cc. 2286-2305)

Scriptores: Lega, *De delictis et poenis* n. 199, ss. — Hollweck, *Die kirchl. Strafgesetze*, § 68, ss. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n. 95, ss. — Eichmann, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — Sole, *Commentarium de delictis et poenis*, in h. cc.

488. Ordo dicendi. Codex, praemissa introductione quae continet notiones et principia generalia de poenis vindicativis (cc. 2286-2290), exponit naturam et applicationem harum poenarum in specie, quae sive omnibus fidelibus (cc. 2291-2297), sive solis clericis (cc. 2298-2305) irrogari possunt.

INTRODUCTIO. DE POENIS VINDICATIVIS IN GENERE

489. - *Notio.* « Poenae vindicativae illae sunt, quae directe ad delicti expiationem tendunt ita ut earum remissio a cessatione contumaciae delinquentis non pendeat » (c. **2286**).

Poena vindicativa a censura *fine* suo differt, qui primario expiatio delicti est, etsi emendatio rei non prorsus negligatur, et *diuturnitate* quae contumaciam delinquentis excedit.

Poenae vindicativae aliae bona spiritualia, aliae bona temporalia auferunt.

Aliae sunt omnium fidelium communes, aliae clericorum propriae, pro natura bonorum et iurium quibus privant. De his utrisque agetur sub duobus capitibus mox secuturis.

490. - 1. *De exsecutione poenae vindicativae.*

Appellatio vel recursus ab inflicta poena vindicativa fit *in suspensivo,* « nisi aliud expresse in iure caveatur » (c. **2287**).

Appellatio fit si poena sententia iudiciali, recursus si decreto vel praecepto particulari inflicta fuerit. Principium hic statutum contrarium est eius quod de censuris viget (cf. c. 2243. Supra n. 439, 4).

2. *De condemnatione condicionali* (c. **2288**).

Codex I. C. imitatus codices criminales potestatis laicae plerasque poenas vindicativas condicionaliter, seu potius suspensive, infligi cupit, quo reus qui usque ad primam condemnationem honeste vixit, timore poenae ad reparandam culpam facilius adducatur neque infamia poenae, fracto animo, a recto tramite abducatur. Quare Legislator iudici exsecutionem poenae vindicativae primum inflictae permittit, his condicionibus :

1° Dummodo ne agatur de poenis degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii.

Hae enim gravissimae poenae sunt quae non inferuntur nisi ob atrociora delicta, quae exsecutionem poenae omnino exigunt. Adde plures ex his poenis raro ob primum delictum inferri, fere semper ob protractum post monitionem delictum, aut quia aliquis obsordescit in censura vel alia poena. Cf. v. g. cc. 2379, 2388, 2394, 2° ; 2401, etc.

2° Nisi urgeat necessitas reparandi scandalum.

3. Si reus post vitam laudabiliter peractam prima vice deliquerit, exsecutio suspendi potest. Si per triennium iam non deliquerit, exsecutio poenae praescriptione prorsus exstinguitur ; si in idem vel aliud delictum infra triennium inciderit, poenas utriusque luere debet.

491. - *De cessatione poenae vindicativae* (c. **2289**).

1. Poena vindicativa duplici modo cessare potest : expiatione aut dispensatione. Praeterea quando observatio poenae occultum reum infamaret, iste potest in singulis casibus exsecutionem omittere vel, si recursus ad Superiorem non statim fieri potest, a simplici confessario sub onere recurrendi dispensari.

Dispensatio ab absolutione prorsus differt ; illa enim actus *gratiae*, haec actus *iustitiae* est ; absolutio paenitenti debetur, dispensatio maximam partem a Superiore pendet. — Qui potestatem absolvendi a censuris obtinuit, non habet eo ipso facultatem dispensandi a poena vindicativa ; quare confessarius etiam privilegiatus, nisi in eius facultatibus mentio fiat poenarum vindicativarum, ab iis dispensare non potest.

2. *Dispensatio in casu ordinario* petenda est a Superiore qui poenam tulit vel ab eius Superiore vel successore vel delegato competente. Iudex qui poenam inflixit, ab ea dispensare non potest (c. 2236).

3. « § 1. In casibus occultis **urgentioribus**, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus se ipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis. »

« § 2. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam c. 2254, § 3 » (**c. 2290**).

Codex definit *casus urgentiores* periculo infamiae et scandali. Agitur de casibus in quibus poena occulte contracta est et ab officio implendo removet, quod pro adiunctis sine gravi delicti suspicione omitti nequit. In huiusmodi casibus, sed tantum in iis, reus etiam sine dispensatione poenam observare non tenetur. Hoc autem est beneficium petitae dispensationis quod poena, saltem usque ad responsum Superioris, prorsus sublata est, ita ut reus officium iam obire etiam in casibus non urgentibus possit (Causam minus recte explicat Sole, *o. c.*, n. 268). Eadem confessario potestas conceditur atque relate ad censuras reservatas concessa est, i. e. si recursus est moraliter impossibilis, ipse paenitentiam sub poena reincidentiae imponere potest.

Caput I. - De poenis vindicativis communibus

492. - Ordo Codicis. Enumeratis fere omnibus poenis vindicativis (c. 2291), Codex notiones vel quaedam specialia praecepta circa quattuor poenas tradit, sc. suppressionem vel translationem sedis episcopalis (c. 2292) ; infamiam iuris (cc. 2293-2295) ; inhabilitatem ad quaedam iura (c. 2296) et mulctas pecuniarias (c. 2297).

« Poenae vindicativae quae omnes fideles pro delictorum gravitate afficere possunt, in Ecclesia praesertim sunt : » (**c. 2291**).

Enumeratio non est taxativa. Verbo « praesertim » Legislator forte quasdam poenas, in plerisque locis obsoletas, iuri tamen ecclesiastico per se conformes excludere noluit, ita ut ab Ordinariis pro prudenti suo arbitrio etiam nunc adhiberi possent. — Iam diximus Ecclesiae non competere ius infligendi poenas corporales irreparabiles, sc. mortem vel gravem mutilationem (Cf. n. 400, 2). Aliae vero corporales poenae, etsi nostris moribus minus conveniunt et earum applicatio ab aliis quam a civilibus Superioribus facta, legibus poenalibus plerorumque statuum civilium prohibetur, per se e iure ecclesiastico recenti non excluduntur. Tales

sunt flagellatio, incarceratio et deportatio seu exsilium. Cf. Wernz, *o. c.*, VI, n. 101, ss.

« 1° *Interdictum locale* et *interdictum in communitatem* seu collegium in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris ; »

Determinatio temporis hanc interdicti formam a censura discernit. Miretur quispiam interdictum personale particulare ad tempus inter poenas vindicativas non recenseri. Fortasse noluit legislator poenam cuius effectus excommunicationi satis accedunt, ultra resipiscentiam delinquentis protrahere ideoque eam tamquam censuram tantum infligi cupit.

« 2° *Interdictum ab ingressu ecclesiae* in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris ; »

« 3° Poenalis *translatio* vel *suppressio sedis* episcopalis vel paroecialis ; »

« Translatio beneficii habetur cum beneficii sedes de alio in alium locum deducitur » (c. 1421). Ex gravi causa propter bonum publicum huiusmodi translatio fieri potest, v. g. quia, mutatis adiunctis, civitas quaedam regionis princeps facta est, dum sedes episcopalis a viis et hominum commercio longius abest.

« Poenalis suppressio aut translatio sedis episcopalis est Romano Pontifici reservata ; sedis autem paroecialis, a locorum Ordinariis decerni nequit, nisi cum consilio Capituli » (**c. 2292**).

Constitutio, dismembratio, suppressio dioeceseum ad S. Sedem unice pertinent (cf. c. 248, §§ 2. 3). — In suppressione sedis paroecialis, Ordinarius debet *ad validitatem* audire suum Consilium, cuius suffragiis non ligatur (cf. c. 105, 1° — *Epitome*, I, 194, II).

« 4° Infamia iuris ; »

De infamia paulo infra fusius erit agendum.

« 5° Privatio sepulturae ecclesiasticae, ad normam c. 1240, § 1 ; »

Ex hoc canone sequitur suicidium, mandatum propriae cremationis, immo repetitionem publicam et manifestam peccatorum gravium, esse delicta. — Quare sicut sepultura ecclesiastica ob demerita familiae negari nequit, ita nec propter eius merita contumaci peccatori concedenda est.

« 6° Privatio Sacramentalium » ;

Citari possint benedictio domus ; benedictio mulieris gravidae vel matris post tempus purgationis ; benedictio agrorum ; aspersio aquae lustralis, etc.

« 7° Privatio vel suspensio ad tempus pensionis quae ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiae solvitur, vel alius iuris seu privilegii ecclesiastici ; »

« 8° Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis ; »

Quinam sint hi actus, cf. supra, n. 458.

« 9° Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia quae statum clericalem non requirant, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos ; »

Gratiae fuerint v. g. dispensatio ab impedimento matrimonii ; privilegium oratorii privati ; facultates speciales confessario concessae, etc. *Munia* laicis concedenda, v. g. munus sacristae, acolythi, organistae, membri consilii fabricae ecclesiae, advocati vel procuratoris in causis ecclesiasticis, etc. *Gradus academici*, de quibus hic sermo est, sunt laurea vel ius docendi, quae concedunt Universitates vel Facultates a S. Sede erectae vel approbatae.

« Si agatur de rebus ad quas assequendas capacitas iure communi statuitur, inhabilitatis poenam infligere una Sedes Apostolica potest » (**c. 2296**, § 1).

Huiusmodi iura sunt v. g. electionis ad munus Superioris, sub debitis condicionibus ; ad canonicatum ; ius patronatus (c. 1453). Quare nemo a Superiore infra S. Sedem in *poenam inhabilis* ad haec iura obtinenda declarari potest.

« Iura iam quaesita non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis » (ibid., § 2).

Id requirit *stricta* poenarum interpretatio.

« 10° Privatio vel suspensio ad tempus muneris, facultatis vel gratiae iam obtentae ; »

« 11° Privatio iuris praecedentiae vel vocis activae et passivae vel iuris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concesserit. »

De iure *praecedentiae*, cf. *Epitome*, I, n. 198. — *Vox activa* designat ius eligendi, *vox passiva* ius ut quis eligatur. — Inter *titulos honoris* sunt v. g. tituli dignitatum quas S. Sedes concedit, ut sunt : Protonotarii, Camerarii, Equitis romani. — *Vestis clericalis* a solis clericis vel ab eis qui clericis assimulantur deferri potest. — *Insignia* sunt eae vestis partes quae dignitatem ecclesiasticam demonstrant vel *numisma* quod canonici basilicae deferunt vel *stemma* cuidam ecclesiae concessum, etc.

« 12° *Mulcta* pecuniaria ».

Praxis mulctae pecuniariae in foro ecclesiastico a moribus populorum germanicorum desumpta est neque saec. VII° multo antiquior videtur. Cum multis abusibus locum dedisset, Conc. Tridentinum severas normas de mulctarum taxatione et usu sancivit (Sess. XXV, c. 14 de ref. ; Sess. VI, c. 1, de ref. ; Sess. XXIII, c. 1, de ref.). Sed paulatim mulctae pecuniariae laicis inflictae in desuetudinem venerunt neque nostro tempore clericis ubique sine periculo animadversionis a potestate laicali imponi possunt.

« Mulctas pecuniarias iure communi inflictas, quarum erogatio non sit eodem iure praefinita, aliasque iure peculiari statutas vel statuendas, Ordinarii locorum erogare debent in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis » (**c. 2297**).

Hoc praescriptum iam a Conc. Tridentino (Sess. XXV, c. 3, 14 de ref.) contra periculum abusus ob avaritiam vel cupiditatem quorundam Ordinariorum latum est. – De usu harum mulctarum, cf. cc. 2347, 2° ; 2406, § 2 ; 2408, etc.

493. - *De infamia iuris vel facti.*

De infamia tria consideranda sunt, nempe eius *notio* et *causa* (c. 2293), *effectus* (c. 2294) et *cessatio* (c. 2295).

Notio. 1. Infamia est diminutio vel amissio bonae famae seu existimationis apud viros graves et probos. Existimatio autem est « illaesae dignitatis status legibus et moribus confirmatus ».

Haec diminutio vel privatio ex legis dispositione vel sola mutatione opinionis publicae proxime oriri potest. Quare « infamia est iuris vel facti » (c. **2293**, § 1).

Iure romano delicta quaedam aut vilium artium exercitatio amissione existimationis seu infamia plectebantur (cf. ff. III, 2 *de iis qui notantur infamia.* — Cod. XI, 12, *ex quibus causis infamia alicui irrogatur*). Qui puniendi modus iure Germanorum et aliorum populorum viguit, nostroque tempore, etsi valde mitigatus, a iure civitatum non exsulat (cf. Cod. poen. belg. aa. 19, 31-33 ; 378, etc.). Occasio introductionis istius poenae in ius canonicum potuit esse praescriptum Sancti Pauli de honestate ordinandorum (cf. 1 Tim., c. 3, vv. 2-7. Tit. 1, 7), cuius textus Patres cum infamia iuris romani saepius contulerunt. Poena infamiae stricte dicta in iure canonico a saec. VII° reperiri videtur, saec. IX° saepius decernitur (Cf. HOLLWECK, *o. c.*, § 77, ss.). Infamia canonica numquam notata est exercitatio quarundam artium v. g. artis scenicae.

2. *Infamia iuris* adest quando lex aliquem iam ut probum et honestum christianum non habet eumque propterea honoribus et iuribus quibusdam privat.

Non exsistit extra casus iure communi expresse statutos (c. 2293, § 2).

Quare Ordinarii poenam infamiae suis statutis vel decretis addere non possunt, neque infamia iuris canonici e condemnatione a iudice laico oritur, etiamsi delictum valde probrosum sit et poena civilis fuerit infamans (cf. c. 2354). Immo infamia quae ex gravi condemnatione ecclesiastica sequitur non est *iuris*, sed facti. Infamia lege irrogatur in pertinaces haereticos (c. 2314, § 1, 2°), in violatores sacrilegos Sacrarum Specierum (c. 2320), percussores Summi Pontificis, Cardinalium vel Legati Pontificii (c. 2343), etc.

3. « *Infamia facti* contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium » (c. 2293, § 3).

Infamia proprie dicta numquam afficit delinquentis consanguineos aut affines : non infamia iuris, quia tota poena est et gravissima, nec infamia facti, ob ipsam iuris definitionem.

Id tamen non impedit quin a certis officiis vel dignitatibus excludendi sint quorum propinqui graviter deliquerint vel bona aestimatione quod ad religionem vel mores non gaudeant. Sat saepe enim minus fidunt homines iis quorum propinqui labe quadam morali sunt infecti, eorumque ministerio non libenter utuntur. Qua ratione facile intellegitur impedimentum ad ordines recipiendos in eo cuius pater in haeresi perseverat (c. 987, 1°) vel remotio parochi, cuius ministerium ob culpas propinquorum inutile vel nocivum communitati factum est (c. 2147, § 2, 3°).

494. - *De effectibus infamiae.*

1. *De effectibus infamiae iuris.*

« Qui infamia iuris laborat, non solum est irregularis ad normam c. 984, n. 5, sed insuper est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium iuris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo » (c. **2294**, § 1).

Iis quae supra iam explicata sunt, pauca sunt addenda. Nempe infamis a iure agendi non excluditur, sed post sententiam saltem declaratoriam est repellendus a munere testis (c. 1757, § 2, 1), periti c. 1795, § 2) et arbitri (c. 1931). Actus legitimi ab eo positi *nulli* sunt ; nullae quoque concessiones beneficii, pensionis, etc.

2. *De effectibus infamiae facti.*

« Qui laborat infamia facti, repelli debet tum a recipiendis ordinibus ad normam c. 987, n. 7, dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis, tum ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis » (c. 2294, § 2).

Maximum discrimen inter effectus utriusque infamiae est *validitas* actuum quos posuerit infamis facto, culpabiliter vel bona fide ab iis ponendis non repulsus, et validitas collationis vel concessionis beneficii, pensionis, etc. in eius favorem factae. Ab his tamen practice erit privandus statim ac de infamia constabit.

495. - *De cessatione infamiae.*

Infamia iuris ad tempus non fertur, sed per se est perpetua et sola dispensatione a S. Sede cessare potest (c. **2295**). Quae *l. s.* est, S. Sedi reservatur, quia continet poenam inhabilitatis ad officia, etc. (cf. c. 2237, § 1, 3°). — Si de infamia *f. s.* agatur, non licet iudici correptionem iudicialem ei substituere (c. 1948, 1°). Cum tamen privatio officii vel beneficii non expresse edicatur, poterit Ordinarius, excluso scandali periculo, exsecutionem sententiae non urgere, si reus tunc primum post laudabilem vitam, deliquerit, ita ut ipsa poena triennio bonae vitae praescribatur (cf. cc. 2288. **2296**, § 2).

Infamia facti, ut ex opinione hominum nascitur, ita ob eorum aestimationem cessat ; at Ordinarii prudenti iudicio permittitur aestimatio famae praesertim ob diuturnam rei emendationem instauratae (c. 2295).

Cap. II. - De peculiaribus clericorum poenis vindicativis

496. - In c. 2298 exponuntur omnes poenae vindicativae quae solis clericis inferri possunt et condiciones condemnationis relate ad quattuor ex eis statim in cc. 2299-2302 explicantur. Depositio vero et degradatio, quae inter eas gravissimae sunt, in ultimis can. 2303-2305 fusius evolvuntur.

497. - « Poenae vindicativae quae clericis tantum applicantur, sunt : (**c. 2298**)

« 1° Prohibitio exercendi sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia ; »

« 2° Suspensio in perpetuum vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris ; »

Determinatione temporis, etiam indefiniti, haec poena a censura differt.

« 3° Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius ; »

Haec translatio fine, causa et processu a translatione oeconomica (c. 2162) prorsus diversa est.

« 4° Privatio alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti ; »

Huiusmodi iura sunt administrandi bona beneficii (c. 1476), fruendi reditibus (c. 1472, ss.), eligendi quosdam Superiores vel ipsos praesentandi (c. 432. Cf. c. 2394, 3), etc.

« 5° Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum ; »

Nota iuxta c. 2296 privationem eorum quae iure communi obtinentur, S. Sedi reservari neque iura quaesita, superveniente inhabilitate, amitti. Quod enim de poenis vindicativis *communibus* valet, videtur omnino applicandum poenis clericorum propriis. — Si quis censuerit hanc applicationem per analogiam iuris fieri, recte dicit Hollweck (*o. c.*, p. 116) eam non prohiberi ad definiendam Superioris competentiam vel ad benigniorem poenae interpretationem faciendam.

« 6° Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione ; » « Si clericus beneficium inamovibile obtineat, eodem in poenam privari potest solum in casibus iure expressis ; si amovibile, etiam ob alias rationabiles causas » (**c. 2299**, § 1) ;

In notis ad hunc canonem, ad c. 2147 quoque remittimur. Etsi enim nullus parochus inamovibilis sua paroecia *in poenam*, nisi ob delictum in iure expressum et hac poena sancitum, privari potest, causae rationabiles in illo c. 2147 propositae sufficiunt ut a beneficio *administrative* removeatur. Si autem agitur de parocho amovibili, rationabiles causae quales v. g. in c. 2147 proponuntur, ut amissio bonae existimationis ob levem vivendi modum, *ad poenalem* privationem sufficiunt.

« Nequit clericus privari beneficio aut pensione cuius titulo ordinatus fuit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur, salvo praescripto can. 2303, 2304 » (ibid. § 3), nisi quis delictum commiserit quod poena depositionis puniatur. Sufficit tunc ut Ordinarius clerico deposito, si vere indigeat, subsidio caritativo vel pensione (non ecclesiastica) subveniat. Immo clerico deposito et se non emendanti nullum iam subsidium temporale dandum praecipitur (cc. 2303. 2304).

« Clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possunt etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem coniuncto, e. g., ministerio praedicandi, confessiones audiendi, etc. prohiberi ad certum tempus » (c. 2299 § 2).

Hae sunt species suspensionis particularis.

« 7° Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio ;

« 8° Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio ; »

Poena exsilii vel deportationis, etsi a iure canonico haud omnino abfuit (c. 1, *de calumn.*, X, V, 2), raro tamen iam in Decreto GRATIANI et in Decretalibus commemoratur. Eius usus numquam multum invaluit, ita ut in Conc. Tridentino nulla mentio eius, tamquam poenae specialis, fiat. Ceterum applicatio illius poenae impossibilis facta est in omnibus regionibus, in quibus leges ecclesiasticae a potestate civili non sanciuntur vel saltem non agnoscuntur. Deminuta eiusdem poenae forma est praescriptum vel prohibitio commorandi in certo loco vel territorio. In hunc finem, in quibusdam dioecesibus instituuntur domus paenitentiae, sive pro sola dioecesi sive, de consensu plurium episcoporum, pro eorum dioecesibus, sive pro extraneis sacerdotibus.

« Ordinarius nequit praescribere ut clericus certo in loco, extra fines suae dioecesis, commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci vel agatur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata, aut de domo religiosa exempta, Superiore eiusdem consentiente » (c. 2301).

« Tam praescriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo poenitentiae aut in domo religiosa, praesertim si diu duraturae sint, imponantur tantum in casibus gravibus, in quibus, prudenti Ordinarii iudicio, eae poenae necessariae sint ad clerici emendationem aut scandali reparationem » (c. 2302).

Etiam haec deminuta restrictio libertatis reo invito applicari plerumque non poterit. In civitatibus quae concordata cum S. Sede habent, exercitium potestatis Ordinariorum quod ad privationem libertatis clericorum interdum conventione definitur (cf. Cod. poen. belg. a. 434. — HOLLWECK, *o. c.* p. 118 leges citat quae ante mutationem regiminis (a. 1918) in Germania vigebant).

« 9° Privatio ad tempus habitus ecclesiastici ;

« Si clericus gravia scandala praebeat et monitus non resipiscat, nec scandalum queat aliter removeri, potest interim privari iure deferendi habitum ecclesiasticum ; quae privatio, dum perdurat, secumfert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium » (c. 2300).

Ministeria ecclesiastica ea sunt quae solis clericis reservantur. Sed patet virum cui talis poena irroganda fuit, ab omni ministerio quod ad negotia ecclesiastica pertineat, esse removendum. Privilegia quae privatione habitus ecclesiastici amittuntur, sunt praesertim privilegium canonis et fori (cf. *Epitome*, I, 208. 209).

« 10° Depositio ;

« 11° Privatio perpetua habitus ecclesiastici ; »

Haec poena, quae tamquam gravissima consideratur, a tribunali tantum quinque iudicum declarari vel decerni potest (c. 1576, § 1, 2). Nota prohibitionem in habitu ecclesiastico incedendi non in omni casu tamquam *poenam* statui in eos qui e clericali ad laicalem statum regressi sunt (c. 213) vel qui e religione dimittuntur (c. 668).

« 12° Degradatio. »

[497]

498. - *De depositione.*

1. Depositio est poena vindicativa quae « firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus, secumfert tum suspensionem ab officio, et inhabilitatem ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam privationem illorum quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus » (c. **2303**, § 1).

Depositio gravior est quam suspensio generaliter lata quia :

1° Prohibitioni exercendi officii et fruendi beneficio *inhabilitatem* ad ius futurum et *privationem* iurium quaesitorum addit ;

2° Quia per se semper *in perpetuum* infligitur, etsi dispensatione S. Sedis tolli potest.

Gravior est omni alia privatione beneficii, quia cadit in illa quoque beneficia vel pensiones, quorum titulo reus est ordinatus, quin Ordinarius privationem compensare debeat, nisi clericus vere indigeat *et* Ordinarius ei providere possit (ibid. § 2).

Differt a degradatione, quia reus servat ius deferendi habitum ecclesiasticum et privilegia quae cum statu clericali conectuntur. Obligationes e suscepto ordine exortae praesertim erunt caelibatus servandi et divini officii, saltem privatim, persolvendi.

2. « Poena depositionis infligi nequit, nisi in casibus iure expressis » (ibid., § 3).

Haec poena ob nullum delictum *lata sententia* infligitur ; quare sola sententia condemnatoria contrahitur, quae tribunali collegiali quinque iudicum reservatur (c. 1576, § 1, 2°). Non licet poenae substituere correptionem iudicialem (c. 1948, 1°), neque eius exsecutionem suspendere (c. 2288).

3. *Delicta* depositione plectenda gravissima et clerico maxime indecora sunt.

Ex iure communi sunt pertinacia in haeresi, in schismate, apostasia a fide (c. 2314, § 1, 2°) ; abusus sacrilegus Sacrarum Specierum (c. 2320) ; simulatio Missae a non sacerdote (c. 2322, 1°) ; violatio cadaverum (c. 2328) ; procuratio abortus (c. 2350, § 1) ; homicidium, raptus, etc. (c. 2354, § 2) ; delicta qualificata contra VI mand. (c. 2359, § 2) ; transitus ad vitae statum a clericatu alienum (c. 2379) ; occupatio beneficii sine litteris collationis (c. 2394) ; detrectatio pertinax relinquendi beneficium, etc. a quo quis privatus est (c. 2401).

4. « § 1. Si clericus depositus non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum.

« § 2. Haec privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can. 2303, § 2 » (c. **2304**).

Inter hanc poenae formam et degradationem solum interest quod degradatus praeterea e statu clericali deicitur.

499. - *De degradatione.*

1. Degradatio est poena quae « in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem » (c. **2305**, § 1).

Claris Codicis definitionibus dissensus qui inter veteres auctores de discrimine inter hanc poenam et depositionem plene tollitur (cf. Wernz, *o. c.* n. 120, nota 162).

Degradatus ab obligationibus ex ordine suscepto ortis non eximitur ; quare caelibatum servare et divinum officium, saltem privatim, recitare debet. Ad publicam officii recitationem non tenetur vi officii, quo iam privatur, neque professione sollemni, cum ad statum laicalem reductus sit.

2. Degradatio « alia est **verbalis** seu *edictalis*, quae sola sententia irrogatur, ita tamen ut omnes suos effectus iuridicos statim habeat sine ulla exsecutione ; alia **realis**, si serventur sollemnia praescripta in Pontificali Romano » (c. 2305, § 3).

« Sola sententia » opponitur sollemnibus praescriptis Pontificalis Romani (III, *Ordo suspensionis*, etc.), iuxta quae reus omnibus insignibus sui gradus indutus a singulis, addita mentione indignitatis et degradationis, spoliatur.

Hoc discrimen inter *verbalem* et *realem* degradationem a Bonifacio VIII (c. 2, *de poenis*, V, 9 in VI°) primum est inductum. Hoc capite fere absolutum est ius poenale de hac re, cum usque ad finem saec. XII eadem verba usurparentur ad designandam promiscue depositionem et degradationem. Causa utriusque poenae accuratius distinguendae fuit maior in dies contemptus fori privilegiati clericorum, quo RR. Pontifices adducti sunt ut ipsi scelestos clericos privilegiis status clericalis spoliarent et iudici saeculari puniendos traderent.

3. « Haec poena ferri solummodo potest propter delictum in iure expressum, aut si clericus, iam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum per annum praebere pergat » (c. 2305, § 2).

Degradatio in nullo canone tamquam poena l. s. occurrit. Quae de procedura depositionis sub n. 498, 2 dicta sunt, degradationi quoque applicanda sunt.

Cum Codex de ipsa degradationis sententia nihil speciale statuat, solvitur controversia qua plures veteres scriptores contra alios contendebant unanimi iudicum sententia opus esse, ad degradationem infligendam. Iuxta normas communes, satis est ut iudices collegialiter procedentes maiori suffragiorum numero poenam decernant (Cf. c. 1577. Wernz, *o. c.*, n. 128).

Delicta quae hac poena sanciuntur sunt : grave scandalum datum ad normam c. 2305, § 2 ; adhaesio publica sectae acatholicae (c. 2314, § 1, 3°) ; iniuria realis personae R. Pontificis illata (c. 2343, § 1, 3°) ; homicidium voluntarium (c. 2354, § 2) ; casus gravior sollicitationis, occasione confessionis (c. 2368, § 1) ; pertinacia in matrimonio attentato post susceptos ordines vel cum persona sollemniter professa (c. 2388, § 1).

Decreta degradationis publici iuris facta sunt v. g. in AAS., XV, 1923, 152 et 449.

TITULUS X

DE REMEDIIS POENALIBUS ET PAENITENTIIS

(cc. 2306-2313)

Scriptores : HOLLWECK, *Die kirchlichen Strafgesetze*, § 94. — LEGA, *De iudiciis ecclesiasticis*, IV, n. 278. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, VI, n. 246, ss. — EICHMANN, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — SOLE, *Commentarium de delictis et poenis*, in h. cc.

500. - Ordo dicendi. Conc. Tridentinum, de regimine ecclesiastico disserens, episcopos aliosque Ordinarios monet « oportere... allaborent ut hortando et monendo (fideles) ab illicitis deterreant » (Cf. c. 2214. Supra, n. 401). S. Congregatio EE. et RR., instructione 11 iun. 1880 (1), nn. 1-8, usum remediorum poenalium magis explicite commendavit et ordinavit. Praescripta illius instructionis, iam in instr. S. C. de *P. F.* (a. 1883) resumpta (2), Codex sub hoc titulo, cap. I, etiam clarius et modo magis completo proponit.

Remedia delictorum praeventiva vel culparum repressiva et paenitentiae ius poenale perficiunt et complent. Legislator, ordine logico, prius agit de remediis, dein de paenitentiis. Hoc enim inter utraque interest, quod remedia, etiam si quandoque propter gravem culpam imponuntur, delictum stricte dictum vel saltem certum antecedunt, dum paenitentiae ob delictum strictum et certum imponuntur. Nihil prohibet quin eadem opera sive tamquam remedium poenale sive tamquam paenitentia praescribantur.

Caput I. - De remediis poenalibus

501. - 1. Remedia poenalia sunt media a competente Superiore adhibita ut fideles ab occasione delicti removeat aut culpam gravem citra delictum coerceat.

Remedia vocantur, quia delicta, saltem stricte dicta, praeveniunt ; *poenalia*, quia ad culpam avertendam vel reprimendam, aliquam privationem, saltem honoris, secum ferunt.

2. Quattuor remedia citantur in Codice, monitio, correptio, praeceptum, vigilantia (**c. 2306**).

Haec ad exemplum, non taxative proponuntur. In instr. S. C. EE. et RR., de qua supra, n. 500, adduntur exercitia spiritualia.

502. - I. *De monitione et correptione.*

Notiones. 1. Monitio est actus Superioris legitimi quo fidelem ad delinquendum paratum vel delicti suspectum de periculo vel necessitate aliquid faciendi vel omittendi attentum facit.

Monitio generatim *dividitur* in **paternam et canonicam.**

Paterna est quae fit a Superiore tamquam duce morali societatis imperfectae, vi potestatis dominativae, praesertim et primario ad emendationem rei. —

(1) *Coll. P. F.*, II, n. 1534.
(2) *Coll. P. F.*, II, n. 1586.

Canonica est monitio a Superiore qua tali, ceu iudice facta, vi iurisdictionis, ad praecipiendum vel prohibendum actum sub comminatione poenae canonicae (cf. c. 2222, § 1. — WERNZ, *o. c.*, nn. 254. 255).

Generatim monitio canonica est repetenda antequam poena infligatur (Cf. c. 660). *Peremptoria* dicitur quae ex declaratione Superioris explicita locum duplicis vel trinae monitionis tenet, ita ut, elapso tempore ad parendum definito, effectus canonicos statim sortiatur.

Monitio in his canonibus aliter quam in c. 2176 (cf. n. 368) intellegitur. Etsi enim est *canonica*, haec praeceptum poenale non continet (cf. c. 2310) et fieri potest secreto, i. e. modo paterno, vel publice, i. e. modo legali (Cf. Instruct. S. C. EE. et RR., n. 6).

2. Correptio est actus quo Superior modum agendi fidelis exprobrat, qui scandalum vel ordinis turbationem causat.

Correptio monitioni increpationem addit, quae culpam satis gravem admissam supponit ; loquitur enim Codex de « conversatione » et c. 2, *de purg. canon.*, X, V, 34, de « repetitis actibus ».

503. - *De applicatione monitionis et correptionis.*

1. *Iusta causa.* Quia monitio et correptio sunt remedia poenalia, delicti imminentiam, gravem suspicionem vel quandam inchoationem supponunt. Quare :

1° Monitio adhibetur erga « eum qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi » (**c. 2307**).

2° Locus est correptioni, « si ex alicuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur... » (**c. 2308**).

Ordinarius debebit prius summariam factorum recognitionem facere, ut, si opus fuerit, ad ulteriora procedere et in recursu contra se instituto se tueri possit.

2. Monitio et correptio fieri possunt per Ordinarium vel per interpositam personam.

Haec maiori cura eligetur, si monitio secreta manere debet.

Correptio « peculiaribus conditionibus personae et facti de quo agitur » accomodabitur (c. 2308).

Aliter enim senex, aliter iunior sacerdos increpatur ; aliis verbis exprobratur imprudentia, aliis culpa forte post repetitas monitiones protracta, etc.

« Tam monitio quam correptio potest esse vel publica vel secreta » (**c. 2309**, § 1).

Non enim Codex Ordinarios paterne procedere vetat, si id efficacius reum a culpa vel a mala conversatione removere potest (Cf. Instr. S. C. EE. et RR., n. 6).

3. *De monitione vel correptione publica.*

1° « Correptio vel monitio publica fiat vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet » (c. 2309, § 2).

Oportet enim ut Ordinarius, si id fuerit necessarium, documento probare possit se reum pertinacem sine monitione non punivisse.

2° « Correptio publica fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum ; et est iudicialis, si fit a iudice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem » (c. **2309**, § 3).

Correptio publica est igitur remedium *repressivum* delicti, quod adhibetur loco sententiae condemnatoriae in delicta minora, si reparatio scandali applicationem poenae stricte dictae non exigat (Cf. c. 1948. Supra, n. 267, ss.).

3° « Correptio iudicialis vel habetur loco poenae vel fit ad augendam poenam, praesertim si agatur de recidivo » (ibid., § 4),

Loco poenae adhibebitur praesertim erga reum prima vice delinquentem ; erga recidivum, ipsi poenae additur, praesertim ubi cumulus poenarum nimius esset (Cf. c. 2224, § 2).

4. « De monitione et correptione, etsi secreto factae fuerint, constare debet ex aliquo documento in secreto Curiae archivo asservando » (ibid., § 5).

Processus ad ulteriora et defensio Ordinarii, si casus ferat, hoc documento faciliora reddentur.

5. « Tam correptio quam monitio potest fieri semel vel pluries, pro Superioris arbitrio et prudentia » (ibid., § 6).

504. - II. *De praecepto* (c. **2310**).

Praeceptum poenale est remedium poenale monitione vel correptione gravius, adhibendum « monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat ».

Ex hoc titulo satis patet quanam norma Ordinarius in praecepto punitive ferendo procedere possit et regulariter debeat. Primo qui suspicionibus locum dat monebitur paterne, dein publice ; deinde adhibebitur correptio privata aut publica ; tum praeceptum dabitur de re facienda aut omittenda, comminans poenam latae aut ferendae sententiae ; tandem poena in reum contumacem feretur aut contracta declarabitur (1).

Duplex *obiectum* habet, nempe : 1° accuratam definitionem eorum quae agere vel evitare debet praeventus ; 2° comminationem poenae in casu transgressionis.

Ob additam poenae comminationem, a Vicario Generali, sine mandato speciali imponi nequit (Cf. c. 2220, § 2).

505. - III. *De vigilantia* (c. **2311**).

Vigilantia est prohibitio in certis locis comparendi vel obligatio e certo loco non exeundi et Superiori vel eius delegato se, statis intervallis, sistendi.

Ita reus a locis ubi occasionem delinquendi invenit, removetur vel privatione libertatis petulantia eius compescitur. — Ut hoc remedium adhibeatur, requiritur

---

(1) Cf. NOVAL, O. P., *De ratione corrigendi*, in *Ius Pontif.*, 1923, 34.

gravior casus, nam privationi honoris privationem libertatis addit, aut speciale relapsus periculum, sc. in idem crimen, unde necessitas oritur vitandae cuiusdam gravis et proximae occasionis peccandi.

2. « Vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam, praecipue in recidivos » (ibid., § 2).

Efficax istud poenae augmentum Codices quoque civiles applicant, v. g. Cod. poen. ital., a. 28. — Cod. poen. belg., aa. 7. 35-37, etc.

Caput II. - De paenitentiis

506. - *Notiones.* Paenitentia in genere est opus externum et laboriosum a competente Superiore impositum et a reo acceptatum, ad congruam pro culpa satisfactionem Deo vel Ecclesiae praestandam.

Acceptatio paenitentiae non ita est intellegenda ut sponte ac libere a paenitente suscipienda sit ; eius naturae minime repugnat obligationem sub minis infligendae vel non relaxandae poenae imponi. Cf. WERNZ, *o. c.*, VI, n. 249 disputantem contra HINSCHIUS, *Das System des Kath. KRechts.* IV, pp. 696. 715.

Dividitur 1° in **sacramentalem et canonicam.**

Paenitentia canonica delinquenti a Superiore iurisdictione praedito, in foro externo imponitur ad satisfactionem pro delicto praestandam.

2° In **publicam et occultam**, prout exsecutio operis poenalis in cognitionem aliorum fidelium per se venit vel eam effugit.

Paenitentiae olim dividebantur in *sollemnes* seu strictione sensu *publicas*, et *communes.* Sed paenitentiae sollemnes, primis Ecclesiae saeculis tam frequentatae, iam diu ante Conc. Tridentinum obsoleverant, neque in ius ecclesiasticum denuo introductae sunt.

Finis paenitentiae canonicae est « ut delinquens vel poenam effugiat vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat » **(c. 2312, § 1).**

Ut enim Superior a poena infligenda abstinere aut inflictam absolutione, si medicinalis seu censura sit, vel dispensatione, si vindicativa, relaxare potest, ita debet emendationi rei et reparationi scandali congruo modo providere, quod impositis paenitentiis obtinetur.

507. - *De impositione paenitentiarum.*

Principium est quod paenitentia canonica tum delicto tum praesertim personae et indoli delinquentis attemperanda est. Unde :

1° « Ob delictum aut transgressionem occultam numquam poenitentia publica imponatur » (c. 2312, § 2).

Nemo enim sine necessitate fama sua privari debet vel potest ; immo saepe praestat reo, conservatione famae, animum ad meliorem conversationem addere. Quare etiam ei qui publice deliquit, publica paenitentia non est necessario imponenda, nisi id ad scandalum reparandum vel ad rei contumaciam frangendam opportunum vel necessarium appareat.

2° « Paenitentiae non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum paenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis » (ibid., § 3).

Ex ipso poenae fine haec sequuntur. Sive enim primario emendationem delinquentis, sive expiationem delicti intendat, contritio paenitentis et animus ad reparandum et ad melius agendum paratus maximae causae sunt cur ob minoris paenitentiae exsecutionem poena non infligatur vel relaxetur.

508. - *De praecipuis paenitentiis* (c. 2313).

« § 1. Praecipuae paenitentiae sunt praecepta :

« 1° Recitandi determinatas preces ; » quales sunt praesertim Psalmi, Litaniae, etc.

« 2° Peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera ;

« 3° Servandi peculiare ieiunium ;

« 4° Erogandi eleemosynas in pios usus ;

« 5° Peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies ;

« § 2. Paenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis et correptionis. »

PARS TERTIA
DE POENIS IN SINGULA DELICTA

PROOEMIUM

509. - *Historica.* A tempore quo lata est prima excommunicatio *l. s.* S. Sedi reservata, mos paulatim invaluit ut excommunicationes, quibus certa delicta in Decretalibus vel Constitutionibus RR. PP. sanciebantur, diebus dominicis et festis quibusdam populo praelegerentur. Quae consuetudo Romae probabiliter saec. XII°, certo ineunte saec. XIII° viguit. Inde orta est Bulla quaedam, dicta « Bulla in Coena Domini », quia fer. V maioris hebdomadae sollemniter praelegebatur. Dies enim illa tum excommunicandis, tum reconciliandis reis satis apta erat. Prima quae cognoscitur forma auctorem habet URBANUM V (a. 1364) et septem « casus » continet ; ultima est C. *Pastoralis*, URBANI VIII (a. 1627) et viginti excommunicationes complectitur. Anno 1568, S. PIUS V decrevit istam Bullam vim legis poenalis universalis servaturam, quamdiu a se vel successore quodam non mutaretur. Ultima vice Bulla praelecta est a. 1769. — Ut ignorantiae censurarum, multis dubiis et anxietatibus de poenis l. s. ortis, occurreret, et numerum poenarum minueret, PIUS IX leges poenales Ecclesiae universalis in C. *Apostolicae Sedis* (12 oct. 1869) innovavit, quae, paucas poenas a Tridentino latas confirmans, novum, authenticum et exclusi-

vum indicem poenarum l. s. continebat. His vel sufficiendae vel addendae fuerunt praesertim poenae latae a LEONE XIII, C. *Officiorum ac Munerum* (25 ian. 1897) de lectione vel editione prohibitorum librorum, a PIO X in C. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 ; contra Modernistas ; contra religiosos apostatas, in vocatione inconstantes ; in violatores legum de stipendiis Missarum, etc. — In Codice, suppressae sunt, praeter alias minus usu venientes censuras :

1. Poenae l. s. in violatores decretorum de mercatura, ope stipendiorum ;

2. Excommunicatio l. s. in docentes vel defendentes propositiones a S. Sede damnatas ;

3. Excommunicatio l. s. in « non denuntiantes occultos coryphaeos ac duces societatum massonum, etc. »

4. Excommunicatio l. s. in violantes immunitatem asyli ;

5. Poenae l. s. in missionarios negotiationem agentes (c. 2380) ;

6. Excommunicatio l. c. in religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut eucharisticum Viaticum ministrare sine parochi licentia ;

7. Suspensio l. s. in clericos sine debita licentia in Urbe commorantes.

Quae saepius poenis f. s. locum cedunt.

510. - **Ordo dicendi.** Absoluta expositione generali de delictis et de poenis, Codex illas legum divinarum vel ecclesiasticarum violationes singillatim describit, quibus poena determinata vel indeterminata, latae vel ferendae sententiae, medicinalis vel vindicativa, spiritualis vel temporalis annexa est. Nonnunquam ordo procedendi contra reos additur, v. g. c. 2403. Semel ordo absolutionis concedendae proponitur, c. 2314, § 2.

511. - 1. Iure *communi* eae omnes et solae legis violationes delicta sunt quae in l. V, parte tertia recensentur ; iure *particulari*, pauca quaedam ob specialia locorum vel personarum adiuncta ab Ordinariis locorum vel Superioribus religionum exemptarum addi possunt (cf. cc. 2214, § 2; 2221).

Meliore quam Decretales ordine, Codex delicta in duas classes dividit, communia alia (tit. XI-XV), alia clericis vel religiosis propria (tit. XVI-XIX). Intra istas classes, delicta iuxta gravitatem quae per se variis peccatis inest, etsi non stricte, ordinantur.

In hac dispositione adornanda, auctores Codicis ordinem ab HOLLWECK, I., *Die kirchlichen Strafgesetze*, introductum manifeste imitati sunt.

2. Fons praecipuus *interpretationis* erunt Commentatores C. *Apostolicae Sedis*, ex qua pleraeque censurae l. s. Codicis depromuntur. Quod ad singula delicta non repetemus condiciones delicti quae iam fusius explanatae sunt, v. g. de necessitate actus *externi*,

graviter *culpabilis* interne et externe, de vi imminutae imputabilitatis, de extensione poenarum ad complices, etc., nisi difficultas peculiaris in applicatione legis occurrat.

Scriptores (1) : D'ANNIBALE, *In C. Apostolicae Sedis* commentarii (Commentarius Reatinus). — HILARIUS A SEXTEN, *Tractatus de censuris eccles.*, p. 98, ss. — HOLLWECK, I., *Die kirchlichen Strafgesetze*, § 95, ss. — PENNACHI, I., *Commentaria in C. Apostolicae Sedis.* — THESAURO-GIRALDI, *De poenis ecclesiasticis*, 2a Pars (ordine alphabetico). — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, VI, Pars III, p. 263, ss. — CAPPELLO, S. I., *De censuris iuxta C. I. C.*, in h. cc. — CERATO, *Censurae vigentes ipso facto a C. I. C.*, in h. cc. — EICHMANN, *Das Strafrecht des C. I. C.*, in h. cc. — SOLE, *Commentarium de delictis et poenis*, in h. cc.

TITULUS XI

DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET UNITATEM ECCLESIAE

(cc. 2314-2319)

512. - Sub hoc titulo agitur de apostasia a fide, haeresi et schismate, de cooperatione in haec delicta, et de professione doctrinae quae, etsi non tamquam haeretica, tamen a Sede Apostolica vel a Concilio generali damnata est.

I. *De apostasia a fide, haeresi et schismate* (c. **2314**).

513. - 1. Triplex gradus delicti distinguitur quibus respondet triplex poenarum species, sc. 1° ipsum delictum apostasiae, etc. quod excommunicatione l. s. notatur ; 2° obsordescentia in suspicione haeresis, ob quam variae privationes sunt infligendae ; 3° adhaesio sectae acatholicae, quae plectitur infamia ipso iure et clerico causa est degradationis.

2. *De delicto.* Definitur in c. 1325, § 2 « Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus ; si a fide christiana totaliter recedit, apostata ; si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, schismaticus est. »

Apostata igitur est baptizatus qui v. g. exsistentiam Dei, factum revelationis in dubium positive revocat aut directe vel indirecte negat et in his negationibus perseverat.

Qui omnem religionis actum deseruit, non ideo iam apostata est, nisi dicto factove omne vinculum cum religione christiana se abrupisse declaret. Factum istud sit v. g. testamentum quo civili tantum se funere sepeliendum mandet. Practice apostasia erit transitus ad scepticismum religiosum, atheismum, pantheismum vel ad religionem non christianam. Nulla adhaesio alicui sectae requiritur.

(1) Ne eaedem inscriptiones librorum inutili labore sub singulis titulis repetantur, indicamus hic scriptores qui maxime consulendi sunt.

Haeresis supponit errorem aut dubium positivum contra veritatem certo *revelatam* et qua talem ab Ecclesia propositam, etiamsi non sollemniter definitam, pertinaciter, id est libere, etsi non per longum tempus admissa a baptizato qui cognoscat de hac re doctrinam Ecclesiae.

Schisma est ab unitate Ecclesiae separatio, quae duplici modo oriri potest, sc. si negatur omnis subiectio Romano Pontifici, i. e. successori S. Petri, non tantum *personae* quae nunc tali dignitate gaudet, nec simplici defectu oboedientiae in quibusdam praeceptis aut si negatur communicatio cum membris S. Pontifici subiectis, quod Sede vacante accidere potest.

Schisma haeresim non necessario supponit (schisma purum), etsi saepe includit (schisma haereticum).

Si quis ex ignorantia etiam graviter culpabili, non tamen affectata, ista peccata committat, immunis est a delicto quod *pertinaciam* requirit. — In *foro* tantum *externo* pro delinquente habebitur qui, *interne* dissentiens, simul delicta ista *externe* compleat.

Obsordescentia in peccato novum delictum constituit.

Habetur « nisi moniti resipuerint ». Monitio canonice facienda est et tempus congruum a Superiore competente indicandum ad paenitentiam manifestandam (cf. c. 2309).

Adhaesio sectae acatholicae sive inscriptione nominis sive publica et repetita in sacris communicatione sive publico asserto coniunctionis cum secta, est tertia et gravior delicti forma seu tertium delictum.

Secta acatholica stricto sensu est coetus religiosus qui, etsi christianum nomen retinet, catholicam fidem doctrina vel factis negat. Excludendae sunt ab hoc conceptu *religiones* non christianae, v. g. iudaismus, mahumedanismus, etc. et societates quae nullam religionem profitentur, ut sunt societates massonum, anarchistarum, etc. Haec videntur nobis tenenda, etsi societates massonicae in indice Codicis inter sectas acatholicas recensentur.

Etiamsi *acatholicus* in aliis canonibus sensu lato esset sumendus (1), hic tum quia de *secta*, tum quia de *poena* agitur, stricto sensu accipiendus est.

II. *De poenis.*

Delictum apostasiae, haereseos vel schismatis plectitur excommunicatione S. Sedi speciali modo reservata.

Obsordescentia in delicto poenis *f. s.* punitur, omnisque reus infamis est declarandus itemque ab omni « beneficio, dignitate, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeat, privandus ; clericus vero deponendus est », sed « *iterata monitione* ». *Adhaesio sectae acatholicae* plectitur ipso facto infamia iuris. — Clericus huius delicti reus, 1° *ipso facto*, ob tacitam renuntiationem, privatur quolibet officio a se iam obtento ; 2° post *unam* monitionem quae in cassum cesserit, degradandus est.

III. *De absolutione.*

1° Si delictum ad forum externum Ordinarii loci nullo modo est deductum, absolutio in foro conscientiae seu sacramentali sufficit, modo vitetur scandalum in eius externo usu (cf. c. 2251. Supra, n. 450).

(1) Cf. *Ned. Kath. St.*, 1925, 8.

— Confessarius, speciali facultate non praeditus, ab hac excommunicatione absolvere non poterit, nisi ad normam cc. 2252 et 2254. Absolutus in periculo mortis, onere recurrendi non premitur ; in casu urgenti, isti oneri subicitur, nisi ob moralem recurrendi impossibilitatem ipse confessarius paenitentiam sub poena reincidentiae implendam determinaverit (cf. supra, n. 450).

2° Si delictum ad forum externum Ordinarii loci « *quovis modo* » deductum fuerit, i. e. si notitia delicti ad eum pervenerit, « etiam per voluntariam confessionem, etsi non iudicialem, non tamen sacramentalem, ipsi Ordinario loci, excluso Vicario Generali, nisi ex mandato speciali agat, facultas fit absolutionem in foro externo impertiendi. — Duabus condicionibus absolutio subicitur : *a*) praemittenda est abiuratio *iuridice* peracta, i. e. coram ipso Ordinario vel eius delegato et saltem duobus testibus ; *b*) servanda sunt quae iure praescribuntur, v. g. reparanda sunt scandalum et damna forte illata, separatio a secta nuntianda est, etc.

Haec potestas Ordinarii loci est ordinaria ; quare, etiam generali modo, delegari potest. — Absolutio in foro externo data pro utroque foro valet (c. 2251), ideoque iam a quolibet confessario in foro conscientiae a peccato absolvi potest (cf. c. 2246, § 3. Supra, n. 445).

Si acatholicus ad Ecclesiam convertatur, triplex casus supponi potest : 1° Certo non est valide baptizatus. Baptismus absolute confertur neque locus est abiurationi vel absolutioni sive a censuris sive a peccatis. — 2° Baptismus eius est certo validus. Praemissa abiuratione et absolutione in foro externo, a quovis confessario absolutionem a peccatis petere et accipere potest. — 3° Baptismus eius est dubii valoris. Abiuratione peracta, sub condicione baptizatur, dein absolutionem a censuris et a peccatis sub condicione recipit. Peccata potest sive ante sive post baptismum accusare (cf. Instr. S. C. *de P. F.*, 20 iul. 1859).

Minores natu qui convertuntur infra annum decimum quartum, abiuratione non tenentur nec absolutione a censuris indigent (cf. supra, n. 424).

514. - *De suspicione haeresis.*

1. **Suspicio haeresis** est praesumptio quaedam iuris contra eum qui ob modum loquendi vel agendi haeresim profiteri videtur.

Omnes actus qui huic praesumptioni iuris locum dant, in hac Codicis parte taxative determinantur. Delicta enim sunt, cum poenis plectantur.

2. « Suspectus de haeresi qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, *repetita* inutiliter monitione, suspendatur a divinis » (**c. 2315**).

Prudenti Ordinarii arbitrio committitur iudicium utrum necne oporteat suspectum monere. Poenae supra recensitae sunt *f. s.* At post tempus determinatum, ipso facto in graviores poenas l. s. mutantur. Etenim : « Quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tamquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius » (ibid.).

3. Suspecti de haeresi sunt : 1) faventes propagationi haereseos aut communicantes in divinis cum haereticis (c. 2316) ; qui pactum ineunt de educatione acatholica prolis aut eius baptismum vel educationem extra Ecclesiam catholicam procurant (c. 2319) ; qui Species consecratas sacrilege tractant ad normam c. 2320 ; a decretis R. P. appellantes ad universale Concilium (c. 2332) ; qui obdurato animo per annum in excommunicatione obsorduerint (c. 2340) ; qui simoniace ordinantur, ordinant vel alia sacramenta administrant (c. 2371).

4. Nota suspensionem post *repetitam* monitionem infligi.

515. - *De cooperatione in genere.*

« Qui quoquomodo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum c. 1258, suspectus de haeresi est » (c. **2316**).

Iuvari potest propagatio haeresis verbis, scripto vel actibus. Si verba scriptave confessionem ipsius haereseos contineant, delictum haeresis, non mere cooperationis constituunt. — Cooperatur formaliter omissione, qui cum ex munere haereticum denuntiare vel persequi debeat, officium omittit. Haec negativa cooperatio, quae ad incurrendam poenam olim « fautoribus » inflictam verisimiliter sufficiebat, delictum, prouti novo textu declaratur, non constituit. Positive iuvat qui v. g. potestate publica utitur ut haereticis facultatem haeresis propagandae faciat ; qui domum consiliis habendis locat ; operi haeretico auxilium pecuniarium praestat, etc. *Materialis* tamen cooperatio, v. g. domum locantis, proportionato incommodo excusari potest.

Communicatio vetita c. 1258 est *activa* assistentia sacris acatholicorum, v. g. si quis ad altare assistat, munus testis *necessarii* in baptismo vel matrimonio impleat, et, ut communiter censent, si quis organum pulset, cantus sacros in odeo canat, etc. (Cf. *Epitome*, II, 577. Lehmkuhl, I. 813).

516. - *De defensione doctrinae damnatae.*

« Pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit » (c. **2317**).

Hic canon a C. *Apostolicae Sedis*, II, 1 satis discrepat ; in hac enim sub poena excommunicationis prohibebatur actus docendi vel defendendi « propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena l. s. ».

Delicti condiciones sunt, ex parte subiecti, *pertinacia*, quae monitionem quandam Ordinarii, at non necessario canonicam, supponit ; ex parte obiecti, actus docendi vel defendendi doctrinam damnatam a Suprema potestate ecclesiastica, sed non ut haereticam. — *Doctrina* est propositio theoretica, non praescriptio vel prohibitio. Si quis v. g. assereret licere reum peccati gravis accedere ad communionem sine confessione sacramentali, quae possibilis esset, non doctrinam, sed propositionem practicam damnatam (Trid. ss. XIII, c. 11) doceret.

« *Apostolica Sede* » hic S. Officium quoque designari non dubitamus ; etenim, « ex rei natura vel sermonis contextu » aliud non apparet (Cf. c. 7). Porro, cum commentatores C. *Apostolicae Sedis* Congregationes, etiam S. Officium, ab Apostolica Sede in hac re distinguerent, Legislator in nova lege Congre-

gationes facile exclusisset, dicendo « a Romano Pontifice ». P. VERMEERSCH contrariam sententiam, quam SOLE, *o. c.*, n. 324 tuetur, praefert.

Inter multas a Sancta Sede propositiones damnatas, haud paucae tamquam haereticae formaliter damnatae non sunt, v. g. propositiones quaedam Baii (S. PIUS V, C. *Ex omnibus*, 1 oc. 1567) ; propositiones Mich. de Molinos (INNOCENTIUS XI, C. *Coelestis Pastor*, 20 nov. 1687) ; propositiones morales ab ALEXANDRO VII (Decr. 24 sept. 1665. 18 mart. 1666) et ab INNOCENTIO XI (Decr. 12 febr. 1679) damnatae ; capita quaedam doctrinae Modernistarum (PIUS X, Decr. *Lamentabili*, 3 iul. 1907. — Enc. *Pascendi*, 7 sept. 1907), etc.

Monitio quae inflictionem poenarum ab Ordinario debet praecedere, canonice est facienda ; sufficit tamen quae privationi muneris praeivit, si rite facta est (1).

517. - *De editione vel usu librorum prohibitorum.*

Censurae hic propositae fere ad verbum ex LEONIS XIII, C. *Officiorum ac munerum*, 25 ian 1897 depromuntur.

I. DE LIBRIS HAERETICORUM

« In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes » (**c. 2318**, § 1).

1. Lex duplicem classem *librorum* afficit, primo « libros apostatarum, haereticorum et schismatorum qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant », dein « libros per apostolicas litteras nominatim prohibitos ».

Primae classi ascribendi sunt libri in quibus apostasia, etc. non obiter proponitur, sed data opera, etsi non necessario per multas paginas, *defenditur* ; ubi conatus auctoris invenitur ad lectorem de errore persuadendum ; ubi hic error aliquo modo demonstratur, etiam si materia libri non est religiosa. Exemplo sint libri scripti ab Harnack de Evangeliis vel de Ecclesiae diffusione, a Loisy de Evangeliis, etc.

Secundae classis sunt libri qui per litteras *ipsius* R. Pontificis, qualibet forma conceptas, non vero per decreta SS. CC., etiam S. Officii, dato nomine auctoris vel indicato ipsius operis titulo, sub poena excommunicationis S. Sedi reservatae umquam prohibiti sunt. Recenti tempore pauci iamque oblivioni traditi libri ita damnati sunt, inter veteres eminet opus MOLINOS, *Guida Spirituale* (Innoc. XI, C. *Coelestis Pastor*, 20 nov. 1687).

Libri hic intelliguntur scripta in vulgum edita, certae molis (circa 250 pp. in 8°) et unitatis. Libelli periodici, si ad certam scientiam pertineant, in unum collecti, hac prohibitione attinguntur (Decr. *S. O.*, 13 iun. 1892). Non comprehenduntur alii libelli, ephemerides, folia volantia, etc. Ad hunc enim titulum non extenditur interpretatio c. 1384.

2. **Actiones** prohibitae in Epitome, II. n. 732 proponuntur.

Editores sunt qui libros spargendos curant. Saepe editor a magistro officinae typographicae diversus est. Auctor rarius ipse librum edit, sed generatim edendum bibliopolae tradit. Si ipse spargendum librum curat, poena attingitur.

Delictum non exsistit nisi « opere publici iuris facto », i. e. cum apud bibliopolas vel editorem omnibus venale prostat.

(1) Cf. Instr. S. C. EE. et RR., 31 iul. 1894. — *Coll. P. F.*, II, n. 1873.

Defendit qui doctrinam vel opportunitatem libri tuetur, non vero, etsi quidam contrarium voluerint, styli elegantiam vel auctoris intentionem. — Defendit quoque qui libros celat ne destruantur vel prohibet ne ad Superiorem competentem deferantur.

Lectio delictum non constituit nisi fuerit graviter prohibita ; qui casus est si legantur paucae paginae quibus apostasia, etc. propugnatur, vel alia pars satis magna reliqui libri. *Retentio* quoque aliquod temporis spatium supponit, quo periculum libri legendi exsistat. Tempus augeri potest, si exspectatur licentia vel occasio libri utiliter et legitime alienandi.

Mutato iure, praesumptio *(scienter)* iam non requiritur ut *defendentes*, sed tantum ut legentes librum vel retinentes delinquant.

II. DE EDITIONE VEL EXEGESI SCRIPTURAE

« Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum annotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam » (c. 2318, § 2).

Libri S. Scripturarum ii habendi sunt quorum canonem Conc. Tridentinum, S. IV (Denz. 783. 784) definivit, nec quidquam refert utrum unus an plures libri, textu originali an translati edantur. *Annotationes* ad singula capita vel textus, *commentarii* potius ad integras partes vel libros, v. g. de auctore, doctrina, etc. referuntur. — Oportet ut copia annotationum vel commentariorum librum constituat.

Libelli periodici quorum Scriptura Sacra est ordinarium argumentum, in unum religati libros efformant.

Mutato textu C. *Officiorum et munerum*, n. 48, iam non puniuntur qui « imprimunt aut imprimi faciunt », sed qui « *imprimi curant* » sine debita, i. e. Ordinarii loci, licentia (Cf. *Epitome*, II, n. 726, 6°), et poenam contrahunt soli « auctores et editores ». Certo nunc eximuntur dominus officinae typographicae, nisi editor simul sit, et opifices eius.

Delictum adest statim atque opus prelo subicitur, cum intentione illud edendi.

518. - *De participatione sectae acatholicae* (c. 2319).

« Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici :

« 1° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum c. 1063, § 1 ; »

Delictum est praestatio *vel renovatio* consensus matrimonialis coram ministro acatholico, *uti sacris addicto*. Id enim prohibet c. 1063, § 1. Minime refert utrum ministerium suum in templo vel in domo privata praestet (Cf. *Epitome*, II, n. 333).

Etiamsi parochus matrimonio eorum *ex gravissimis causis* et *consulto Ordinario* (c. 1063, § 2) assistit, excusatio ab excommunicatione in foro externo admittenda non est. Inire matrimonium coram ministro acatholico, uti sacris addicto, est violatio legis divinae simul et ecclesiasticae et talis quae in contemptum religionis, saltem per se, vergat ; quare etiam ob gravissimas causas admittenda non est, et obiective graviter culpabilis est. Contra, ut videtur, EICHMANN, *o. c.*, p. 132, quem HARING, *Grundzüge des kath. KR.*, 3ª ed., § 253, neque probans neque improbans, allegat.

« 2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam ; »

Requiritur ad delictum ut saltem signis obligationem seriam et mutuam manifestaverint, quae tempore contracti matrimonii perseveraverit. — Ob contextum totius canonis, verba « extra catholicam Ecclesiam » de educatione in religione acatholica, non de impia extra omnem religionem educatione interpretamur. Cooperatio enim cum haeresi vel schismate agitur.

« 3° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt ; »

Soli *parentes*, i. e. pater vel mater, sive legitimi sive naturales, hoc delictum perpetrare possunt. Dicit enim textus : « liberos suos ».

« 4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt » (c. 2319, § 1).

Parentum locum tenent omnes quibus liberi ita committuntur, sive a parentibus sive lege, ut ex munere vel pacto partem saltem potestatis exerceant. — Verba « educandos vel instituendos » verisimiliter electa sunt, ut omnis institutio moralis et religiosa designaretur, sive in scholis sive privatim, sive cum institutione in litteris sive ab ea seiuncta provideatur.

« Ii de quibus in § 1, nn. 2-4, sunt praeterea suspecti de haeresi » (c. 2319, § 2).

Sola celebratio matrimonii coram ministro acatholico suspicionem haeresis merito non inducit, cum toties ex solo respectu humano et ut comparti morem gerat, pars catholica eam admittat, quin ullum religioni acatholicae favorem hac concessione lugenda praestare velit.

Quia de participatione cum secta haeretica agitur, sola pars catholica hac excommunicatione plectitur. Quare pars acatholica, si postea convertatur, ab hac censura ne ad cautelam quidem absolvenda erit.

TITULUS XII

DE DELICTIS CONTRA RELIGIONEM

(cc. 2320-2329)

519. - Haec delicta sunt violationes sacrilegae rei vel loci sacri, quaestus simoniacus, actus superstitionis, periuria, blasphemiae, etc.

520. - *De abusu Sacrarum Specierum* (c. 2320).

« Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi ; incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam ; est ipso facto infamis, et clericus praeterea est deponendus ».

Abicit qui in locum vilem, sordidum vel cum dedecore proicit, v. g. in gradus altaris, in terram, aut etiam in mensam altaris cum contemptu hostias spargit, v. g. ut vas sacrum furetur, vel vinum consecratum effundit. — *Abductio* et

retentio puniuntur *ob malum finem*, sc. impium, obscoenum, turpis lucri causa, etc. Unicum est delictum illius qui abductas ad malum finem retinet, quia aliqua retentio complementum est abductionis. Sed novum delictum committitur ab eo qui paenitentia motus Sacras Species restituendas iam in loco tuto reposuerit, dein iterum ad malum finem ex illo abduxerit (Cum Sole, n. 335 contra Cerato, n. 103). Ex C. *Ab Augustissimo*, 5 mart. 1744 Benedicti XIV, malus finis in foro praesumitur donec contrarium probetur. — Sub veteri iure, clericus huius delicti reus erat degradandus et brachio saeculari tradendus ; lex civilis delictum istud poena mortis plectebat (Hollweck, § 111).

521. - *De celebratione Missae interdicta* (c. **2321**).

« Sacerdotes qui contra praescripta can. 806, § 1, 808 praesumpserint Missam eodem die iterare vel eam celebrare non ieiuni, suspendantur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adiuncta praefiniendum ».

Delicta sunt : 1° Iteratio Missae sine indulto Apostolico aut facultate ab Ordinario loci facta vel legitime praesumpta in casu particulari, excepto casu necessitatis pro Viatico conficiendo (Cf. *Epitome*, II, 77) ;

2° Celebrare non ieiunum extra causas moralis necessitatis, prout a Moralistis definiuntur, v. g. si Sacrificium est complendum, scandalum grave vitandum, Viaticum conficiendum, (Cf. *Epitome*, II, 79).

Quoties dubium aliquod circa causam erit, etiamsi a peccato non excuset, delictum tollitur ; abest enim tunc requisita praesumptio.

522. - *De non-sacerdote qui sacerdotales actiones ponat* (c. **2322**).

« Ad ordinem sacerdotalem non promotus : »

« 1° Si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit speciali modo Sedi Apostolicae reservatam ; et insuper laicus quidem privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur ; clericus vero deponatur ; »

Ut delicta habeantur, requiritur et sufficit :

1° Talis modus se gerendi ad altare ut saltem quidam ex astantibus in errorem inducantur ; Missae celebratae, sive ritus et verba praescripta sive alia adhibeantur. Quare effugit poenam laicus, qui qua talis cognitus ex ioco vel impietate verba et ritus Missae imitatur.

2° Auditio a non-sacerdote confessionis peccatorum in ordine ad absolutionem factae a poenitente qui cum sacerdote se agere arbitratur. Minime refert utrum necne excipiens confessionem, absolutionem fingat. Non subiciatur poenae qui ad sacerdotium non promotus, absolvere fingat, v. g. moribundum, confessione non excepta.

« 2° Si alia munera sacerdotalia », v. g. administrationem alius sacramenti, benedictiones, etc. « usurpaverit, ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur » (c. 2322, 2°).

523. - *De blasphemia et periurio* (c. **2323**).

« Qui blasphemaverit vel periurium extra iudicium commiserit, prudenti Ordinarii arbitrio puniatur, maxime clericus ».

1. *Blasphemiae*, stricto sensu, sunt verba scriptave, non actus, contumeliosa

in Deum, B. M. Virginem, Sanctos. Sub veteri iure, tamquam delictum non habebantur, nisi coram aliis proferrentur ; quae interpretatio servanda est. Iam ante Codicem, nulla poena *l. s.* plectebantur ; diu enim ante C. *Apostolicae Sedis*, poenae graves in blasphemantes latae obsoleverant.

2. Periurium *in iudicio* factum ad normam c. 1743, § 3, remotione temporaria ab actibus legitimis, interdicto personali vel depositione puniendum est. Poenis locum dabit praesertim periurium commissum ubi lex praestationem iurisiurandi praescribit, v. g. a Superiore candidati ad religionem (c. 545, § 1), a promovendo ad ordines (c. 994, § 2), a nupturientibus (c. 1019, § 2), etc. Minus recte dicuntur hoc delictum committere qui, postquam iusiurandum de munere rite implendo praestiterint, officio suo desint, ut Punctatores (c. 395, § 4), parochi consultores (c. 425, § 2), etc.

524. - *Delicta circa Missarum stipendia* (c. 2324).

« Qui deliquerint contra praescriptum can. 827, 828, 840, § 1, ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione »

Can. 827 prohibet omnem etiam speciem negotiationis vel mercaturae circa Missarum stipendia (*Epitome*, II, 105, 6) ; c. 828 iubet tot Missas celebrari quot stipendia accepta sint (*Epitome*, II, 106) ; c. 840, § 1 vult ut stipendia sacerdoti Missas celebraturo integre transmittantur (*Epitome*, II, 107, 3).

Legenti commentarium in Epitome, II, numeris supra indicatis, species delictorum facile patebunt. Animadvertat tamen : 1° *gravitatem* peccati, in delicto semper requisitam, omni istorum canonum violationi non inesse. Dum enim graviter peccat qui etiam unam Missam omittat, nisi eidem personae sat multa sacra pro stipendio promissa fuerint, delictum negotiationis summam gravem supponit, quae, quia in aestimatione rei temporalis versamur, ex analogia gravi furti materiae aequiperabimus (Cf. VERMEERSCH, *Period.*, I, p. 50). Praeterea, *species negotiationis* videtur requirere actus repetitos. Ceterum Ordinarii erit de praesentia delicti iudicare, cum poenae sint ferendae sententiae.

2° *Delictum* non committi ab eo qui stipendia Missarum ad instar manualium vel fundatarum non integre transmittat ; earum enim mentio in c. 840, § 1 nulla fit.

525. - *De superstitione et sacrilegio* (c. 2325).

« Qui superstitionem exercuerit vel sacrilegium perpetraverit, pro gravitate culpae ab Ordinario puniatur, salvis poenis iure statutis contra aliquos actus superstitiosos vel sacrilegia ».

1. Superstitio virtuti religionis opponitur, sive quia creaturae cultus Deo debitus exhibetur sive quia Deus vitioso modo colitur. Praeter *idololatriam*, continet omnes formas *divinationis* et *maleficii* et *vanam observantiam*.

Superstitio in regionibus nostris maxime exercetur a fautoribus *spiritismi*, cui hypnotismus scientificus minime assimulandus est. Potest fieri ut superstitio labe haeresis inficiatur ; spiritismus enim, praeter artes suas, doctrinam philosophicam et religiosam proponit. — *Magiae* vero artes eae propriae sunt quibus homo potentiam acquirere et exercere nititur in ens supernaturale, ita ut istud sibi submittat atque cogat ad producendos miros ac praeternaturales effectus, sine reverentia erga illud ens et cum fine indebito. Haec forma superstitionis praesertim apud barbaras gentes exercetur.

2. **Sacrilegium** est violatio rei vel personae sacrae, i. e. Deo publica potestate dicatae, per actionem quae ipsi rei vel personae sanctitati directe repugnat, v. g. fornicatio cum persona castitatem professa, sordidus usus ecclesiae, etc.

Curnam quaedam actiones sacrilegae sint, aliae vero non, pendet ab Ecclesiae determinatione, quae saltem quosdam actus tamquam sanctitati personae vel rei contrarios prohibet. Cf. VERMEERSCH, *Theol. mor.*, II, 196.

3. **Poenas** iure communi latas contra aliquos actus superstitiosos non novimus; contra sacrilegia autem inveniuntur in c. 2320 (abusus Sacrarum Specierum), c. 2329 (violatio ecclesiae vel coemeterii), c. 2343 (iniuria realis in clericos), etc.

526. - *De usu falsarum reliquiarum* (c. 2326).

« Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit ».

De *authentia* reliquiarum quae venerationi fidelium proponuntur, semper aut ex documento authentico aut iudicio Ordinarii loci constare debet.

Publicae fidelium venerationi reliquias exponere dicetur tantum is cui auctoritas quaedam sive ex munere sive ex ordine competit, v. g. parochus, clericus, sacrista, etc. — Etsi peccaminosum est reliquias de quarum authentia dubia seria moventur, publicae fidelium venerationi exponere, id delicto vacat, quod plenissimum dolum requirit.

Vendere *veras* reliquias est actus simoniae, quae iam aliis canonibus sancitur (cf. c. 1289, § 1).

Poena nostro canone statuta in iure nova est. Ordinarius cui poena reservatur est Ordinarius proprius.

527. - *De quaestu ex indulgentiis* (c. 2327).

« Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata ».

Quaestum faciunt qui lucrum temporale ex concessione vel publicatione indulgentiarum quaerunt. Pactum, si quod factum fuerit, nullum est (c. 729); quare totum lucrum, quantum fieri potest, restituendum est. — Notandum est episcopos, secus ac sub veteri iure (1), huic poenae subici.

528. - *De violatione ecclesiae, coemeterii, sepulcri, cadaveris.*

« Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit, interdicto personali puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur » (c. 2328).

« Ecclesiae vel coemeterii violatores, de quibus in cc. 1172, 1207, interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur » (c. 2329).

1. **Delicta.** Actus quibus ecclesia vel coemeterium violantur cc. 1172 et 1207

(1) S. PIUS V, C. *Quam plenum*, 2 ian. 1569. — PIUS IX, C. *Apostolicae Sedis*, II, II.

exclusive enumerantur, sc. delictum homicidii, iniuriosa et gravis sanguinis effusio, impii et sordidi usus, sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (Cf. *Epitome*, II, 489. 517). — In c. 2328, agitur de omnibus cadaveribus, non de solis fidelibus vel de fossis benedictis.

2. **Poenae.** Omnes sunt ferendae sententiae, praeter infamiam eorum qui cadavera vel sepulcra violant.

TITULUS XIII

DE DELICTIS CONTRA AUCTORITATES, PERSONAS, RES ECCLESIASTICAS

(cc. 2330-2349)

529. - Delicta sub hoc titulo contenta sunt actus graviter peccaminosi contra potestatem ecclesiasticam (cc. 2330-2340); contra personas ecclesiasticas (cc. 2341-2344); contra bona ecslesiastica (cc. 2345-2349). Inter delicta contra auctoritatem ecclesiasticam praesertim referuntur actus quibus exercitium iurisdictionis impeditur (cf. c. 2332, ss.) et favor datus iis qui sunt rebelles in Superiores ecclesiasticos (c. 2338, ss.); delicta contra personas sunt, inter alia, violationes privilegii fori vel canonis (cc. 2341. 2343); delicta contra bona ecclesiastica, eorum usurpatio vel illegitima alienatio (c. 2345, ss).

530. - *De delictis occasione electionis S. Pontificis commissis* **(c. 2330).**

« Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, unice standum const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 ».

Iamvero in hac Constitutione octo excommunicationes *l. s.*, et una in C. *Commissum Nobis*, 20 ian. 1904, quam illa Constitutio confirmat, feruntur, quae *omnes* ita S. Pontifici reservantur ut ne a Maiori quidem Paenitentiario, extra mortis periculum, tolli possint et recursus in casu urgentiori imponendus ad ipsum R. Pontificem dirigendus sit (C. *Vacante Sede Apostolica*, n. 51. Cf. *Epitome*, I, nn. 296. 297).

Delicta occasione electionis S. Pontificis sub excommunicatione *l. s.* prohibita sunt sequentia:

1° *Absentia* a scrutiniis, nisi Cardinalis infirmitate excusetur (Const. *Vacante S. A.*, n. 37).

2° *Receptio* vel *missio scriptorum* cuiusvis generis, quin a Praelatis ad hoc deputatis recognita fuerint. Item missio ephemeridum extra Conclave (Const. *Vacante S. A.*, n. 50).

3° Durante Conclavi, *violatio secreti* in iis quae ad electionem R. Pontificis pertinent et iis quae in ipso loco electionis aguntur (Const. *Vacante S. A.*, n. 51).

4° In specie, facta cum familiaribus seu Conclavistis *communicatio* eorum quae scrutinium respiciunt (Const. *Vacante S. A.*, n. 52).

5° Crimen *simoniae* in electione S. Pontificis (*Vacante S. A.*, n. 79).

An Cardinales simoniae rei hac poena plectuntur? Ratio dubitandi est quod expresse non nominantur (Cf. c. 2227, § 2). Affirmative respondendum censemus, quia C. *Vacante Sede Apostolica* Cardinales maxime ac fere unice respicit, ita ut Iulius II solos Cardinales excommunicationi ob istud crimen simoniae subiceret (C. *Cum tam divino*, 14 ian. 1505). Praeterea c. 2227, § 2 huic Constitutioni applicandum non esse probabiliter quis dicat; etenim « R. Pontificis electio unice regitur const. PII X, *Vacante Sede Apostolica* » (c. 160), cui ut videtur, Codex non derogat.

6° *Tractationes*, promissiones suffragii, vel conventicula habita, vivente R. Pontifice et eo inconsulto, de ipsius Successoris electione (Const. *Vacante S. A.*, n. 80).

7° Acceptatio muneris *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi et manifestatio quaelibet huiusmodi *Veto* (C. *Commissum Nobis*).

Veto seu *Exclusiva* erat prohibitio determinatum clericum in Summum Pontificem eligendi, quam Supremi Rectores Galliae, Austriae et Hispaniae per Cardinalem ditionis suae, ubi casus ferebat, Conclavi proponebant. Etsi RR. Pontifices ipsis nullum tale privilegium concessissent, freti molliore reluctatione, ius istud sibi vindicabant, quod PIUS X, C. *Commissum Nobis*, 20 ian. 1904, verbis gravitate plenis iterum negavit et penitus de medio sustulit.

8° Omnes *pactiones*, conventiones, promissiones quibus libertas suffragii tollitur vel minuitur (Const. *Vacante S. A.*, n. 82).

9° *Impugnatio litterarum* quae a R. Pontifice ante suam coronationem emanaverint (Const. *Vacante S. A.*, n. 88).

531. - *De inoboedentia et rebellione contra Ordinarios et S. Sedem.*

« § 1. Qui R. Pontifici vel proprio Ordinario aliquid legitime praecipienti vel prohibenti pertinaciter non obtemperant, congruis poenis, censuris non exclusis, pro gravitate culpae puniantur ».

« § 2. Conspirantes vero contra auctoritatem Romani Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata, itemque subditos ad inoboedientiam contra ipsos provocantes, censuris aliisve poenis coerceantur; et dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici; voce activa et passiva atque officio, si religiosi, priventur » (**c. 2331**).

1. **Delicta.** Inoboedientia non est ubi Superior *legitime* non praecipit. Iamvero potestas Ordinariorum intra fines iuris communis aut particularis dioecesis vel religionis continetur. Quare Ordinarius loci suis clericis actus imponere nequit, quos neque lex communis, neque consuetudo intra ambitum eius potestatis concludit, neque Superior religiosus subditis actus qui obligationes Constitutionum superant.

Pertinaciter non oboedit qui satis monitus de absoluta voluntate Superioris non paret. Quare, loquens de eiusmodi praeceptis, dicebat decr. *Maxima cura*, c. 1, n. 9°: « ... post unam et alteram monitionem ».

Conspiratio adest, ubi plures, saltem duo, consilia inter se conferunt ut mutuum sibi in negotio perficiendo auxilium praestent.

2. **Poenae.** Omnes sunt nunc, et iam a C. *Apostolicae Sedis*, ferendae sen-

tentiae. In veteri iure, excommunicatio l. s. reos manebat, clericos vero depositio ; omnes delicti convictos infamia ecclesiastica.

532. - *De appellatione a R. Pontifice ad Concilium* (c. **2332**).

« Omnes et singuli cuiuscunque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ; Universitates vero, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, interdictum speciali modo Sedi Apostolicae pariter reservatum incurrunt ».

Textus ex C. *Apostolicae Sedis* I, 4 et VI, 1 fere desumptus, varias controversias novo tenore dirimit.

Quod ad **personas**, adverte mentionem specialem de dignitate regali et cardinalitia (Cf. c. 2227). Inter personas *morales* comprehenduntur etiam quae iure civili ius personae moralis habent. — Ex verbis : « legibus, decretis, mandatis », perspicitur agi de ordinationibus tam particularibus quam generalibus. — Appellatio prohibita est a *praesenti* Pontifice, non a defuncto, ad Universale Concilium, sive iam coadunatum, sive futurum ; omissum est enim verbum « futurum » e textu C. *Apostolicae Sedis*. Cum appellatio fiat a iudice inferiore ad Superiorem, qui a R. Pontifice exsistente ad Concilium appellat, suspicionem de haeresi quasi necessario ingerit ; nam « Prima Sedes a nemine iudicatur » (c. 1556) ; et est definitum in Concilio Vaticano R. Pontificem habere supremam potestatem iurisdictionis etiam independenter a Concilio. Non agitur in canone de actibus SS. Congregationum, nisi fuerint in forma specifica a R. Pontifice approbati.

533. - *De impedito exercitio potestatis apostolicae.*

« Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae speciali modo reservatae » (c. **2333**).

Duplex **delictum** plectitur : 1° **Recursus** proprie dictus, seu provocatio seu appellatio ad laicam potestatem, i. e. ad personas sive morales sive physicas, quae in societate civili vera iurisdictione gaudent, v. g. iudices, Praefectos urbium, coetus deputatorum, etc. Non punitur recursus ad easdem personas tamquam privatas (1). — « Sede Apostolica » etiam Congregationes et Tribunalia Curiae Romanae designantur ; Legati vero S. Sedis sunt Legati a latere, Nuntii, Internuntii, Delegati Apostolici (Cf. c. 265, ss. *Epitome*, I, 347.) — Delictum non est impedita *evulgatio* litterarum vel actorum.

2° **Prohibitio promulgationis** vel **exsecutionis** actorum S. Sedis. Probabilius est « prohibentes » potestate privata non contrahere excommunicationem. Agitur enim de abusu efficaci potestatis publicae.

(1) D'ANNIBALE, *Comm. Reat.*, n. 52.

Hoc delictum committebatur praesertim usu iuris quod « *Placitum* » seu « *Placet regium* » vocabant, vel litterarum « *Exequatur* », « *Pareatis* ». Abusu potestatis suae, principes civiles promulgationem litterarum apostolicarum non permittebant antequam in eis nullum suae potestati detrimentum afferri censuissent. Tunc concedebant beneplacitum suum ad promulgationem necessarium.

Propositiones quae hunc abusum tuebantur damnatae sunt in Syllabo Pii IX, prop. 28, 41, 49. Illae leges apud plerosque populos sunt iam abolitae.

Laedentes, utique graviter et physice; is enim est sensus verbi (1) vel *perterrefacientes*, i. e. gravissimo metu afficientes, ipsorum actorum causa, sive eos in cuius favorem lata sunt sive alios, ut procuratores, notarios, exsecutores (2).

Satis convenit inter auctores delictum non adesse, nisi effectu secuto (3) ; quare non contrahit excommunicationem qui recursum in cassum tentaverit. — Cum lex conatum delicti non puniat, censurae isti non subicitur qui mediis inefficacibus exsecutionem actorum prohibere aut eorum beneficiarios vel exsecutores laedere conatus sit.

534. - II. *De invasione iurium Ecclesiae.*

1. « Excommunicatione l. s. speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur : » (**c. 2334**)

« 1° Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt ; »

Textus ex C. *Apostolicae Sedis*, 1,7 depromitur.

Edentes non sunt ii tantum qui promulgant (Contra Cerato, n. 96, c.), sed qui condunt sive individua voluntate sive communi et efficaci suffragio ; sic vult communis interpretatio veteris iuris (4).

Quare plectuntur Superior qui legem, mandata, decreta promulganda decernit ; Ministri qui legis applicationem decreto curant ; deputati qui suffragio eam condunt ; qui legem condendam efficaci et necessaria propositione curaverint. Non eximitur qui, completo necessario suffragiorum numero, suum addit ; formali enim conspiratione vel saltem voluntario actu in delictum concurrit (c. 2209, § 1). Non subsunt poenae iudices vel inferiores officiales qui legem, mandatum, decretum casibus singularibus applicant.

Iura Ecclesiae plurimis canonibus definiuntur, v. g. immunitas clericorum, c. 121 ; ius regendi contractum matrimonialem fidelium, c. 1016 ; possidendi propria coemeteria, c. 1206 ; docendi evangelicam doctrinam, c. 1322, § 2 ; instituendi eos qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt, c. 1352 ; etc.

Delictum exsistit statim ac lex est instituta seu rite promulgata et vim suam exserere potest.

2. « 2° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem ».

Cf. C. *Apostolicae Sedis*, I, 7.

Ut natura **delicti** certius explicetur, conferendum est ius antea vigens cum novo iure. Dum C. *Apostolicae Sedis* dicebat : « Impedientes... fori, *et* ad hoc recurrentes *ad forum seculare*, eiusque mandata... » etc., novus textus ait :

---

(1) D'Annibale, *Com. Reat.*, n. 53. — (2) Ex Bulla *Coenae*, § 3. — (3) Cf. Sole, *o. c.*, n. 358, 5°, d. Cappello, *o. c.*, n. 253, 3. — (4) Cf. Hilarius a Sexten, p. 130.

« Qui impediunt... fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem ». Requiritur ergo et sufficit *duplex* condicio : 1° ut aliquis *recursus efficaciter* impediat (1) ; 2° ut recursus fiat ad *aliquam laicalem* potestatem. Iam ergo dici non potest solum recursum ad *iudicialem* potestatem censura puniri (Contra D'ANNIBALE, n. 47).

Canon respicit omnes et solos actus *iurisdictionis*, non vero potestatis ordinis vel purae administrationis.

Quare non incurrant hanc excommunicationem qui parochum a celebrando sacro, a ducenda processione, ab assistentia matrimonio, etc. impediverint.

Delictum hic damnatum *appellatione* seu *recursu ob abusum* saepius exercebatur. In Gallia, qui de abusu potestatis ecclesiasticae querelam movebant, ad iudices civiles, dein ad Parlamentum, tandem ad Consilium Status contra Superiores ecclesiasticos recurrebant. Separatione Status ab Ecclesia (9 dec. 1905), recursus ob abusum e legibus gallicis sublatus est (2).

3. **Poenae.** Clerici et religiosi huius delicti rei aliis praetera poenis f. s. subiacent, sc. :

a) *Clerici* « poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant plectantur » (c. **2336**, § 1).

b) « *Religiosi* autem privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam Constitutionum plectantur » (ibid.).

535. - *De sectis damnatis.*

« Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam » (c. **2335**).

Cf. C. *Apostolicae Sedis*, II, 4.

1. Sectae quae hic damnantur, duabus notis distinguuntur, sc. : 1° *Secreto*, quo sive socii sive duces quod ad sectae constitutionem, fines, media, tenentur ; 2° *Insectatione* legitimae *potestatis* ecclesiasticae vel civilis.

Inter eas eminet et nominatim saepe damnata est secta massonica, in quam CLEMENS XII, C. *In eminenti*, 28 apr. 1738 primum excommunicationem tulit. Eadem poena nominatim damnati sunt Feniani (*S. O.*, 12 ian. 1870). Sectas damnatas sub excommunicatione constituunt Nihilistae, Anarchistae, etc. Quaedam sectae a S. Officio nominatim damnatae sunt, quin eorum socii excommunicatione punirentur, v. g. sectae americanae Odd Fellows, The Sons of temperance, The Knights of Pythias. — Socialistae autem plerique potestatem ecclesiasticam, non semper tamen directe, impugnant, sed multi potestatem civilem solis mediis politicis acquirere conantur, potius quam evertere nitantur ; neque, qua tales, secretam societatum temperationem habent.

Machinantur qui ex praefinito fine, ex statutis, collatis viribus aliquid moliuntur.

---

(1) *CIC.*, Resp. 25 iul. 1926, ad. V. — *AAS*, 1926, 394. — *NRTh.*, 1926, 789.
(2) Cf. Dict. Hist. Géogr., v. Appel comme d'abus.

Parum refert utrum conatus isti publice an secreto adhibeantur, neque utrum secretum iureiurando necne firmetur (*S. O.*, 10 maii 1884). Nullum delictum adest si mediis legitimis illegitimam potestatem, etiam secreto, evertere conentur.

Ad poenam contrahendam satis est sectae *nomen dare*, i. e. in ipsam sectam ingredi.

1. Adeo sollemnes et repetitae damnationes in sectam massonicam latae sunt, ut adhaesio, saltem *publica*, in contemptum auctoritatis ecclesiasticae necessario vergat (Cf. c. 2205, § 3). Quare, ista adhaesio gravi incommodo vel timore excusari nequit. Adde periculum fidei et cooperationem malam, ob quae ista adhaesio lege divina prohibetur.

Suppressa est excommunicatio lata (C. *Apostolicae Sedis*, II, 4) in eos qui iisdem sectis favorem qualemcumque praestant, in « eorum occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint ». Quod ad primum, si cooperatio fuerit efficax et necessaria, sufficit c. 2231 ; quod ad secundum, denuntiatio ista nostris diebus satis inutilis facta erat (Cf. HOLLWECK, § 104, nota 9).

2. In *reconciliatione* Massonum cum Ecclesia, haec notanda sunt : Debent re ipsa sese omnino separare a secta ; promittant se numquam amplius soluturos pecuniam conventam, et removeatur scandalum eo meliori modo, quo fieri potest ; animo sint parati ad nomen suum revocandum si et quando id facere absque gravi damno potuerint (Instr. *S. O.*, 7 mart. 1883. ASS., XVI, 21). Dummodo noverint saltem poenas graves in actum suum latas fuisse, detur a censura absolutio quae opportuno recursu valida fiat in foro externo, si adhaesio publica fuerit. Praeterea ne omittant codicillo vel speciali documento revocare voluntatem funeris irreligiosi, si quam expresserint. Tandem generatim insignia, libri, documenta Superiori ecclesiastico vel eius delegatō tradenda sunt.

Separatio a secta et revocatio impii pacti vel testamenti semper exigendae sunt ; alia *per se* quantum fieri potest obtinenda.

3. *Clerici* et *religiosi* qui nomen sectis ita damnatis dederint, gravissimis poenis f. s. plectuntur, ad normam **c. 2336**, § 1.

« Insuper clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii » (ibid., § 2).

Obligatio haec denuntiationis nulla poena canonica sancitur, sed omnes fideles urget a quibus efficaciter et sine proportionato incommodo impleri potest. Ubi plures delictum cognoscunt, laici vel clerici inferiores supponere possunt denuntiationem a clericis maioribus, praesertim a parocho vel a Superiore factum iri. Haec universalis obligatio iure novo inducta est. — Non licet Superioribus religiosis, etiam exemptis, se huic negotio immiscere (c. 501, § 2. Cf. *Epitome*, I, 574, 3). Denuntiatio directe aut per ministerium Ordinarii loci ad S. Officium deferenda est.

536. - *De impedita iurisdictione a sacerdote et praesertim a parocho.*

« § 1. Si parochus, ad impediendum exercitium ecclesiasticae iurisdictionis, ausus fuerit turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque similia agere, pro gravitate culpae, secundum prudens Ordinarii iudicium, puniatur, non exclusa, si res ferat, suspensione.

« § 2. Eodem modo puniat Ordinarius sacerdotem qui multitudinem quoquo modo excitet ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdotis legitime nominati in parochum aut oeconomum » (**c. 2337**).

Delictum quod c. 2337, § 1 praecavetur est praesertim oppositio a parocho contra suam oeconomicam amotionem facta.

Ubi non est peccatum, nec delictum intellegi potest. Quare, si quis parochus, ad innocentiam suam vel utilitatem ministerii sui probandam, proborum paroecianorum testimonia privatim, vel etiam publice, sine populi turbatione, exquirat, nulli poenae obnoxius sit.

537. - *De complicitate cum excommunicatis vel interdictis* (c. 2338). Quattuor delicta in totidem paragraphis huius canonis proponuntur.

1. Absolvere praesumentes, i. e. cum plena cognitione legis et poenae et libertate, sine debita facultate generali vel particulari, ab *excommunicatione l. s.* specialissimo *vel* speciali modo Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (Cf. C. *Apostolicae Sedis*, I, 12).

Eximitur a poena qui positive et probabiliter dubitat num paenitens poena ista innodetur, num casus sit urgens, num ipse facultatem habeat, etc. Excusatio valet, etiam si dubium ex ignorantia crassa oriatur. — *Fictio absolutionis* censurae isti non subiacet.

2. Excommunicatione l. s. Sedi Apostolicae simpliciter reservata puniuntur :

1° « Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit » (ibid. § 2).

Hic agitur de formali cooperatione in peccato, quae nemini, etiam consanguineis, licet. Auxilium vel favorem praestiterit qui reum verbo scriptove ob eius delictum publice defendat ; qui media eius damnatae doctrinae spargendae, ut cathedram publicam, libros, etc. procuret ; qui eum contra ecclesiasticos Superiores tueatur, etc.

2° « Clerici *scienter et sponte* in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes » (ibid.). (Cf. C. *Apostolicae Sedis*, I, 17).

Clerici sunt omnes et soli qui primam tonsuram receperunt ; neque iam eximuntur episcopi et religiosi clerici, nam lex iuxta Codicis definitiones (cf. c. 108, § 1), si quae dentur, est explicanda (Cf. *Epitome*, I, 200). Quia tamen qui subdiaconatum saltem acceperunt, soli divina officia peragere possunt et clerici minores auctoritate in ecclesiis rarissime pollent, clerici minores et simplices religiosi delictum in c. 2338 definitum vix perpetrare poterunt. Cerato, n. 79 non dissentit, sed videtur sibi n. 79, f, contradicere.

Sponte facit, qui omnino libere agit, etiam si non ex se, sed ab altero requisitus ; qua voce confirmatur : « scienter ».

Iuxta interpretationem probabilem veteris iuris (1), unicum delictum duplici verbo exprimitur, et prohibita communicatio est receptio in divinis. Quae, ut patet, ab illo tantum fieri potest qui auctoritate ab exercendis divinis officiis removere potest, ut sunt Ordinarius, decanus Capituli, parochus, Superior domus religiosae, etc. Sic quoque Cappello, *De censuris*, n. 310.

Qui cum vitando divinum officium scienter et sponte obiverit, dum id vitare possit, quin tamen potestatem eum removendi habeat, graviter peccaverit, at verius censuram non committat.

(1) Bucceroni, *Theol. mor.*, Tract. de cens., n. 71.

3. « Scienter **celebrantes** vel celebrari facientes **divina** in locis **interdictis** vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint » (c. 2338, § 3).

Duo ex delictis hic recensitis reum auctoritate praeditum supponunt, sine qua nemo « celebrari *facit* » vel stricto sensu « ad officia *admittit* ». Dum vero laicus celebrationem officii, utique iniuste, imperare potest, soli clerici, ad quorum celebratio spectat, ad officia celebranda admittunt. Non refert modus quo locus interdictus est, sed prohibitio, ut patet, diebus ab interdicto exceptis non tenet (Cf. supra, n. 476).

4. « Qui **causam dederunt interdicto** locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti » (c. 2338, § 4).

Quare ubique celebratione officiorum, administratione vel receptione sacramentorum, etc. prohibentur et, nisi signa resipiscentiae dederint, sepultura ecclesiastica carent (c. 2275. Cf. supra, n. 477).

538. - *De abusu potestatis in sepultura ecclesiastica.*

« Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi sepulturae ecclesiasticae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum c. 1240, § 1, contrahunt excommunicationem l. s. nemini reservatam ; sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum » (**c. 2339**).

Mandant sane ii tantum qui potestate publica pollent ; *cogere* vero sive physice sive moraliter alii quoque possunt.

Non desunt tamen commentatores (1), qui Bucceroni (2) sequentes, hanc quoque vocem de abusu potestatis publicae interpretantur ; neque omnino repugnamus, quia verba « mandantes seu cogentes » quandam similitudinem actionum insinuant, etsi sententia nobis minus placet.

Quid sit **tradere sepulturae ecclesiasticae** controvertitur. Alii nitentes definitione c. 1204, translationem ad ecclesiam, exsequias et depositionem in loco fidelibus condendis legitime deputato ad existentiam delicti requirunt (cf. Cappello, *o. c.*, n. 401 alios allegantem), alii sola depositione illegitima censuram admitti censent (v. g. Sole, *o. c.*, n. 367, 3°). Huic assentimur.

Ad hanc sententiam movemur : 1° quia verba Codicis ius vetus omnino referunt, cuius haec erat communior interpretatio. Negamus notionem sepulturae ecclesiasticae c. 1204 esse novam aut c. 1204 definire quid sit *tradere sepulturae ecclesiasticae* (cf. Hollweck, *Die kirchl. Strafges.*, § 83, 1) ; 2° distinctione c. 1241 inter sepulturam et officia funebria ; 3° ipso fine legis quae excommunicatos, etc. a suis subditis omnino separari vult.

Addi potest modus quo nostris diebus ius Ecclesiae violatur. Non enim mandant celebrari officia divina, sed cogunt ad tumulationem omnium indiscri-

(1) Sole, *o. c.*, n. 367. — (2) Bucceroni, *o. c.*, n. 84. — Cappello, *o. c.*, n. 401, 2.

minatim in loco sacro. Quare adhaeremus sententiae cl. Sole, *o. c.*, n. 367 3o contra Cappello, *De censuris*, n. 401.

Ut delictum exsistat, locus tumulationis debuit a legitima potestate ecclesiastica sepulturae fidelium deputari, uti deputantur coemeteria vel sepulcra familiarum modo saltem a parocho, cum delegatione Ordinarii, legitime benedicta fuerint.

Quinam a sepultura ecclesiastica excludantur, cf. *Epitome*, II, 549. Delictum non perficitur, nisi tumulatione absoluta.

539. - *De obduratione animi in censuris.*

« Si quis, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus » (c. **2340**, § 1).

Agitur hic de excommunicatis, etiam toleratis, dummodo censura saltem facto notoria sit. Quod vix obtinebit, nisi monitio in cassum praecesserit, quam Trid. Ss. XXV, c. 3 de ref. supponit. *Suspicio de haeresi* oritur ex contemptu, saltem apparente, auctoritatis ecclesiasticae, de quo iam veteres textus loquuntur (Cf. c. 13. X, *de poenis*, V, 37).

« Si clericus in censura suspensionis per semestre perseveraverit, graviter moneatur ; et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privetur beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat » (c. 2340, § 2).

Novum ius vetere severius simul et clarius est (1). Obduratum enim animum minore tempore definit et brevius tempus statuit ferendae sententiae.

540. - *De violatione privilegii fori.*

« Si quis contra praescriptum c. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ; si alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur » (c. **2341**).

Delictum consistit in violatione, plenissimo dolo facta, *privilegii fori*, quo « clerici... apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus provisum fuerit », ita ut illos *tamquam reos* coram iudice laico, sine speciali Superioris ecclesiastici competentis facultate, convenire non liceat.

Poenae, ut patet, non incurruntur, nisi ubi lex consuetudine vel Concordato non est abrogata, v. g. in Italia, in Hispania, in quibusdam regionibus Ame-

(1) c. 8, X, *de aet. et qual. et ord. praeficiendorum*, I, 14.

ricae meridionalis ; si agitur de causis criminalibus episcoporum, privilegium non videtur abrogatum etiam in Belgio, Gallia, Germania, etc. (Cf. *Epitome*, I, 209).

Textus C. *Apostolicae Sedis*, I, 7, quo hoc delictum definiebatur, multis controversiis locum dedit, quas solvit in sensum benigniorem declaratio S. Officii, 23 ian. 1886, in sensum mirae severitatis Motu proprio Pii X, 9 oct. 1911 (1). Codex, omissis verbis quae difficultatem movebant, simul perspicuitate sua vim prohibitionis declarat et immutat.

Pro auctoritate et dignitate clerici conventi, tres poenae diversae statuuntur :

1° Excommunicatio l. s. S. Sedi *speciali modo* reservata incurritur, si convenitur Cardinalis, Legatus S. Sedis, Officialis maior Curiae Romanae ob negotia ad eius munus pertinentia, Ordinarius proprius.

Quinam sint *Legati S. Sedis*, cf. supra, n. 533. — *Officiales maiores* Curiae Romanae sunt, praeter Praefectos SS. Congregationum, Secretarii et Subsecretarii earum ; Assessor et Commissarius S. Officii ; Regens S. Paenitentiariae ; Auditores, Promotor iustitiae et Defensor vinculi S. Rotae et Signaturae Apostolicae. Minus propter dignitatem quam ob munus graviori poena proteguntur, ut e textu canonis patet. Inspicienti seriem personarum facile apparet verba « ob negotia ad eorum munus pertinentia » referri ad solos Officiales Curiae Romanae ; quod ex absentia commatis quoque patet. — Eadem poena afficit quoque eum qui *proprium* Ordinarium illegitime convenit, quia violationi dignitatis additur gravis defectus submissionis erga Superiorem.

2° Excommunicatio l. s. S. Sedi *simpliciter* reservata contrahitur ab eo qui violat privilegium erga personam episcopi, etiam titularis, non Ordinarii sui ; Abbatis vel Praelati *nullius ;* supremi religionis iuris pontificii Superioris.

3° Violatio privilegii aliorum clericorum vel religiosorum punitur in clerico, suspensione ab officio reservata Ordinario, in laico, poenis ferendae sententiae.

Religiosi qui primam tonsuram non receperunt, si delicti *rei* fuerint, inter laicos computandi sunt. Clericis enim tantum relate ad privilegia assimulantur. — Ordinarius cui suspensio reservatur est Ordinarius rei proprius.

Delictum exsistit statim ac persona privilegio fruens a iudice convenitur, neque pendet a sententia quae in eam fertur. — Ubi munus iudicis est inter partes sine iudicio vel sententia pacem conciliare, causa delicti deficit.

Quia requiritur plenissimus dolus, nemo poenam contrahit qui non plena libertate, sed officio coactus, personam privilegiatam ad iudicem laicum trahit. Ipso canonis textu, iudices ab hoc delicto excluduntur.

541. - *De violatione clausurae monasteriorum* (c. **2342**).

« Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata :

---

(1) AAS, III, 1911, p. 555. Cf. *Per.*, VI, p. 105, ss. 190. — *Coll. Gandav.*, IV (1912), p. 259. — *Monit. eccles.* t. 23, p. 503, ss.

« 1° Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes ; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum ;

« 2° Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicunque ii sint, eas cuiuscunque aetatis introducentes vel admittentes ; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva ;

« 3° Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601 ».

Delicta sub excommunicatione prohibita sunt ergo haec :

1° **Ingressus** graviter illicitus personarum **utriusque sexus** in clausuram **Monialium**, quae vota *sollemnia* non tantum ex Instituto, sed de facto habent ; itemque introductio earundem personarum a quolibet vel admissio ab eo qui eas arcere debet.

2° **Ingressus** graviter illicitus **mulierum** in clausuram **regularium** virorum ; itemque introductio vel admissio earum, etiam *puellulae*, a quolibet.

3° **Egressus** graviter illicitus **Monialium** e monasterio, in quo viget clausura *papalis*.

Postulantes et noviciae e clausura illegitime egredientes, etsi graviter peccare possunt, excommunicationi non subiciuntur. Quid de Monialibus quae professionem sollemnem nondum emiserunt, in monasterio ubi talis professio emittitur ? Eas excommunicationi non subici censet P. VERMEERSCH (*Epitome*, I, 709) ; quae sententia probabilis est et practice tuta ; mihi theoretice verior est sententia opposita. Codex enim non distinguit et illae Moniales sensu stricto tales sunt (1).

542. - *De crimine laesae maiestatis et de violatione privilegii canonis* (**c. 2343**).

« § 1. Qui violentas manus in personam R. Pontificis iniecerit :

« 1° Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam ; et est ipso facto vitandus ;

« 2° Est ipso iure infamis ;

« 3° Clericus est degradandus.

« § 2. Qui in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati R. Pontificis :

« 1° In excommunicationem incurrit l. s. Apostolicae Sedi speciali modo reservatam ;

« 2° Est ipso iure infamis ;

« 3° Privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat.

« § 3. Qui in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem l. s. Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.

(1) Cf. SCHWEIGER, C. M. F., in *Comm. pro relig.*, 1923, 140, ss. — JOMBART, S. J., *Les Moniales à vœux simples*, in *N. R. Th.*, 1924, 351. — Nostrum *Religieux et religieuses*, 3ª ed., n. 233.

« § 4. Qui in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, prudenti arbitrio eum puniat ».

C. 2343 simul refert poenas C. *Apostolicae Sedis*, I, 5 et II, 2 statutas, simplicioribus tamen verbis utrumque delictum complectens. — In ipso agitur de *realibus* iniuriis, quibus persona directe vel indirecte violatur.

1. *Reales iniuriae*, quae verbis « violentas manus inicientes » significantur, *crimen laesae maiestatis* constituunt, si maioribus Praelatis inferantur, violationem vero *privilegii canonis*, quicumque clericus vel religiosus laedatur. De privilegio canonis, cf. *Epitome*, I, 208.

Delictum consistit in *factis*, non verbis, iniuriosis, quibus *persona* clerici vel religiosi, *directe vel indirecte*, laeditur. Persona autem directe attingitur, si laeditur corpus, indirecte, si libertas vi restringatur vel dignitas facto violetur. Proin violat privilegium qui clericum interficit, mutilat, percutit, carcere vel domi vi retinet, e domo vi eicit, qui in vestes clerici cum contemptu spuerit, etc. Canonem non violat qui bona clerici, etiam eius domum effringendo, surripit.

Gravitas laesionis non ex materiali damno tantum, sed ex violata quoque dignitate aestimanda est.

Ita levis in Cardinalem percussio peccatum grave et delictum erit.

Huic canoni applicandum est principium c. 2205, § 4 : « Causa legitimae tutelae contra iniustum aggressorem, si debitum servetur moderamen, delictum omnino aufert ». Excusatur quoque qui alium, iniuste impetitum, eodem moderamine defenderit.

2. Quattuor delicta et poenae distinguuntur, pro varia *dignitate* personae laesae, quae sola in hoc canone, exclusis munere vel relatione auctoritatis in reum, consideratur. Gradus dignitatis sunt Summus Pontificatus, dignitas cardinalitia et Legati S. Sedis, character episcopalis, status clericalis vel religiosus.

Dum olim omnes publici clericorum percussores excommunicatione qua vitandi erant, plectebantur, haec poena nunc violanti S. Pontificem reservatur (Cf. supra, n. 460, 2).

Quinam sint Legati S. Sedis, cf. supra, n. 533. — Hoc canone proteguntur novicii quoque (c. 614) et socii Societatum quae ad modum religionis constituuntur (c. 680). Postulantes noviciis in hac re assimulandos esse censemus, cum verba privilegii quae personas respiciunt, semper latissimam interpretationem receperint.

Cooperatores efficaces et praesertim necessarii, ad normam c. 2209, §§ 1-3 poenis huius canonis subici ex c. 2231 ita planum est, ut sententia opposita quam CAPPELLO, *o. c.*, n. 59 tuetur, solido argumento carere nobis videatur (Cf. supra, nn. 392. 425).

Etsi poena Ordinario *proprio* reservetur, ab Ordinario loci eiusque delegatis in casibus occultis remitti potest, vi c. 2237, § 2.

[542]

543. - *De iniuria verbali aut seminatione odii contra Superiores ecclesiasticos* (c. **2344**).

« Qui R. Pontificem, S. R. E. Cardinalem, Legatum R. Pontificis, Sacras Congregationes Romanas, Tribunalia Sedis Apostolicae eorumque Officiales maiores, proprium Ordinarium, publicis ephemeridibus, concionibus, libellis sive directe sive indirecte, iniuriis affecerit, aut simultates vel odia contra eorundem acta, decreta, decisiones, sententias excitaverit, ab Ordinario non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio adigatur, per censuras quoque, ad satisfactionem praestandam, aliisve congruis poenis vel paenitentiis, pro gravitate culpae et scandali reparatione, puniatur ».

Ex enumeratis personis perspicuum est *auctoritatem* personarum, non characterem clericalem hoc canone protegi. Contra iniurias oretenus et in personam prolatas, nulla sanctio iure praevidetur. — Ut quis simultates et odia excitare censeatur, supponitur repetitio gravis et iniustae exprobationis coram personis quae huiusmodi verbis ad odium vel simultates moveri queant. Improbatio tamen acerba et satis evoluta in libello vel periodico delictum istud complere potest.

544. - *De delictis contra bona ecclesiastica.*

Quinque delicta hic considerantur : 1° usurpatio bonorum vel iurium quae ad Ecclesiam Romanam (c. 2345) aut 2° bonorum quae ad alias personas morales ecclesiasticas pertinent (c. 2346) ; 3° alienatio illegitima bonorum ecclesiasticorum (c. 2347) ; 4° iniusta retentio doni ad causas pias facti (c. 2348) ; 5° negata solutio quarundam praestationum ad normam iuris (c. 2349).

Notandum est tantum in primo delicto non de solis bonis agi. Codex ita procedit a delictis natura sua gravioribus ad ea quae minus gravia sunt. Duo priora in C. *Apostolicae Sedis* recensebantur ; reliqua, praesertim illegitima alienatio, in veteri iure saepius notantur.

545. - *De bonis et iuribus Ecclesiae Romanae* (c. **2345**).

« Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiaceant excommunicationi l. s. speciali modo Sedi Apostolicae reservatae ; et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad eadem declarentur ».

1. **Actiones prohibitae** sunt *usurpatio*, i. e. occupatio rei a domino ereptae et tamquam suae, quod, in casu, sine auctoritate publica vix fieri potest ; et *detentio* bonorum vel iurium quae alius usurpaverit, v. g. haereditate, emptione, etc.

Hoc titulo censura plecterentur qui bona usurpata, v. g. Palatia Apostolica emerent.

Furtum numquam est usurpatio quia res a fure tamquam suae non considerantur.

2. Excommunicatio ista lata est ad vindicanda bona et iura *temporalia ditionis* pontificiae, qualis anno 1859 exsistebat (Cf. Hollweck, *Die Kirchl. Strafg.*, § 153, n. 3). Etsi novus textus antiquo generalior est et ad iura temporalia v. g. Camerae Apostolicae extendi per se potest, intentio mutationis nimis incerta videtur ut poena adeo extendatur. Quare *iura* cum veteribus commentatoribus definiemus « exercitium supremae iurisdictionis temporalis R. Pontificis ».

3. Quod ad vetitam *cooperationem*, distinguebant olim munera *mere civilia*, quae proximam utilitatem civium respiciunt, ut sunt munera iudicis, Praefecti custodum, etc. et *munera politica*, ut sunt Ministri, Praefecti provinciarum, etc., quae participationem supremae iurisdictionis continent. Ultima sub poena excommunicationis prohiberi censebant (Cf. Bucceroni, *Theol. mor.*, II, de C. *Apost. Sedis*, n. 14). Cum tamen etiam haec munera formalem cooperationem non necessario contineant et ipsius Ecclesiae boni referat ea a probis et catholicis viris obiri, nemo mirabitur ex ipsa S. Sedis tolerantia hanc prohibitionem non sustineri. Ii ergo tantum excommunicationi subiacent qui *efficaci* actione et cooperatione talia bona vel iura usurpant vel detinent. Tales fuerint qui propositioni restitutionis vel compositionis cum S. Sede efficaciter se opponant.

546. - *De usurpatione et iniusta retentione bonorum ecclesiasticorum* **(c. 2346)**.

« Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subiaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit ; quod si eiusdem ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam iure patronatus eo ipso privatus exsistat ; clericus vero, hoc delictum committens vel in eodem consentiens, privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur. »

1. Verba « *si quis* » sunt omnino generalia. Quare comprehenduntur *omnes fideles*, laici et clerici, sive dignitate polleant sive non, exceptis solis Cardinalibus, quia non expresse nominantur (cf. c. 2227, § 2).

2. **Bona** ecclesiastica *omnia* proteguntur, etiam incorporalia, seu *iura* in re, v. g. servitus, hypotheca, etc. *Ecclesiastica* sunt quae ad personam moralem ecclesiasticam pertinent ; patrimonium enim privatum clericorum et religiosorum bona ecclesiastica non sunt. — Satis est ad delictum committendum ut materia sit gravis ratione furti, cum omissa sint verba quae bona tantum pretiosa vel maximi valoris designabant.

3. **Actus prohibiti** sub censura sunt iniusta conversio in proprios usus et usurpatio bonorum ; oppositio facta ne reditus seu fructus a iusto possessore percipiantur. Supponitur semper efficax actio vel cooperatio. Quare plectuntur certe qui abusu potestatis bona ista a domino immediate erepta in suos usus convertunt, tamquam sua ; qui modo quolibet efficaci impediunt ne fructus eorum a iusto possessore percipiantur ; qui suffragio suo legem condunt, qua bona a suis dominis erepta Status fiunt. Furtum non esse usurpationem sensu canonis iam numero praecedenti diximus.

Etiam eos qui bona iam usurpata a civitate emant aut conducant censurae subici nunc censemus. Etenim mutatio iuris anterioris serio dubia est, tum ob praxim S. Sedis quae in Const. *Si umquam* Pii PP. XI, 15 iul. 1924. ad V. (1) confirmari videtur, tum ob fere unanimem scriptorum sententiam (2). Motiva oppositae sententiae in *NRTh.*, 1922, 204 ss. fusius scripsimus. Etsi argumentis

(1) *AAS.*, XVI, 1924, 311. — *Per.*, XIII, 140.

(2) Cappello in *Ius pont.*, 1925, 126 allegans multos. — Vromant, *De bonis Ecclesiae temporalibus*, n. 29.

contrariis non certo exploduntur, canone 6, 4° tamen ad mutandam sententiam in prioribus editionibus propositam adducimur.

4. **Absolutio** non conceditur, nisi reparatio iniustitiae praecesserit aut, si res tunc nimis difficilis sit, serio promittatur. Excommunicatio est S. Sedi *simpliciter* reservata. Tum quia actus prohibiti plerumque publici erunt, tum ob necessitatem frequentem compositionis ante restitutionem, saepius absolutio in foro sacramentali non sufficiet et ad Ordinarium erit recurrendum. Sunt quaedam instructiones S. Sedis de compositione cum iis qui delictum efficaciter et plene reparare nequeunt. (Indult. Secret., Stat., 21 sept. 1907. — S. Paenit. 16 ian. 1909. — Cf. Boudinhon, *Biens d'église et peines canoniques.* Appendices.)

547. - *De illegitima alienatione bonorum ecclesiasticorum* (c. 2347).

1. Principium generale est bona ecclesiastica, i. e. ad personam moralem ecclesiasticam pertinentia, si servando servari possunt, non esse etiam inter pia instituta alienanda. Porro *alienatio* consistit in translatione *iuris in re* quolibet modo facta, v. g. donatione, venditione, servitute, hypotheca, etc. Locatio diuturna in Codice speciales normas (c. 1541) habet. Si autem causa necessitatis, magnae utilitatis vel pietatis, alienationem suadeat, petendus est assensus Superiorum, ad normam c. 534, § 1 et c. 1532. Si agatur de rebus *pretiosis* vel de bonis quorum valor 30.000 libellarum vel francorum superet, semper requiritur beneplacitum Apostolicum ; pro bonis quae valoris inferioris sunt, necessarius est consensus aut Superioris religiosi competentis cum suo Capitulo (Cf. c. 534. *Epitome*, I, 504. 510) aut Ordinarii loci, auditis vel consentientibus variis personis, ad normam c. 1532 (Cf. *Epitome*, II, 854). In utroque casu, citati canones consensum qui ad valorem alienationis requiritur, expresse determinant. Iam poenae in alienantes sine licentia competentis Superioris statuuntur :

2. « Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta c. 534, § 1 et c. 1532 :

« 1° Si agatur de re cuius pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur ;

« 2° Si agatur de re cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, privetur patronus iure patronatus ; administrator, munere administratoris ; Superior vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas ; Ordinarii vero aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae ; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum ;

« 3° Quod si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus

praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata » (c. 2347).

Ut delictum habeatur, perfecta requiritur alienatio. Perfecta vero erit ipso contractu vel tantum traditione aut inscriptione pro variis iuribus. De condicionibus contractus, consulendae sunt leges civiles regionis.

Consensum dantes sunt ii quorum, vi ipsorum cc. 534. 1532, consensus requiritur.

A poena sub 3° statuta excusat quaelibet ignorantia non affectata ; plenissimus enim dolus requiritur.

548. - *De iniusta retentione bonorum causae piae* (c. 2348).

« Qui legatum vel donationem ad causas pias sive actu inter vivos sive testamento, etiam per fiduciam, obtinuerit et implere negligat, ab Ordinario, etiam per censuram, ad id cogatur. »

Causae piae sunt omnia opera quae finem religionis vel caritatis habent et motivo supernaturali suscipiuntur, praesertim in favorem eorum qui tali auxilio indigent. Huiusmodi sunt ecclesiae, monasteria, orphanotrophia, nosocomia, scholae pauperum, etc. Iamvero Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos exsecutores sunt (c. 1515). Quare debent invigilare ut impleantur.

Legantur bona quae per testamentum, *donantur* quae per contractum gratuito (etsi fortasse onere addito) cuipiam tribuuntur. Non absolvitur contractus donationis antequam res acceptata sit. *Inter vivos* dicitur quae statim post acceptationem vel alio tempore definito ius in alium transfert ; *mortis causa*, cuius effectus ad mortem usque donatoris suspenditur et quae revocabilis semper manet.

Per fiduciam legatum vel donatio fit, si res legatario vel donatario directe et soli designato committitur ut ab eo alii transmittatur aut alicui fini vel operi pio applicetur. Soli clerici vel religiosi de rebus sibi per fiduciam in favorem causae piae commissis Ordinarium monere debent (c. 1516). De his actibus, cf. *Epitome*, II, 834-837.

549. - *De praestationibus debitis* (c. 2349).

« Recusantes praestationes legitime debitas ad normam can. 463, § 1, 1507, prudenti arbitrio Ordinarii puniantur, donec satisfecerint. »

Parochus ius habet ut occasione celebrationis cultus divini vel administrationis quorundam sacramentorum oblationes quasdam exigat vel sponte oblatas percipiat (c. 463, § 1. *Epitome*, I, 504). Fideles debent quoque taxas statutis provincialibus vel dioecesanis definitas occasione gratiae concessae vel ministerii sacri solvere. Huiusmodi sunt taxae funerales, iudiciales, matrimoniales, etc. (c. 1507. *Epitome*, II, 827). Hae taxae titulo iustitiae debentur, sive ad solam sustentationem parochi sive ad solvendas gratiarum vel actuum impensas solvuntur. Quod officium cum grave sit, etiam poena imposita exigi possunt ; pro « prudenti Ordinarii arbitrio » tamen, ne suspicio avaritiae ingeratur vel occasio scandali praesertim acatholicis, praebeatur.

TITULUS XIV

DE DELICTIS CONTRA VITAM, LIBERTATEM, PROPRIETATEM, BONAM FAMAM AC BONOS MORES
(cc. 2350-2359)

550. - Delicta *contra vitam* sunt abortus (c. 2350, § 1), suicidium (c. 2350, § 2), duellum (c. 2351), mutilatio et vulneratio (c. 2354) ; *contra libertatem*, coactio ingressus in religionem (c. 2352), raptus (c. 2353) ; *contra proprietatem*, variae species furtorum (c. 2354) ; *contra bonos mores*, peccata praesertim qualificata contra VI Dei mandatum (cc. 2354. 2359), etc. Fere in singulis canonibus, poenae speciales in clericos horum delictorum reos feruntur.

551. - *De procuratione abortus.*

« Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam ; et si sint clerici, praeterea deponantur » (**c. 2350**, § 1).

Procurat abortum qui studiose et ex industria seu *directa intentione* actionem ponit qua fetus *immaturus* eicitur, i. e. qui *de facto* extra matrem vivere nequit.

1. *Acceleratio partus* habetur, ubi, saltem adhibitis mediis extraordinariis quae praesto sint, fetus extra uterum maternum vivere potest.

Studiose et ex industria facere, ut textus veteris iuris dicunt, seu procurare non idem est ac « praesumere, scienter facere ». Proin plenissimus dolus ad delictum committendum non requiritur (Cf. supra, n. 421, 2).

Textus Codicis ita concipitur ut controversias quasdam solvat. Omittitur, ut in C. *Apostolicae Sedis*, omnis distinctio inter fetum animatum et fetum inanimatum ; quare veteres sententiae de momento animationis in fetu masculino vel feminino non respiciendae sunt et ad solam certitudinem conceptionis attendendum est. — *Mater*, quam non nulli Commentatores C. *Apostolicae Sedis* a censura excusabant, ei iam expresse subicitur. — Canon ipse, verbis « effectu secuto », conatum delicti vel delictum frustratum a poena excludit.

Mandantes et *cooperatores* efficaces et necessarii ad normam c. 2231 eadem ac principalis auctor poena plectuntur.

2. Reum, etiam si gravissime peccet, *metu gravi* ab hac poena excusari merito censent Cappello, *o. c.*, n. 385, Genicot-Salsmans, *Theol. mor.*, II, n. 607, aliique, quos frustra impetit Sole, *o. c.*, in h. c. Ubi enim imputabilitas *metu gravi* minuitur, etiam si non tollitur, poenae l. s. non incurruntur. Id diserte asserit c. 2229, § 3, 3°. Porro c. 2218, § 2 sane gravem imputabilitatem ad poenam contrahendam requirit, at non asserit poenam l. s. contrahi quotiens in actu sub poena prohibito gravis imputabilitas remanet.

Non contrahunt poenam in c. 2350, § 1 statutam : 1° qui *craniotomia* fetum interficit, sed subicitur poenis homicidarum ; 2° qui actu etiam graviter culpabili abortum *indirecte* procurat, v. g. operatione chirurgica graviter imprudenti, percussione mulieris gravidae, ex ira vel alia passione, etc. ; 3° qui actionis abortivae paenitens factus, *absolvitur antequam* effectus sequatur. Excommunicatio enim non incurritur nisi *effectu secuto.* Tempore autem quo effectus sequitur, reus est iam cum Deo per sacramentum, ideoque et cum Ecclesia, plene reconciliatus.

Sola autem paenitentia, si effectus ante confessionem sequatur, a censura

non eximere videtur (1) ; influxus enim in delictum non fuit plene abductus (Cf. c. 2209, § 5).

552. - *De suicidio vel conatu suicidii.*

« Qui in seipsos manus intulerint, si quidem mors secuta sit, sepultura ecclesiastica priventur ad normam can. 1240, § 1, n. 3 ; secus, arceantur ab actibus legitimis ecclesiasticis et, si sint clerici, suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum, et a beneficiis aut officiis curam animarum interni vel externi fori adnexam habentibus removeantur » (**c. 2350**, § 2).

Saepe non constat num qui in seipsum manus intulit, tempore quo propositum perfecit, gravis imputabilitatis capax fuerit. In dubio, sepultura ecclesiastica deneganda non est ; scandalum tamen fidelium opportuna monitione removendum erit. Ubi familia defuncti honesta et religiosa est, sepultura ecclesiastica nullo vel minori scandalo concedetur ; facile enim homines censent sui iam compotem non esse eum qui se ipse interficit.

553. - *De duello* (**c. 2351**).

« § 1. Servato praescripto can. 1240, § 1, n. 4. duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscunque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae.

« § 2. Ipsi vero duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames. »

1. **Tria delicta** excommunicatione puniuntur, sc. perpetratio duelli, ipse conatus delicti, cooperatio formalis vel materialis, graviter culpabilis, ipsi duello.

Duellum solet definiri certamen singulare (ita saltem ut singuli singulos adoriantur), privata auctoritate, loco, tempore et armis letalibus ex condicto statutis.

In hac definitione non omnia elementa idem momentum habent. Essentiale est ut certamen sit singulare seu paucorum, e condicto susceptum, quo alter alterum in corpore graviter laedere vult.

S. C. Concilii in resp. 9 aug. 1890 (2) de duellis alumnorum Universitatis in Germania secuta est sententiam eorum qui arma letalia ad delicti notionem non requirunt, sed duellum definiunt « periculo occisionis, mutilationis vel vulneris ». Cf. Ferraris, *Bibl. can.*, v. *Duellum*, n. 1 (Cf. d'Annibale, *Comm. reat. in C. Apost. Sedis*, n. 78). Quae sententia, si explicationes scriptorum melius examinaveris, communior revera est quam esse videtur (3).

---

(1) P. Vermeersch id pro *certo* habet.
(2) ASS., t. 23, 234.
(3) Cf. A. Vermeersch, *Per.*, XIII, (181), ss.

Satis est ad delinquendum ut quis *provocet* ad duellum vel illud *acceptet,* etiamsi duellum ob quamvis rationem non perficiatur.

Neque opus est ut in provocatione locus, tempus et arma iam determinentur, dummodo firma voluntas proximi et singularis certaminis cum armis letalibus manifestetur.

Cooperatores positivi et negativi solius perfecti delicti plectuntur.

Mandans duellum principali auctori assimulatur ; cooperantur positive *patrini, medicus* et *confessarius* qui ex condicto ministerium praestare parati sint ; qui laudibus animum addunt ; qui locum duello concedit ; qui, ut duellum spectentur, in locum certaminis se conferunt ; qui in « *consiliis* honoris » decernunt locum esse conserendo certamini ; qui duellantes, *ut se praeparent,* exercent ; custodes publici, qui cum certamen impedire possint, id non faciunt ; principes qui illud permittunt eique favent, v. g. exigendo ut exercitum deserat qui provocationem respuit.

Delictum non committunt qui e loco, ubi duellum conseritur, non exeunt, v. g. e contubernio ; medicus vel confessarius, qui *post* duellum vocati, suum ministerium praestant ; probabiliter etiam iudices qui duellantes absolvunt : ipsi enim eorum delicto non faverunt.

2. **Poenae.** Valde mitigata est poena privationis sepulturae ecclesiasticae. Benedictus XIV, C. *Detestabilem,* 10 nov. 1752, § 9 decreverat sepultura ecclesiastica privandos esse omnes qui e vulnere in loco duelli accepto morerentur, *etiamsi* paenitentiae signa dedissent et absolutionem obtinuissent. Nunc a sepultura ecclesiastica arcentur iisdem condicionibus ac ceteri peccatores publici.

554. - *De iniusta coactione ad statum clericalem vel religiosum* (c. **2352**).

« Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam. »

1. Delicta. Delictum supponit coactionem, et gravem quidem ita ut aliquis statum clericalem vel religiosum non amplectatur, nisi ut a minis vel importunis suasionibus se liberet.

Metus reverentialis in hoc casu praecipue respiciendus erit, qui in familiis piis et pauperibus regionum meridionalium haud ita raro incutitur.

Obiectum coactionis est triplex : ingressus in statum clericalem, ingressus in religionem, emissio omnis professionis religiosae.

Ingressus in statum clericalem receptione tonsurae, in vitam religiosam initio noviciatus perficitur (Cf. *Epitome,* I, 614). Si quis ergo in Seminarium vel in postulatum coactus ingressus sit, deinde, mutato consilio, libere statum amplectatur, delictum non erit commissum. Movet tamen difficultatem dubium num coactio virtualiter perseveret, ita ut, minis vel precibus non expresse renovatis, candidatus vitae clericali vel religiosae ex solo earum timore ulterius progrediatur. Si perversa cogentis voluntas signis satis manifestis, immo solo silentio, indubia fuerit, censura contrahatur.

In religione quae primam professionem perpetuam servaverit, quaeri potest

num coactio ad ea, quae *ultima* nuncupantur, vota, delictum constituat. Ratio dubitandi est quod religiosus libertate sua efficaciter non privatur, qua se primis votis perpetuis iam spoliavit. Distinctione opus esse videtur. Si ultima vota, uti prima, professionem simplicem continent, delictum serio dubium videtur. Qui casus est coadiutorum spiritualium in Societate Iesu et religiosarum Congregationis SS. Cordis Iesu. Est tamen qui dicat : « Quorsum coactio adhibetur, nisi secus libertas quaedam maneret » ? Si ultima vota sunt professio sollemnis, delictum committitur : applicantur enim, stricto sensu, verba legis et attingitur finis intentus. Nam post emissam professionem sollemnem, religiosus quod ad bona et ad facultatem matrimonii contrahendi libertate magis spoliatur quam votis simplicibus.

Soli Cardinales ab hac poena *l. s.* eximuntur ; non enim expresse nominantur. Omnes autem alii Superiores ecclesiastici et civiles ei subiacent. Nullus enim canon exigit ut reges, ad contrahendam poenam *l. s.*, expresse nominentur (Cf. PENNACCHI, II, 266).

Cooperantur delicto qui suo efficaci suffragio ingressum vel professionem possibilia faciunt. Quare tum ob expressam veteris iuris mentionem, tum ob principium in c. 2231 statutum, qui in Consilio vel Capitulo, coactionem cognoscentes, suffragio deliberativo clericum ad tonsuram aut aliquem ad noviciatum vel ad professionem admittunt, excommunicatione plectuntur.

2. *De effectibus coactionis.* Nullitas actus coacti, vel saltem eius effectuum, poenis additur. Qui coactum ingressum in statum clericalem probaverit, nullo negotio ad statum laicalem redire poterit (cc. 211. 214) ; ingressus coactus in noviciatum et coacta professio sunt ipso facto nulla (cc. 542, 1° ; 572, 4°).

555 - *De raptu mulieris* (c. 2353).

« Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur. »

1. Delicta sunt *raptus violentiae* et *raptus seductionis.* Condiciones horum delictorum non eaedem sunt atque impedimenti matrimonii (Cf. *Epitome,* II, 349, ss.).

Raptus violentiae est *abductio* mulieris cuiuslibet *invitae,* libidinis explendae vel matrimonii contrahendi causa. Raptus seductionis habetur, si abducatur eodem fine mulier *minoris aetatis consentiens,* sed *invitis* iis quibus commissa est. In priore casu protegitur stricte ipsa libertas mulieris, in altero imbecillitas iudicii et voluntatis. Delictum absit, si mulier minor natu *sponte* petat ut cum amasio proficiscatur, ita ut suasionibus vel dolo amasii profectio non debeatur.

In delicto, secus atque in impedimento matrimonii, retentio violenta mulieris in loco ad quem sponte accessit, abductioni non aequiperatur.

Raptus legibus multarum gentium punitur. Cf. v. g. Cod. poen. belg., aa. 368. 369. 371. — Cod. poen. germ. §§ 236-238. Quare Ordinarius a poenis inferendis plerumque abstinere poterit ex c. 2223, § 3, 2°.

556. - *De delictis mixti fori* (c. 2354).

« § 1. Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus, venditionis hominis in servitutem vel alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non

qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna.

« § 2. Clericus vero qui aliquod delictum commiserit de quibus in § 1, a tribunali ecclesiastico puniatur, pro diversa reatus gravitate, poenitentiis, censuris, privatione officii ac beneficii, dignitatis, et, si res ferat, etiam depositione ; reus vero homicidii culpabilis degradetur. »

1. Delicta in § 1 canonis 2354 enumerata sunt mixti fori omnia, in quibus, si agitur de laico, ubique locus praeventioni datur (c. 1553, § 2), etsi Ecclesia laicos horum delictorum reos nunc civili potestati iudicandos semper permittat.

Addit tamen ipsa sanctionem quandam, sc. exclusionem ab actibus legitimis et a quolibet munere in Ecclesia. Condicio huius poenae est legitima, i. e. iusta, ad normam legum regionis, rei condemnatio, cuius causa fuerit delictum prout in iure ecclesiastico definitur. In plerisque casibus lex poenalis laica canonibus remissior est. Quare, si quis ob delicta hic recensita, ad normam iuris laici, condemnatus fuerit, poenam in c. 2354 procul dubio mereatur.

2. Cum *clerici* poenis ferendae sententiae ad normam solius iuris canonici puniendi sint, notio delictorum canonica breviter est proponenda.

3. **Homicidium** est iniusta occisio cuiuslibet hominis vivi. *Voluntarium* dicitur, si directe vel indirecte, i. e. in causa, intentum fuit ; *casuale*, si praeter intentionem accidit, sive ex gravi negligentia, quod *culposum* vocatur, sive sine ulla culpa, quod *mere casuale* dicitur. Homicidii reus habetur qui hominem occidit dans operam rei propter periculum homicidii prohibitae, v. g. si clericus chirurgiam exercuerit (Cf. Wernz, *o. c.*, VI, 363, ss. Hollweck, *o. c.*, § 162. nn. 3. 4). Depositione puniebatur clericus reus homicidii etiam culposi (Cf. c. 46, D. 50 ; c. 7, X, *de homicid. vol. et cas.*, V, 12).

Gravitas homicidii augebitur ex praemeditatione aut ex circumstantia gravem speciem addente, v. g. in parricidio. De *abortu*, qui verum homicidium est, specialis lex fertur c. 2350, § 1.

Usura est contractus onerosus dandi et accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ex sola vi et causa mutui. Potest esse *expressa* aut *palliata*, si nempe sub specie alius contractus exerceatur. « Sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur » (c. 1543). Iuxta leges civiles, usura dicit plerumque abusum necessitatis vel imbecillitatis mutuatarii ad lucrum nimium faciendum.

Rapina dicit iniustam ablationem rei alienae, mobilis, per vim factam (Cf. Wernz, *o. c.* VI, 404).

Furtum, iuxta theologos, est occulta acceptio rei alienae, domino rationabiliter invito. *Qualificatum* dicitur cui circumstantia aggravans et mutans speciem additur, v. g. furtum rei sacrae. Quaenam sit res *valde notabilis* ex adiunctis temporis et regionis aestimandum est ; non sufficit materia etiam absolute gravis.

Mutilatio et **vulneratio** in veteri iure canonico tamquam delicta non explicite, sed verbo generaliori « iniuria » sanciebantur (Cf. c. 23, X, *de sentent. et re iud.*, II, 27, qui in Codice (c. 2355) tamen pro verbali iniuria citatur). — *Iniuria* vero re aut verbis fieri potest (l. 1, § 1, ff. XLVII, 10).

557. - *De iniuria verbali* (c. 2355).

« Si quis non re, sed verbis vel scriptis vel alia quavis ratione iniuriam cuiquam irrogaverit vel eius bonam famam laeserit, non solum potest, ad normam can. 1618, 1938, cogi ad debitam satisfactionem praestandam damnaque reparanda, sed praeterea congruis poenis ac poenitentiis puniri, non exclusa, si de clericis agatur et casus ferat, suspensione aut remotione ab officio et beneficio. »

Iniuria designat hic laesionem iniustam honoris alius.

Signis, gestibus, sermone, cantu, scripto, imagine, etc. committi potest, et opponitur *reali* iniuriae, in qua persona vi physica in corpore, libertate, dignitate laeditur.

558. - *De bigamia* (c. 2356).

« Bigami, idest qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames; et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur. »

Bigamia est delictum eius qui matrimonium attentat conscius vinculi matrimonialis quo ipse vel compars ligatur.

Bigami inter publicos et manifestos peccatores habendi sunt, quibus sepultura ecclesiastica, nisi signa paenitentiae dederint, est neganda (Cf. c. 1240, § 1, 6°).

Ubi lex civilis divortium perfectum permittit, delictum bigamiae in lege poenali laica alio sensu atque in iure ecclesiastico intellegitur, nempe de eo qui, vinculo matrimonii civilis per mortem coniugis vel per divortium non soluto, novum matrimonium civile attentat.

559. - *Delictis laicorum contra VI Dei mandatum* (c. 2357).

« § 1. Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit.

« § 2. Qui publicum adulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant, vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint. »

1. **Delicta** hic recensita omnia mixti fori sunt. Ex eis tamen duo sunt quibus pleraeque leges civiles nimis indulgent, sc. adulterium et concubinatus. Immo lege divortii, concubinatus adulterinus sanctione poenali destituitur et

formis legalibus initus publica auctoritate protegitur. Quare Codex, dum in ceteris delictis condemnationi legitimae poenas suas addit, adulterium publicum et publicum concubinatum ab Ordinariis immediate puniri iubet.

2. **Adulterium** est concubitus inter virum et mulierem, quorum saltem alter vinculo matrimonii ligatur, et cum conscientia huius vinculi. Ut laicus poenis canonicis puniatur, satis est delictum esse *publicum*, i. e. iam divulgatum.

Concubinatus est diuturnum intentione et re inter easdem personas, matrimonio non coniunctas, carnale commercium.

3. Ordinarii erit iudicare num signa resipiscentiae sufficiant, cum poena in foro externo inflicta remittenda sit.

Canonica aliorum delictorum notio datur infra sub n. 560, 3.

560. - *De delictis carnis a clericis commissis* (cc. 2358. 2359.)

Codex in cc. 2358 et 2359 clericos minores ab iis qui in sacris sunt, secernit. Quod ad istos, tres species delictorum distinguuntur : concubinatus, cuius poenae procedura non stricte iudiciali infliguntur ; graviora contra VI Dei mandatum peccata qualificata ; reliqua carnis delicta.

1. « Clerici in minoribus ordinibus constituti, rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant, praeter poenas de quibus in can. 2357, si his locus sit » (c. 2358).

In clericis minoribus punienda sunt non tantum delicta carnis quae in laico graviter plectuntur, sed alia quoque, v. g. fornicatio, tactus graviter inhonesti, scripta inhonesta, etc.

2. « Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181 » (c. 2359, § 1).

Nota concubinarios praesumi clericos qui commercium cum muliere prohibitum non vitent, sed continuant. De procedura adhibenda, cf. supra, nn. 367-369.

3. « Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur » (c. 2359, § 2).

Stuprum in iure canonico distinguitur *simplex* et *violentum*. Simplex definitur : illicita virginis defloratio ; violentum autem, secundum doctrinam Commentatorum, violenta mulieris honestae oppressio. Strictissimo sensu stuprum vocant violentam virginis deflorationem.

Delictum speciale est stuprum etiam simplex, quod suspensione, infamia et privatione officii, immo et depositione, ubi casus gravior erat, iure anteriori puniebatur (Cf. Reiffenstuel, in l. V, t. 16, n. 43, ss. — Hollweck, *Die kirchl. Strafg.*, §§ 174-175).

Bestialitas est coitus cum bestia. — **Sodomia** stricto sensu est concubitus duorum aut non servato debito sexu aut non servato debito vase. — Non est

cur his nefandis delictis immoremur, quae Moralistae magis determinant in tractatu de castitate et vitiis contrariis.

Lenocinium est delictum eius qui ob pecuniam vel saltem ob propriam utilitatem ad fovendas impuras cuiuslibet passiones personam aliam ad inhonestum commercium inducit vel cogit. Ius canonicum propriam huius delicti notionem non habet, sed definitione sive iuris romani, sive iuris civilis posterioris contentum fuit (Hollweck, *o. c.*, § 184).

Incestus est concubitus inter personas consanguineas vel affines iure prohibitas a matrimonio inter se valide contrahendo. Tamquam delictum *speciale*, nam omnis incestus vi § 3 puniendus est, designatur incestus in primo gradu, in linea recta vel collaterali.

4. « Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant » (c. **2359**, § 3).

TITULUS XV

DE CRIMINE FALSI

(cc. 2360-2363)

561. - Commentatores sub hoc titulo de variis criminis falsi rationibus agunt, v. g. de supposito partu, de corruptione ponderis et mensurae, de mercibus adulteratis, de nummis falsis, etc. Quae delicta novo iure potestati civili unice punienda permittuntur. De crimine falsi in iudiciis vel collusione, cf. cc. 1743, § 3. 1755, § 3 ; 1624. 1625. 1666. Codex sub hoc titulo de crimine falsi in documentis ecclesiasticis publicis vel in denuntiatione sacerdotis sollicitantis loquitur.

562. - *De falsis litteris Apostolicis* (c. **2360**).

« § 1. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

« § 2. Clerici delictum de quo in § 1 committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt ; religiosi autem priventur omnibus officiis quae in religione habent et voce activa ac passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas. »

Fabricatores sunt qui documentum ex toto conficiunt, falsarii, qui documentum in re substantiali cum dolo, i. e. scientes et volentes, immutant.

Tertia condicio, sc. ut falsitas graviter nocere possit, secundum probatos iuris veteris commentatores ad falsi crimen *in genere* ita pertinet, ut, eo absente,

delictum absit. Sic REIFFENSTUEL, in l. V, t. 20, n. 1. Attamen idem auctor (ibid. n. 33) cum BONACINA (*De censuris*, I, VII, 2, 5) et CASTROPALAO (Tr. 29, D. 3, p. 7, n. 4) tenet falsarios *litterarum Apostolicarum* censura plecti, etsi ex mutato documento nullum aut modicum damnum emergat ; quia non propter damnum, sed propter contemptum auctoritatis damnantur. D'ANNIBALE (*Comment. reat.* n. 60) distinguit. Si litterae Apostolicae alius intersunt, damnum requiri censet ; mutationem substantialem sufficere, si tua intersunt. Quam distinctionem propter auctoritatem viri negare nolimus.

Omnia documenta *publica S. Sedis* i. e. tum S. Pontificis tum quae a SS. Congregationibus, tribunalibus et Officiis procedunt, censura contra falsum proteguntur.

Litterae Apostolicae sunt Bullae, Brevia, litterae encyclicae ; **decreta**, v. g. praescriptiones disciplinares sive motu proprio a R. Pontifice sive a SS. Congregationibus editae ; **rescripta**, responsa S. Sedis ad litteras quibus gratia vel interpretatio legis petitur. — *Poena* olim falsarios litterarum solius R. Pontificis feriebat.

Utuntur falso documento qui eius effectum obtinere actu conantur, etsi finem suum non consequantur. Id agit qui v. g. falsum rescriptum competenti Superiori ad gratiam obtinendam offerat, etiamsi Superior, falsitate agnita vel ob aliud motivum, gratiam non concedat.

Censura in utentes sub novo iure multo severius urgetur ; in C. *Apostolicae Sedis*, I, 9 ; III, 3 reservabatur Ordinario.

563. - *De subreptione et obreptione* **(c. 2361).**

« Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri, salvo praescripto can. 45, 1054 ».

Subreptio vitium est rescripti ad preces reticentis ea quae ex stylo Curiae ad validitatem exprimenda sunt ; **obreptio** est allegatio falsi in precibus.

In rescriptis quae *Motu proprio* conceduntur, subreptio non nocet, nisi reticita fuerit unica causa finalis (c. 45) ; immo, etiam tunc validum est rescriptum quo conceditur a S. Sede dispensatio a minore impedimento matrimonii (c. 1054. Cf. *Epitome*, I, 133, ss. II, 318). Delictum est novum in iure eiusque poena non stricte urgetur : « potest... puniri... ».

564. - *De falsariis documentorum quorumcumque ecclesiasticorum.* **(c. 2362).**

« Litterarum vel actorum ecclesiasticorum tam publicorum quam privatorum fabricatores vel falsarii vel huiusmodi documentis scienter utentes, pro gravitate delicti coerceantur, firmo praescripto can 2406, § 1. »

Litterae et acta erunt *publica* vel *privata*, prout a personis publicis, i. e. ex officio vel munere ecclesiastico agentibus, auctoritate praeditis, vel privatis emanant vel emanare dicuntur. Acta publica sunt v. g. rescripta Ordinarii, testimonia parochi, de factis ad suum officium pertinentibus, etc. ; privata, v. g. instrumentum sponsalicium ; instrumentum venditionis boni ecclesiastici a procuratore monasterii factae, etc.

In c. 2406, § 1 poenae speciales statuuntur contra personas publicas qui munere suo in conficiendis actis abutuntur. Cf. infra, n. 611.

565. - *De falsa denuntiatione sollicitationis* (c. 2363).

« Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894. »

Quam grave sit delictum sollicitationis ad turpia in confessione, ex poenis c. 2368 tum in sollicitantem tum in non denuntiantem latis patet. Atrox ergo calumnia est falsa delatio qua crimen istud innocenti sacerdoti imputatur. Quare :

1. Peccatum calumniosae denuntiationis :

1° plectitur excommunicatione speciali modo Sedi Apostolicae reservata (c. 2363) ;

2° reservatur ratione sui S. Sedi (c. 894).

Legenti canones allegatos, discrimen quoddam textus statim obicitur ; sc. in c. 894 sermo est de denuntiatione apud iudices, in c. 2363 de ea quae apud Superiores fit.

Denuntiatio ex communi veteris iuris interpretatione *iudicialis* esse debet, ut *delictum* committatur. Iudicialis autem est quae fit : 1° apud Superiorem ecclesiasticum cuius est inquisitionem specialem instituere ; 2° modo ad processum instituendum apto.

Ubi agitur de sollicitatione ad turpia in confessione, soli **Superiores** competentes sunt : S. Officium et, in ordine ad poenam pro delicto infligendam, Ordinarius loci in quo reus habet domicilium vel quasi-domicilium vel in quo delictum est admissum. Ab hoc enim negotio prorsus excluduntur Superiores maiores, etiam religionis exemptae (c. 904. Cf. *Epitome*, II, 191, 4).

Denuntiatio iudicialis *in hoc negotio* est quae fit coram S. Officio vel Ordinario loci aut eorum delegato, cum interventu ecclesiastici viri qui personam notarii agat (cf. Instr. S. Officii, 20 febr. 1866, 20 iul. 1890).

Sane Codex definit modum quo denuntiatio iudicialis in genere facienda sit vel fieri possit, nempe etiam coram Vicario foraneo vel parochis qui eam scripto consignatam ad Ordinarium statim transmittant (c. 1936). Sed ex c. 904 vidimus istud denuntiandae sollicitationis delictum explicandum esse ad normam Constitutionum Apostolicarum, ideoque iuxta constantem earum sive authenticam sive doctrinalem interpretationem. Quare censemus Ordinariis illas S. Officii instructiones tamquam normas agendi manere.

His positis, sequitur : 1° *Superiores* de quibus in c. 2363 eosdem esse atque iudices quos nominat c. 894 ; 2° *Delictum* esse completum, statim ac persona falsam denuntiationem sive directe S. Officio vel Ordinario

qua tali vel eorum speciali delegato, modo ab ipsis indicato, proposuerit, sive iudices in sacerdotem falso accusatum inquirant, sive id non faciant.

Quare nec incurrit reservationem nec contrahit censuram qui sacerdotem de sollicitatione calumniatur coram laicis ; apud sacerdotem ab Ordinario non delegatum ; apud Ordinarium litteris anonymis, vel sub specie merae narrationis privatae, etc.

2. Condiciones absolutionis sunt *formalis* retractatio denuntiationis et reparatio damnorum.

Formalis retractatio ea est quae effectum iudicialis denuntiationis impediat vel removeat.

Per se, facienda est coram Superiore et scripto consignari. In casu urgenti, satis erit retractationem manu paenitentis exaratam et subsignatam ad Ordinarium loci mittere vel eam coram duobus testibus excipere. Si excipias casum quo reus faciendae retractationis physice, v. g. morbo gravi impeditur, verba canonis ita sunt explicita ut absolutionem non permittant etiam post seriam retractationis *promissionem*.

Cum damna quaedam plerumque statim reparari nequeant, satis erit paenitenti reparationem possibilem statim praestare, reliquam vero sincere promittere et postea perficere ; « pro viribus » enim reparare debet.

Gravis ac **diuturna** paenitentia ea est quae saltem per tres menses duret et paenitentem saepe gravet, v. g. recitatio Rosarii flexis genibus, semel in hebdomada, ieiunium semel in hebdomada, via Crucis, paulo longior visitatio SSmi, bis vel ter in hebdomada ; pia et incommoda peregrinatio, eo frequentior quo facilius institui potest.

Ratio tamen habeatur virium corporis et animae, ne obruatur qui poena erigi debet. — *Diuturnitas* eo citius completur quo saepius onus grave repetendum est. Minus in hac re attendendus est *vetus* stylus Curiae quam hodierna praxis S. Paenitentiariae. Sex menses proponit CAPPELLO, *o. c.*, 290 allegans D'ANNIBALLE, I, 341.

Reservatio casus, contra ac censura, ignorantia paenitentis effectu suo non privatur. Probabilitatem *extrinsecam* sententiae oppositae reicere nondum audet P. VERMEERSCH (*Epitome*, II, 174). Ceterum, paenitens antequam denuntiationem iudicialem faciat, de reservatione et poena monebitur.

TITULUS XVI

DE DELICTIS IN ADMINISTRATIONE VEL SUSCEPTIONE ORDINUM ALIORUMQUE SACRAMENTORUM

(cc. 2364-2375)

566. - Hic titulus loquitur iam praesertim, sed non unice, de delictis quae clericorum propria sunt ; laici enim in receptione tonsurae vel matrimonii delinquere possunt. C. 2364 agit de administratione sacramentorum indignis facta ; dein Codex agit in specie de delictis in administratione sacramenti Confirmationis (c. 2365) ; paenitentiae (cc. 2366-2369) ; tandem in administratione vel receptione ordinis (cc. 2370-2374) et matrimonii (c. 2375).

567. - *De administratione sacramentorum indignis facta* (**c. 2364**). « Minister qui ausus fuerit Sacramenta administrare illis qui iure

sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis Sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua huius generis delicta iure statutis » (c. 2364).

1. *Iure divino* arcentur a sacramentis vivorum, qui sunt in statu peccati, a sacramentis mortuorum, qui rite dispositi non sunt. *Ius ecclesiasticum* arcet eos qui etiam bona fide sectis acatholicis ascripti sunt (c. 731, § 2), qui excommunicatione (c. 2260, § 1) vel interdicto personali (c. 2275, 2°) innodantur, et saltem ab Eucharistia publicos peccatores ante congruam satisfactionem (c. 855, 1°).

Excludendi quoque sunt, si occulte S. Eucharistiam petant, occulti peccatores, quos sacerdos rite non esse dispositos probe noverit (c. 855, 2°) ; sed ministratio sacramenti in hoc casu vix punienda erit, cum Ordinario de delicto constare fere impossibile sit.

2. Poenae speciales statuuntur pro administratione sacramenti haereticis facta (c. 2316. Supra, n. 515), vel excommunicato vitando (c. 2338, § 2 ; supra, n. 537, 2).

568. - *De administratione Confirmationis sine facultate* (c. 2365).

« Presbyter qui nec a iure nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens sacramentum confirmationis ministrare ausus fuerit, suspendatur ; si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus exsistat. »

Ipso iure donantur facultate administrandi Confirmationem ubique S. R. E. Cardinales (c. 239, § 1, 23°) ; in suo territorio et durante munere, Abbas vel Praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus (c. 782, § 3). *Indulto speciali*, omnis presbyter istud sacramentum conferre potest (c. 782, § 4).

Delinquit igitur, v. g. Abbas, carens iurisdictione territoriali, qui Confirmationem conferat ; Praelatus *nullius*, qui id extra territorium suum faciat ; presbyter, qui, sine expressa ritus in indulto mentione, Confirmationem fidelibus non sui ritus conferat, etc.

569. - *De administratione paenitentiae sine iurisdictione* (c. 2366).

« Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis ; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus. »

1. Sine *necessaria* iurisdictione confessiones audit, etiam si absolvere non intendat, qui manifestationem peccatorum absolutionis petendae causa factam audit sine iurisdictione accepta vel cum illegitimo usu iurisdictionis ab Ecclesia suppletae.

Erga eos qui in periculo mortis versantur, omnis sacerdos iurisdictione munitur (c. 882). Ubi *dubium* sive iuris sive facti est positivum et probabile, usus iurisdictionis est simpliciter et semper licitus. In *errore communi*, certo deest iurisdictio, quam Ecclesia supplet tantum pro bono fidelium (Cf. *Epitome*, I, 284 ; II, 154). Si quis ergo, in errore communi, extra casum necessitatis confessiones audiat, sine *necessaria* iurisdictione nobis agere videtur et censurae obnoxius esse. P. Vermeersch tamen benigniorem sententiam non reicit (*Epitome*, II, 157). Ne tamen anxietas quemquam premat, nota poenam non contrahi,

nisi a « praesumente sic agere. » Quare omne dubium non prorsus inane vel omnis trepidatio vel ignorantia, non affectata, imputabilitatem minuens, a censura excusat.

2. Ex altera parte canonis, delictum est praesumpta *absolutio* a peccato reservato, sine necessaria iurisdictione.

Etsi peccata ratione sui aut censurae reservari possunt, in hoc canone de solis peccatis *ratione sui* reservatis agitur. His motivis ducimur : Quando de utraque reservatione loquuntur, potius dicitur a *casibus* quam a peccatis reservatis. Dein alius canon poenas in absolventem illegitime a censuris reservatis habet (c. 2338, § 1) ; tandem sub titulo « de reservatione peccatorum » (L. III, t. IV, c. II, c. 893, ss.) Codex de solis peccatis ratione sui reservatis loquitur (Contra Cerato, *o. c.*, n. 118, f). Sole et Eichmann in h. c., cum non allegent nisi canones de reservatione peccatorum, videntur nobiscum sentire. De facultate absolvendi in casibus quibusdam particularibus a peccato reservato, cf. *Epitome*, II, 179 ; a censura reservata, cf. *Epitome*, supra, nn. 452-454.

570. - *De absolutione complicis in peccato turpi* (**c. 2367**).

« § 1. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam ; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

« § 2. Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est. »

1. Iuxta c. 884, « absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo ; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita. »

Haec **complicitas** habetur cum sacerdos et altera persona, vir aut mulier, simul conscii gravitatis culpae alterius consentiunt in peccatum externum, grave qua externum, in se libidinosum. Elementa peccati complicitatis et adiuncta cum invalidae, tum illicitae absolutionis fuse exponuntur in *Epitome*, II, 153.

Praeterea sacerdos illicite *absolvens* vel *fingens* absolvere in adiunctis in quibus illicite absolveret, contrahit ipso facto excommunicationem S. Sedi specialissime reservatam.

Ut censura incurratur, requiritur et sufficit aut absolutio illicita aut fictio absolutionis, ubi absolutio illicita esset.

Iamvero absolutio est *licita* :

a) *Directa*, in periculo mortis, si adest necessitas.

Necessitas haec oritur ex periculo gravis scandali vel infamiae, si vocatur alius sacerdos ; ex impossibilitate vocandi alium sacerdotem ; ex voluntate paenitentis, qui alii quam complici confiteri nolit (Cf. *Epitome*, II, 159).

Infamia, de qua Benedictus XIV agit, est publica et communis vel saltem ad plures extensa ; gravem quoque non nulli aestimant infamiam quam complex apud confessarium patiatur, quocum commercium habeat, cum Moralistae in huiusmodi casu confessionem incompletam licitam dicant.

In periculo mortis, haec duo *sincera* mente perpendenda sunt : primum, maxima severitas qua omnis accessus sacerdotis complicis, non vere necessarius, prohibetur. Haec elucet cum e textu Codicis, tum ex C. *Apostolici muneris*, § 4 (8 febr. 1745), ex qua sacerdos complex, absolutione etiam in periculo mortis data excommunicationem contrahit 1° « si... quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit aut 2° ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit » atque ita complicem absolverit.

Alterum est periculum perditionis cui aegrotus ob angustias confessionis subici potest. Ei vero qui, his sincere perpensis, bona fide egerit, gravissima censura timenda non est. Cf. Salsmans, S. I. (*Casus conscientiae*, ed. 4, n. 823).

b) *Indirecta*, si confessarius deberet se cum gravi infamia prodere paenitenti qui eius nomen antea non novit (Cf. *Epitome*, II, 158).

c) *Directa, iuxta quosdam*, v. g. Ballerini-Palmieri, V, 424 (1) et Noldin, III, 371, 6, in casu gravissimae necessitatis.

Is erit, v. g. si nulla spes sit fore ut paenitens umquam vel ante longissimum tempus alium confessarium inveniat aut si praeceptum confessionis et communionis annuae sine gravi infama omitti nequeat et alius confessarius non adsit. Saltem in secundo casu, iurisdictionem directam concedi non admittimus.

Extra hos casus, absolutio est invalida et illicita.

Quare sedulo distinguenda est in variis casibus validitas absolutionis a poena contrahenda ; altera enim adesse, dum abest altera, bene potest. Sufficit allegare casum quo sine gravi infamia alii sacerdoti accessus ad paenitentem patere possit. Quotiens sacerdos complicem, saltem indirecte, licite absolvit, etiam si absolutio peccatum complicitatis per se non tollat, censura non contrahitur. Is sit casus sacerdotis qui a paenitente complice antea ignotus, se ipsum absolutionem negando cum gravi infamia prodere deberet.

Expresse mentio fictae absolutionis textui veteris iuris additur (C. *Apostolicae Sedis*, § 1, n. 10), iuxta non nullas S. Sedis declarationes, v. g. Resp. S. Paenit. 19 febr. 1896 et decr. S. Officii, 10 dec. 1883.

2. Absolutio erit *valida, indirecte* tamen quod ad peccatum complicitatis, si paenitens *bona fide* reticet peccatum complicitatis, instigante ipso confessario, qui sic absolvendo excommunicationem contrahit.

Confessarius ad id paenitentem inducere potest, v. g. dicendo inutilem esse accusationem peccati quod iam noverit ; aut persuadendo *nunc* paenitentem illud peccatum non fuisse grave.

Prorsus diversus est casus sacerdotis qui, ut alium ad actus inhonestos adduceret, ipsum persuasit istos actus sive in se sive cum ipso admissos, non esse grave peccatum. Id enim si alter crediderit vel saltem se credere finxerit, non fuit peccatum *complicitatis* in peccato turpi.

P. Arendt, S. I., conatur probare excommunicationi subici etiam sacerdotem qui absolverit complicem actum commissum reticentem quia sacerdos eum *antequam* turpia agerent persuasit talia, saltem inter se commissa, non esse grave peccatum. Etenim 1° paenitentem ad tacendum indirecte adduxit ; 2° hic conatus delicti in resp. S. Paenitentiariae, d. 19 febr. 1896 (2) sic intellegitur ; 3° id omnino ratio legis requirit.

---

(1) N. 655, in altera editione.
(2) *Anal. eccles.*, IV, 122. — *Ius pontif.*, 1923, 30 in nota.

Quam sententiam, a solo cl. scriptore propositam, (1) admittere non possumus. Nam sive in resp. S. Paenitentiariae, sive in Codice de *peccato* complicitatis agitur. In quaestione S. Paenitentiariae proposita, confessarius indirecte adducere paenitentem ad tacendum dicitur « quando... suadere conatur *paenitentem*, sive quod actio turpis cum ipso *commissa* non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat ; unde paenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum... ». Quae verba de peccato *commisso*, non de turpi actu *ponendo* valent. Secus consulens dixisset : « actio turpis cum ipso committenda vel commissa » et « unde paenitens conclusit ipsi licere talia peragere », non tantum « licere non declarare ».

Sed concedimus P. Arendt in foro externo damnatum iri sacerdotem qui accusaretur absolutionis datae paenitenti quem suadere conatus sit turpia secum committenda non esse peccatum grave, nisi *probaverit* complicem adeo iuris naturalis ignarum aut tam ingenuum fuisse ut illud crediderit.

3. Ab hac excommunicatione nullus umquam confessarius sine onere recursus absolvere potest. Explicite enim excluditur a facultate speciali pro casibus extraordinariis c. 2254, § 3 concessa.

Notandum videtur reum ignorantia crassa a censura non excusari.

571. - *De confessario sollicitante et de paenitente eum non denuntiante* (**c. 2368**).

I. « § 1. Qui sollicitationis crimen de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiciatur.

1. Ad normam c. 904 **crimen sollicitationis** committit sacerdos qui personam quamlibet quovis modo ad peccatum grave contra castitatem inducere conatur in actu aut occasione vel sub praetextu confessionis (Cf. *Epitome*, II, 187-190).

2. Istud peccatum non reservatur neque ulla poena latae sententiae plectitur, sed gravissimis ferendae sententiae poenis. Iuxta Instr. S. Officii, 20 febr. 1866, in his causis cautissime erit procedendum, cum sacerdos, sigillo confessionis ligatus vel auxilio testium destitutus, aegre se tueri possit. Quare numquam post primam denuntiationem punitur, neque ob denuntiationem quae unius personae testimonio nitatur, nisi forte sit omni exceptione maior. Degradatio sub veteri iure dicebatur a iure potius ad timorem imponi quam ut exsecutioni mandaretur (Instr. S. Officii, 20 febr. 1866, n. 12). In casibus difficilioribus, Ordinarii ad S. Officium recurrent.

II. « § 2. Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit. »

1. Solus *paenitens* sollicitatus confessarium *sub poena excommunicationis* denuntiare debet, ut ex ipso Codicis textu patet.

2. A censura incurrenda excusatur ob imminutam quovis modo imputabili-

(1) *Ius pontif.*, 1923, 22, ss.

tatem denuntiationis non factae, nam punitur qui eam « scienter » omiserit. Peccaverit tamen graviter qui proportionato incommodo non impeditus denuntiationem omittat et proin non sit absolvendus. De ipsa denuntiationis obligatione, cf. *Epitome*, II, 191.

572. - *De violatione sigilli confessionis* (c. **2369**).

I. « § 1. Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata ; qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis, de quibus in can. 2368, § 1. »

1. Violat *directe* sigillum confessionis qui revelat cum designatione personae ea quorum cognitionem ex manifestatione ad absolutionem obtinendam facta acquisivit. *Indirecta* violatio adest, sensu proprio qui hic solus est respiciendus, ubi revelatio ista ex modo loquendi permittitur, sc. narrando materiam cum periculo manifestationis personae vel designando personam cum periculo manifestationis materiae (cf. *Epitome*, II, 167).

2. Poena directae violationis est certo latae sententiae ob modum quo reservatur (Cf. supra, n. 408, 4°). Non incurritur cum imputabilitas quovis modo minuitur (« qui... praesumpserit ») sed cf. n. 423.

II. « § 2. Quicumque praescriptum can. 889, § 2 temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio. »

Iuxta can. 889, § 2 : « Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpres aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit ».

Excommunicatio, cum sit censura, ob delictum plene praeteritum infligi nequit ; quare Ordinarius eam imponere non poterit nisi violatori sigilli qui damna, quantum potest, reparare noluerit vel delictum monitus iteraverit.

Cum Codex violationem sigilli seu *revelationem* (c. 889) ab *usu scientiae* sacramentalis sine revelatione (c. 890) clare distinguat, in c. 2369 de sola revelatione rei in ordine ad absolutionem manifestatae agi dicemus. Quare poenas hic statutas non contrahat qui cum paenitente de eius confessione, sine licentia, loquatur ; qui ob scientiam sacramentalem paenitenti in electione suffragium deneget, etc.

573. - *De consecratione episcopi sine mandato Apostolico* (c. **2370**).

Consecratio episcopi S. Pontifici ita reservatur ut a quocumque alio eam peragi non liceat, nisi de eius mandato sive oretenus sive litteris Apostolicis accepto. Istud S. Pontificis ius gravi poena vindicativa protegitur, sc. :

« Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit. »

Presbyteri *assistentes* ii sunt quos, loco duorum episcoporum, adhiberi in regionibus dissitis interdum S. Sedes concedit. De suspensione obligationis observandi poenam in casibus urgentioribus, cf. c. 2290. Supra, n. 491, 2.

574. - *De simonia in sacramentis administrandis vel recipiendis* (c. **2371**).

Scienter confert sacramentum simoniace qui, sine ulla imputabilitatis imminutione, pacto explicito vel implicito, sed externe manifestato, se obligat ad conferendum sacramentum in compensationem boni temporalis. Simoniace recipit sacramentum qui illud recipit in compensationem boni temporalis, pacto explicito vel implicito in hunc finem concessi.

« Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi ; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam. »

Suspensio totalis ipso facto incurritur et est S. Sedi simpliciter reservata.

575. - *De receptione ordinum ab indigno ministro* (c. **2372**).

« Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico ; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur. »

1. **Delictum** est receptio ordinis sive maioris sive minoris (c. 950) ab indignis ministris, qui in canone enumerantur. Satis est ut apostasia, haeresis, schisma ministri *facto* notoria sint ; lex enim non distinguit. Qui tonsuram tantum recepit hoc textu non comprehenditur « ex natura rei » (cf. c. 950) ; suspensio enim *a divinis* supponit potestatem divina officia celebrandi ex ordinatione receptam.

2. *Prohibitio* exercendi ordines ab indigno ministro *bona fide* receptos, quod ad recipientem, poena non est, sed merum impedimentum. Extenditur ad solum ordinem sic receptum et ab Ordinario proprio dispensatione tolli potest ; nemini enim dicitur reservata. Poena in receptores malae fidei in Codice gravior facta est. Cf. C. *Apostolicae Sedis*, V, 6.

576. - *De illicita collatione ordinum* (c. **2373**).

« In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam incurrunt :

« 1° Qui contra praescriptum c. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint ; »

Qui ab Ordinario proprio non ordinatur, litteras proprii Ordinarii praebere debet quibus ad alium episcopum, ordinis recipiendi causa, mittitur. Cf. *Epitome*, II, 238-241. Etsi episcopo latino proprium subditum ritus orientalis sine indulto Apostolico ordinare non licet, si prohibitionem violaverit, hac suspensione non plectitur.

« 2° Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum c. 993, n. 4, 994 ; »

Tempus intra quod aliquis impedimentum canonicum contrahere potuit, est regulariter trimestre moraliter continuum pro militibus, semestre pro aliis (c. 994, § 1. Cf. *Epitome*, II, 263, 1. — *Per.*, II, 118).

« 3° Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum c. 974, § 1, n. 7 ; »

Titulus canonicus est cautio de conveniente et per se perpetua sustentatione. Pro clericis saecularibus, constituitur beneficio, patrimonio vel pensione ecclesiastica. Suppleri potest per servitium dioecesis vel missionis cum iureiurando promissum. Regularibus titulus est paupertatis, aliis religiosis mensae communis Congregationis, vel alius similis. Cf. cc. 974, § 1, n. 7 ; 979, ss. 982. — *Epitome*, II, 250.

« 4° Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in c. 966. »

Ut religiosus ab episcopo non proprio ordinari possit, requiritur expressa episcopi sui territorii licentia, nisi religio speciali privilegio gaudeat aut occurrant ea impedimenta quae ordinationem nimis procrastinent. Haec impedimenta *taxative* enumerantur c. 966. Cf. *Epitome*, II, 241, 5. Ad legitimam probationem requiritur authenticum Curiae dioecesanae testimonium (c. 966, § 2)

577. - *De illicita receptione Ordinum* (c. **2374**).

« Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus ; qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adiuncta puniatur. »

Aetas canonica est vigesimus annus completus pro subdiaconatu ; vigesimus secundus pro diaconatu ; vigesimus quartus pro sacerdotio. Nulla aetas canonica pro prima tonsura et ordinibus minoribus praefinitur (c. 975, *Epitome*, II, 245). Ordinatio *per saltum* habetur cum superior ordo, omisso inferiori, confertur (Cf. c. 977. *Epitome*, II, 248). Delictum supponit plene *malitiosum* accessum, ita ut quaelibet imputabilitatis imminutio a poena l. s. excuset. Reliqua plana sunt.

578. - *De celebratione illicita matrimonii mixti* (c. **2375**).

« Catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et Sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint. »

Ecclesia, etsi matrimonium mixtum, seu inter catholicum et acatholicum baptizatum, severe prohibet, a sua lege ob graves boni communis vel privati causas dispensat, dummodo condiciones impleantur quae periculum perversionis sive coniugis catholici sive liberorum amoveant. — Cum dispensatio documento authentico concedatur, delictum initi sine dispensatione matrimonii notorium facto est (c. 2197, 3°), cuius delicti poenae in foro externo exigi possunt.

Prohibitio Ecclesiae nullitate contractus non sancitur. Sed sponsi lege consensus coram parocho et testibus praestandi tenentur. Post initum valide, sed illicite, matrimonium, coniux catholicus, si vera resipiscentiae signa dederit et cautiones de educatione catholica liberorum, quantum in se est, praestiterit, ad sacramenta admitti potest (Cf. cc. 1060-1064. *Epitome*, II, 305, ss.), non autem ad actus legitimos et ad sacramentalia ante dispensationem Ordinarii.

TITULUS XVII

DE DELICTIS CONTRA OBLIGATIONES PROPRIAS STATUS CLERICALIS VEL RELIGIOSI

(cc. 2376-2389)

579. - Ordo Codicis. Sub hoc titulo sanciuntur praecipuae obligationes clericorum, sive omnium, v. g. obligatio acquirendae et alendae scientiae sacrae (cc. 2376. 2377) ; gestandi habitum specialem et tonsuram (c. 2379) ; vitandi negotiationem (c. 2380) ; sive maiorum, v. g. obligatio servandi ritus ecclesiasticos (c. 2378) ; dein beneficiatorum et parochorum (cc. 2381. 2382) ; tum religiosorum, sive omnium, v. g. obligatio manendi sub potestate Superiorum (cc. 2385. 2386), observandi vitam communem (c. 2389) ; sive eorum qui sunt clerici (c. 2387) aut perpetuo professi (c. 2388).

580. - *De omissione examinis triennalis* (**c. 2376**).

« Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti examen de quo in can. 130 facere renuerint, ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur. »

Ad normam c. 130, omnes sacerdotes, expleto studiorum curriculo, saltem per triennium in diversis scientiarum sacrarum disciplinis examen subire debent. Ordinarii est materiam designare et, si velit, tempus prorogare.

Congrua **poena** videtur partialis suspensio, v. g. ab audiendis confessionibus, ad tempus indeterminatum.

581. - *De negligentia collationum seu conferentiarum* (**c. 2377**).

« Sacerdotes contra praescriptum can. 131, § 1 contumaces, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat ; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat. »

Salva expressa exemptione, *collationibus* de scientia sacra saepius in anno habendis assistere debent omnes sacerdotes saeculares, religiosi, etiam exempti, curam animarum habentes et etiam « si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt » (c. 131, § 3).

Contumacia supponit monitionem canonicam repetitam vel peremptoriam. Diximus eos tantum *curam animarum* habere qui munere parochi vel quasi-parochi funguntur aut illi vicarii qui parochis in iure assimulantur (Cf. c. 451. *Epitome*, I, 218. 490, ss.).

Religiosi, si exempti fuerint, a suo Superiore iurisdictionem in religiosos eiusdem religionis et in domesticos accipere possunt ; in reliquos eam recipiunt ab Ordinario loci vel a Superiore exempti paenitentis (Cf. *Epitome*, II, 145).

582. - *De neglectu rituum et caerimoniarum* (c. 2378).

« Clerici maiores qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate. »

Ritus sunt gestus et verba in confectione et administratione sacramentorum atque in celebratione S. Sacrificii ab Ecclesia praescripta (Cf. *Epitome*, II, 40, ss. 69. 88, etc.). Inter eos praecipuum locum occupant rubricae Missae. Iuxta communiorem sententiam omnes Rubricae *intra* Missam praeceptivae sunt, sed obligant sub gravi aut sub levi pro gravitate vel levitate materiae (Cf. *Epitome*, II, 88, ss.). — **Caerimoniae**, si et prout a ritibus distinguuntur, potius designant summam ordinationis externae cultus vel eius varias formas, ut processiones, supplicationes, sollemnes benedictiones vel consecrationes, etc.

Ritus et caerimoniae ab Ecclesia praescripta in libris liturgicis inveniuntur, nempe in Missali, Pontificali, Caerimoniali episcoporum, Rituali et Breviario.

Negligentia punienda erit praesertim quae gravem irreverentiam sapiat vel quae fidelibus scandalum praebeat, ut multo nimia in Sacro festinatio, omissio rituum baptismi, etc., quae saepius recurrat.

583. - *De contemptu cultus exterioris ecclesiastici* (c. 2379).

Iuxta c. 136, clerici debent decentem **habitum** ecclesiasticum secundum legitimas regionis consuetudines et Ordinarii loci praescripta deferre et **tonsuram** seu coronam clericalem, nisi mores populi aliter ferant, gestare. De gravi obligatione deferendi tonsuram non constat, sed clericis maioribus grave est per notabile tempus habitum ecclesiasticum non gestare. Tempus brevius vel longius requiritur, prout magis minusve habitus assumptus a praescripto discrepat et causa futilis vel mala apparet (D'ANNIBALE, *Theol. mor.* III, 146). Dimissio sine causa habitus ecclesiastici *et* tonsurae in clericis minoribus reductione ad statum laicalem (c. 136, § 3) et in clericis maioribus privatione omnis officii (c. 188, 7°) sancitur (Cf. *Epitome*, I, 221. 268). In canone 2379, urgetur exsecutio c. 136, § 3 et aliae poenae ferendae praescribuntur.

« Clerici, contra praescriptum can. 136, habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem non gestantes, graviter moneantur ; transacto inutiliter mense a monitione, quod ad clericos minores attinet, servetur praescriptum eiusdem can. 136, § 3 ; clerici autem maiores, salvo praescripto can. 288, n. 7, ab ordinibus receptis suspendantur, et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur. »

Vitae genus a statu clericali alienum erit v. g. exercitium militiae, medicinae et praesertim viliorum artium ; procuratoris rerum civilium, causidici, administratoris rerum temporalium, etc. Fieri potest ut clerici, ob adiuncta specialia, approbantibus Ordinario vel S. Sede (cf. 139, §§ 3. 4), officia detrectare non debeant quae exercitium potestatis publicae et onus reddendarum rationum secum ferunt, v. g. praefecti urbis, immo et Ministri Status. Quo casu, ne species quidem delicti adest.

584. - *De prohibito exercitio negotiationis* (c. 2380).

Clerici et religiosi prohibentur mercaturam vel negotiationem sive per se sive per alios exercere, etiam in aliorum utilitatem (c. 142), nisi urgeat gravis necessitas.

Prohibetur negotiatio tum quaestuosa, tum industrialis. *Quaestuosa negotiatio* dicitur, si res ea intentione emantur ut non mutatae carius vendantur ; *industrialis*, si res ea intentione emantur ut ope conductorum operariorum mutatae

vendantur. Negotiatio non tantum mercibus, sed pecunia et titulis bancariis exerceri potest, si nempe emantur ut cambio lucrum quaeratur. Non vetatur negotiatio *oeconomica*, qua quis sua bona vel fructum propriae industriae cum lucro permutet. Est enim haec prudens rei suae administratio. *Politica* negotiatio seu coemptio rerum quae determinatae communitati vendenda sit, ex fine et modo diiudicanda est. Si finis a lucro diversus et a statu clericali non alienus accedat, non videtur cur prohibenda sit. Quare negotiari quaestuose non censentur clerici vel religiosi qui scholaribus libros, codices, etc. vendunt ; qui in loco peregrinationis obiecta pia emenda offerunt, etc. Lucrum moderatum permittitur quo solvantur impensae vecturae, pensionis eius qui rem gerit, etc.

Iuxta sententiam hodie communiorem clerici non vetantur pecuniam suam in *titulis* societatis commercialis vel industrialis ponere, modo in administratione negotii nullam partem habeant (cf. De Meester, *Iuris can. compendium*, I, 391).

Delictum, cum supponat grave peccatum, consistit in gravi prohibitionis violatione.

Haec prohibitio, per se gravis, levitatem materiae admittit. Cum prohibeatur *exercitium* negotiationis, non deliquerit qui semel vel bis, etiam in materia gravi, negotiatus sit.

In gravi et praesenti necessitate, honesta negotiatio etiam clericis non prohibetur.

Si gravis necessitas non est praesens, vel personalis, vel vitae, sed status, adhuc quidam censent licentiam in Italia a S. Sede, alibi ab Ordinario esse petendam. Haec tamen obligatio, saltem ad S. Sedem recurrendi, dubio non vacat, cum in Codice mentio eius nulla fiat. De his Cf. *Epitome*, I, 224, 2.

« Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra praescriptum can. 142, congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur. »

Ratio legis haud difficulter perspicitur. Negotiatio et mercatura innumeris curis animum implicant ; interdum iuris per iudicia exigendi necessitatem imponunt ; lucri temporalis cupiditatem sapiunt et creant ; quae omnia a statu clericali et religioso quantum abhorreant, nemo non videt.

Poena congrua sit v. g. privatio, saltem ad tempus, officii ecclesiastici vel iurisdictionis ad confessiones audiendas. Poenae graviores suspensionis, ac praesertim excommunicationis, ne inferantur, nisi ubi scandalum satis grave est reparandum vel pertinax contumacia frangenda.

In Codice poenae l. s. olim contra Missionarios negotiationem exercentes latae, iam non reperiuntur. De illis poenis, cf. litt. Encycl. S. C. de P. F., 29 mart. 1873. *Coll. P. F.*, 1398. — Thesauro-Giraldi, *o. c.*, v. Negotiatio. — Oietti, *Synopsis*, v. Negotiatio.

585. - *De violatione legis residentiae* (c. 2381).

Clerici quibus cura animarum est commissa aut officium in loco beneficii implendum, in certo loco residere debent, exceptis legitimis, quas ius commune vel particulare determinant, feriis. Hac lege tenentur v. g. Cardinales Curiae vel episcopi suburbicarii (c. 238) ; Ordinarii locorum (cc. 301. 323. 338, etc.) ; parochi (c. 465), etc. Canonicis titularibus (c. 418) satis est ut choro assistant ; per reliquum tempus e loco discedere possunt.

« Qui officium, beneficium, dignitatem obtinet cum onere residentiae, si illegitime absit :

« 1° Eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitimae absentiae, eosque tradere debet Ordinario, qui ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat ;

« 2° Officio, beneficio, dignitate privetur, ad normam can. 2168-2175. »

Privatio fructuum ipso facto incurritur et Trid. S. XIII, c. 1 de ref. et S. XXIII, c. 1 de ref. asserit reum alia etiam *declaratione non secuta* fructus istos tuta conscientia servare non posse, sed eos fabricae ecclesiae vel pauperibus loci erogandos esse. Quod ipse per se beneficiarius facere poterit, si fructus Ordinario tradere non possit quin se infamet aut si ipse Ordinarius est. Si per illegitimam absentiam officium suum *ipse* partim implevit, v. g. applicando fidelibus suis recitationem divini officii, censent eum aliquotam, v. g. tertiam, fructuum partem servare posse (Cf. Hollweck, *Die Kirchl Strafg.*, § 292). De episcopi non residentis denuntiatione, cf. c. 338, § 4. — *Epitome*, I, n. 409.

Si canonicus legi residentiae deest, i. e. in choro neque per se neque per substitutum adest quando lex ferias non concedit (c. 418) aut absentem tamquam praesentem habet (c. 421), amittit suam partem distributionum quae diligentibus cedit et pro rata absentiae parte partem praebendae, quae ab Ordinario ad normam huius c. 2381 distribuetur. Sic conciliatio fit inter c. 395, § 3 (*Epitome*, I, n. 452) et c. 2381 (1).

De procedura contra clericos non residentes, cf. supra, nn. 364-366.

586. - *De parocho officium graviter negligenti* (c. 2382).

« Si parochus graviter neglexerit Sacramentorum administrationem, infirmorum assistentiam, puerorum populique institutionem, concionem diebus dominicis ceterisque festis, custodiam ecclesiae paroecialis, sanctissimae Eucharistiae, sacrorum oleorum, ab Ordinario coerceatur ad normam can. 2182-2185. »

Proceduram fuse exposuimus supra, nn. 370. 371.

587. - *De omissa cura librorum paroecialium* (c. 2383).

« Parochus qui paroeciales libros diligenter, ad normam iuris, non conscripserit aut servaverit, a proprio Ordinario pro gravitate culpae puniatur. »

C. 470 iubet parochos habere « librum baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum » et conficere, pro viribus, librum de statu animarum. Hi omnes libri in tabulario caute servandi sunt neque extraneis committendi. De iis quae in singulis libris annotanda sunt, cf. c. 777 (de baptismo) ; c. 798 (de confirmatione) ; c. 1103 (de matrimonio) ; c. 576, § 2 (de inscriptione emissae professionis religiosae) ; c. 1011 (de inscriptione recepti ordinis). Cf. quoque c. 2406.

588. - *De canonico theologo et paenitentiario in munere negligentibus* (c. 2384).

Munus canonici *theologi* est explanare S. Scripturam vel alia religionis capita proponere in ecclesia cathedrali et, gravi de causa, ex Ordinarii commissione

(1) Cf. *Monit. eccles.* 1924, 182.

theologiam in Seminario docere (Cf. c. 400). *Paenitentiarii* munus est confessiones audire in ecclesia capitulari (Cf. c. 401). De his cf. *Epitome*, I, 455. 456. Utrumque munus per se grave est, etsi levitas materiae in negligentiis occurrere potest. Immo negligentia gravis non repetita plecti poenis non potest, quae monitionem, dein comminationem poenarum ex ipso c. 2384 supponunt.

« Canonicum theologum et poenitentiarium in suis muneribus obeundis negligentes, Episcopus gradatim compellat monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum iis assignandae qui illorum vices suppleant ; et perdurante per integrum annum negligentia post monitionem, suspensione a beneficio plectat ; negligentia vero producta per aliud semestre, ipso beneficio privet. »

589. - *De apostasia a religione* (c. 2385).

« Firmo praescripto can. 646, religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus ; et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum. »

Ut delictum apostasiae adsit, tria requiruntur :

1° *Professio perpetua*, sive sollemnis sive simplex ;

2° *Recessus illicitus* a religione, sive religiosus e domo religiosa illicite egrediatur sive legitime egressus illicite non redeat ;

3° *Animus* numquam redeundi.

1. Si professus votis temporariis a religione cum animo non redeundi illicite discedat, neque est apostata neque fugitivus. Neque inconveniens est illum nullis poenis specialibus plecti ; non enim omnia gravia peccata poenis sancienda sunt. Ceterum, Superiores ei gravem paenitentiam ad reparandum scandalum imponere poterunt, si redeat, illeque recessus per se iam gravis est causa cur dimittatur (Cf. c. 647, § 2). Cum professum votis temporariis ad sacros ordines promovere non liceat, potuit Legislator a casu rariore quo reus sacris iam initiatus suspendendus esset, abstrahere. Ordinarius loci in quo commoratur, ipsum suspendere poterit quamdiu religionem non repetierit (Cf. c. 616, § 1).

2. Potest videri delictum apostasiae consummari statim ac professus extra domum religiosam illicite degit cum animo non redeundi. Sic ratiocinari quis possit : Iam complentur elementa definitionis apostasiae in Codice c. 644, § 1 datae. Non obstat ignorantia ipsius animi ab aliis vel impossibilitas declarandi iudicialiter delictum ; poena enim est latae sententiae et animus ille, iuxta communem sententiam, in confessione est declarandus. Neque sic Ecclesia actum mere internum punit, sed mixtum, sc. egressum graviter illicitum, et ob intentionem non redeundi gravissimum.

Attamen gravis est causa exigendi ad consummationem delicti ut ipse animus non redeundi manifestetur. Hac enim nota *iuridica* discernitur apostasia a fuga. Illicitus ergo egressus est *per se* iuridice indeterminatus et nota apostasiae *specifica*, ut in omni delicto, externe apparere debet.

Manifestari potest verbo, scripto aut actione. De animo non redeundi plerumque non dubitandum est, si religiosus cum muliere fugerit ; si iter longum

arripiat. Manifestat intentionem non redeundi v. g. qui munus laicum sibi quaerit, studia aggreditur quae novo vitae statui erunt necessaria, etc. Depositio habitus, quae olim elementum externum apostasiae proprium erat, nunc ambiguae significationis est, etsi gravem suspicionem de apostasia inducere debet.

De manifestatione intentionis minus solliciti erant veteres iuris Commentatores. Cum ius commune poenis l. s. solos apostatas qui laicam vestem induxissent, puniret, in hac significatione mutati cum veste status manifestatio sufficiens intentionis videbatur. Magis disputabant quantus a monasterio recessus ad delictum completum requireretur ; et quidam scriptores bonae notae egressum distantia vel tempore satis gravem requirebant (1).

3. Vi c. 646, § 1 religiosus habendus est tamquam legitime dimissus si fugam cum persona alterius sexus arripuerit aut matrimonium contraxerit vel attentaverit.

Omnis apostata a religione privilegio exemptionis privatur ; quare iurisdictioni Ordinarii loci in quo commoratur vel in quo deliquit plene subicitur.

Ad declarandum delictum vel ad ferendas poenas servire poterit praesumptio c. 644, § 2 stabilita, quae, etsi iuris est tantum, a reo tamen est evellenda.

Cetera de hoc delicto, cf. *Epitome*, I, 746.

590. - *De fuga a religione* (**c. 2386**).

« Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris ; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior maior pro gravitate culpae poenas infligat. »

Fuga est illicitus a domo religiosa recessus cum animo redeundi (c. 644, § 3).

Delictum consummatur statim ac religiosus suo agendi modo prodit intentionem se subtrahendi per aliquod tempus, ut puta per duos tresve dies, potestati Superiorum. Debet enim religiosam domum *deserere*, quod non facit qui illegitime ambulatum exit aut per totam diem e domo illicite remanet (Cf. *Epitome*, I, 746, 2).

Suspensio, cui religiosus in sacris subiacet, *proprio Superiori* maiori reservatur.

Reservatio suspensionis, prout canone exprimitur, haud parvam difficultatem movet. Dicitur reservata simpliciter « proprio Superiori maiori », quin Codex, contra atque in canone superiori (c. 2385), alium Superiorem ecclesiasticum indicet. Iamvero mirum est absolutionem a censura Superiori reservari qui iurisdictione in foro externo non gaudeat, ut sunt Superiores in religione non exempta. Atque unicum talis reservationis exemplum hic occurrit. Immo cum possit fieri ut clericus in sacris Superiorem laicum habeat (v. g. in Ordine

(1) Cf. ROTARIUM, *Theol. mor. Regul.*, l. III, c. I, p. V, n. 4, ss. — PIAT, *Prael. iuris Regul.*, I, p. 179.

Fratrum a caritate, S. Ioa. a Deo), qui iurisdictionis incapax est (c. 118), Superior maior fugitivi in hoc casu est solus Ordinarius loci. Neque difficultatem effugies dicendo hic supplendam esse distinctionem in c. 2385 adhibitam. Legislator enim quod voluit expressit et mentio in canone superiori facta suspicionem oblivionis removet. Quare permittemus Superiori religionis clericalis non exemptae usum potestatis quae verbis huius canoni ipsi procul dubio conceditur. Haud miremur tamen si Commissio Codici interpretando authentica declaratione omissioni c. 2386 per verba c. 2385 suppleat.

Poenis fugitivorum subiciuntur sodales societatis clericalis in qua *vita communis*, sine votis religiosis, sub potestate Superioris ducitur (cf. *Epitome*, I, 781).

591. - *De dolo in emittenda professione* (c. 2387).

« Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur ; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit. »

1. Professio ob dolum a religioso admissum nulla erit declaranda, si mendacio vel callidis artibus admissionem ad professionem obtinuerit, quae, cognita veritate, non fuisset concessa (c. 572, § 1, 4°).

Quid, si admissio in noviciatum ob dolum a candidato admissum fuerit nulla ? (c. 542, 1°).

Distinctione opus esse videtur. Si impedimentum dolo celatum etiam durante ac praesertim exeunte noviciatu causa repulsus manserit, pronum est professionem ob dolum nullam declarare. Si vero propter varias candidati ob dolum admissi dotes, post factum dispensatio ab impedimento, veritate cognita, data fuisset, professio potius ob nullitatem noviciatus quam stricte ob dolum nulla forte declarabitur. Poena a motivo in declaratione allegato pendet.

2. Suspensio, etsi non dicitur perpetua, dispensatione ab Ordinario tolli non potest. Recursus enim *expresse* dicitur faciendus ad S. Sedem, i. e. ad S. Congr. de Religiosis.

3. Poenis hic statutis subiacent sodales societatis clericalis sine votis, in qua vita communis sub potestate Superioris ducitur (cf. *Epitome*, I, 781).

592. - *De violata obligatione caelibatus* (c. 2388).

« § 1. Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur, firmo praescripto can. 188, n. 5. »

1. Delictum est praesumptus, i. e. cum plena cognitione culpae et poenae atque libertate initus, contractus matrimonialis, etiam civiliter tantum, etsi contractus est prorsus invalidus propter impedimentum dirimens ordinis sacri vel professionis sollemnis (Cf. *Epitome*, II, 347. 348).

2. Omnes admittunt delictum non consummari si consensus *errore* vel *metu*

vitiatur. Si consensus *simuletur*, delicti consummationem asserit CERATO, *o. c.*, n. 86, negant CAPPELLO, *o. c.*, n. 355 et SOLE, *o. c.*, n. 448. His est assentiendum ; etenim qui consensum fingit, contractum matrimonialem non attentat. — At internus consensus praesumitur conformis signis (c. 1088, § 2) ; sequitur excommunicationem semper praesumi, non autem semper incurri. — Sed, sic cl. CERATO, qui consensum simulat complex est in delicto quod natura sua complicem postulat (c. 2209, § 2). Hoc argumento mere postulatur res probanda. Qui consensum simulat sane complex est delicti, si alter delinquit. Sed ubi unus tantum consentit, contractus aeque *per se* deficit atque in casu erroris substantialis vel metus. Quare nec qui solus consentit, nec qui cum ipso consensum fingit delinquunt.

Si validitati matrimonii obstat, praeter ordinem sacrum vel professionem sollemnem, aliud impedimentum stricte dictum (1), delictum consummari ex responsis S. Sedis certum est (2).

Idem dicendum si matrimonium contrahatur coram solis testibus vel coram ministro acatholico ; id eruitur ex mentione matrimonii « etiam civiliter tantum » contracti ; defectus formae nihil refert.

« § 2. Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata. »

3. Haec pars canonis novum ius constituit. Applicatur professis votorum *simplicium*, tum iis qui dimissi vota sua servant (c. 669, § 1), tum apostatis qui post fugam dimissi non fuerint ideoque votis obstricti manent.

4. Si religiosus cum persona alterius sexus fugerit, est ipso facto e religione dimissus. Attentatione matrimonii excommunicationem contrahet, nisi dimissio in eius religione, uti in Societate Iesu, dispensationem a votis contineat. Si iste apostata in sacris erat, vi § 1 excommunicationem plectitur.

5. Canon 188, 5º edicit vacare omnia officia clerici matrimonium etiam civiliter tantum attentantis.

593. - *De violationibus vitae communis* (c. 2389).

« Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii. »

Perfecta **vitae communitas** in eo sita est quod religiosi victum, vestitum, suppellectilem aliaque necessaria a conventu in communi accipiunt et nullum peculium, etiam dependenter a Superiore, servant. Quidquid industria lucrantur, religioni acquirunt (Cf. c. 594. *Epitome*, I, 696). Constitutiones tamen istam vitae communitatem magis explicite, pro natura religionis, determinant ; immo quaedam eam temperant. Liquet autem solas violationes quae constitutionibus adversentur, puniendas esse.

Sodales societatis clericalis sine votis, quae vitam communem ex constitutionibus servet, huic canoni sunt obnoxii (Resp. *Com. I. C.*, 2 3 iun. 1918, VI. — AAS, X (1918), 347. *Period.* IX, 151).

(1) Cf. *Epitome*, II, n. 296.
(2) S. Offic., 13 ian. 1892.

TITULUS XVIII

DE DELICTIS IN COLLATIONE, SUSCEPTIONE ET DIMISSIONE DIGNITATUM, OFFICIORUM ET BENEFICIORUM ECCLESIASTICORUM

(cc. 2390-2403)

594. - Ordo Codicis. Ut in libro II post titulum III de obligationibus clericorum, sub titulo IV de collatione, susceptione et dimissione officiorum agitur, ita nunc post poenas ob violatas obligationes status contrahendas, recensentur poenae quibus delicta in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, etc. sanciuntur.

595. - *De violata libertate electionis canonicae* (**c. 2390**).

« § 1. Libertatem electionum ecclesiasticarum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur. »

1. Agitur de omni electione canonica, etiam Superiorum religiosorum (cf. c. 507), sola R. Pontificis electione excepta, quae C. *Vacante Sede Apostolica* (c. 2330) regitur. Supra, n. 530.

Delictum supponit impedimentum fuisse efficax seu libertatem vel unius electoris vi, metu, pacto, importunis sollicitationibus fuisse sublatam.

Contra ac c. 12 *de electione et electi postetate*, I, 6 in VI°, canon 2390 non iubet plecti eos qui consanguineos electoris vel electi gravaverint. Sed qui ecclesiam, monasterium electi gravat, ipsum Superiorem ita afficit ut delicto facile locus futurus sit. Ceterum, cum poena sit ferendae sententiae, Ordinarii competentis erit iudicare num delictum adsit.

« § 2. Quod si electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragendae, laici vel saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam, immiscere praesumpserint, electores qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice iure eligendi ; qui vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis. »

Delictum hic electorum et electi punitur ; qui enim se illegitime electioni immiscere praesumpserint, ad normam § 1 coercendi sunt. — *Sponte* non admittunt qui gravi timore moti non reclamant, nec *scienter* consentit qui ob eundem timorem officium assumit. — Electionem quae ipso iure nulla est (c. 166), reiterare non possunt electores qui illicitam immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, et Superior vel beneficiarius ab illo Superiore est instituendus qui validam electionem confirmare debuisset vel cui ius providendi successive competit (c. 178). Quando officium vel beneficium iterum vacabit, a reis electoribus conferri poterit, non tamen ei qui factus est ob illicitam acceptationem ad *istud* officium vel beneficium perpetuo inhabilis.

596. - *De male facta collatione officii, dignitatis, etc.* (**c. 2391**).

« § 1. Collegium quod indignum scienter elegerit, ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi. »

Indignus a non idoneo sedulo est distinguendus. Quidam idoneitate carere potest ob defectum aetatis (c. 504), scientiae (c. 331, § 1), temporis sacerdotii (ibid.), etc., dum indignitas ex delicto vel poena oritur, ut si quis apostata vel haereticus sit, aut excommunicatus, infamis, voce passiva in poenam privatus, etc.

Provisio officii fiet pro hac vice a Superiore qui electionem confirmare debebat vel cui ius providendi successive competit (c. 178). Ita R. Pontifex libere nominabit episcopum loco indigni a Capitulo electi (Cf. c. 330) ; Metropolita (c. 432) deputabit Vicarium Capitularem, si indignus fuerit a Capitulo dioecesis vacantis electus, etc.

« § 2. Singuli vero electores qui substantialem electionis formam scienter non servaverint, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario puniri. »

Substantialis forma electionis est quae, si non fuerit servata, nullitate actus sancitur, v. g. si plures quam tertia pars electorum in convocatione neglecti fuerint (c. 162, § 3) ; si collegio extraneus admittatur (c. 165) ; etc.

« § 3. Clerici vel laici qui indignum scienter praesentaverint vel nominaverint, iure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent. »

Praesentatio est actus iuridicus quo ius habens Superiori competenti designat personam cui officium vel beneficium conferendum sit. Est praecipuum ius patronorum. De eius normis, cf. *Epitome*, II, 776, ss.

Nominatio est designatio firma clerici instituendi, sive a Superiore confirmandus sit (v. g. si ius nominandi episcopos Capitulo concedatur), sive ipso facto instituatur, v. g. ubi parochi ab Ordinario loci nominantur (c. 455, § 1). Si non idoneus praesentatur, ius alium praesentandi saltem semel et intra certum tempus conceditur. Cf. *Epitome*, II, 791.

597. - *De simonia in collatione et susceptione officiorum*, etc. **(c. 2392).**

« Firmo praescripto can. 729, delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis :

« 1° Incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ;

« 2° Ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant ;

« 3° Si clerici sint, praeterea suspendantur. »

Simonia est deliberata voluntas faciendi quamlibet pactionem onerosam cuius obiecta sint ex una parte res spiritualis, sive in se sive ex conexione cum spirituali, ex altera parte, res temporalis vel temporalis spirituali annexa necessario. De quo contractu fuse agit *Epitome*, II, 4-7.

Ius novum vetere severius est. Etenim :

1° Sanctiones omnes utrique simoniae, iuris sc. divini et ecclesiastici, applicare nobis omnino videtur (*Epitome*, II, 13, 2, a).

Etenim veteres, v. g. D'ANNIBALE (*Comm. Reat.*, 94), solam simoniam iuris

divini poenis plecti censebant « quippe haec sola propria significatione simonia est ». At vero Codex, utramque formam huius peccati simoniam vocat (c. 727) et nullitate pactionis sancit (c. 729). In c. 2392 ad c. 729 remittimur et nulla inter utramque simoniam distinctio adhibetur. Quare definitio Codicis applicanda est, non ea quam veteres commentatores fecerant. Nobiscum Cappello, *o. c.*, n. 360 et Sole, in h. c., n. 457, contra Cerato, *o. c.*, n. 87 qui nullam suae sententiae rationem affert.

2° Episcopi a poena non excusantur (c. 2227, § 2).

3° Contra ac volebant commentatores veteris iuris, etiam officia quae non sunt beneficia, et beneficia maiora sub poena excommunicationis obiectum pactionis simoniacae fieri vetantur. Verbis enim « quibuslibet officiis... aut dignitatibus » id iam certum est (Cf. Hollweck, *Die kirchl. Strafg.*, § 116, ss.).

598. - *De abusu iuris eligendi, praesentandi, nominandi* (c. 2393).

« Omnes qui iure eligendi, praesentandi vel nominandi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privati manent. »

Dum omnis praesentatio institutionem ab alio factam requirit, non omnis electio aut nominatio confirmatione vel distincta institutione indiget. Sic a nullo Superiore confirmanda est electio Vicarii Capitularis (c. 432) vel Superioris generalis Ordinis et Ordinarius, iure communi, nominatione sua parochos instituit (c. 455, § 1). — Quotiens interventus Superioris maioris necessarius est, electio vel nominatio est modus designandi personam, non conferendi officium, beneficium, dignitatem.

Ita v. g. nullus episcopus sine auctoritate R. Pontificis instituitur (c. 329), etsi in quibusdam regionibus a Gubernio civili proponitur aut a Capitulis vel ab aliis eligitur.

599. - *De illicita susceptione officii, dignitatis* (c. 2394).

Nemo ius in officio, beneficio vel dignitate ecclesiastica obtinet, nisi ipsi concessa fuerint a competente auctoritate ecclesiastica (c. 147, § 2). Haec provisio fit sive directa institutione sive acceptatione a Superiore actus ab inferiore positi, sc. praesentationis, electionis, nominationis (c. 148) ; quae acceptatio in scriptis est consignanda (cc. 159. 177, § 3).

Possessio officii vel beneficii consistorialis capitur legitima ostensione litterarum confirmationis vel institutionis (Cf. cc. 313, § 1. 334, § 3 ; 353). Antequam quis legitimam officii, etc. possessionem ceperit, vetatur sub nullitate actuum (c. 176, § 3) regimen vel administrationem illius suscipere. Qui illegitime officium, beneficium, dignitatem occupat, **intrusus** vocatur.

« Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorundem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet :

« 1° Sit ipso iure ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur ;

« 2° Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii,

officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa, recedere ;

« 3° Capitula vero, conventus aliique omnes ad quos spectat, huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae. »

Iure C. *Apostolicae Sedis*, V, 1 sola Capitula et conventus puniebantur et alia quidem poena, sc. « a beneficiorum perceptione ». De vi huius suspensionis, cf. Hollweck, *Die kirchl. Strafg.*, § 247.

600. - *De acceptatione officii non vacantis* (c. 2395).

Provisio officii *de iure* non vacantis est ipso iure irrita (c. 150, § 1). Officium, quod *tantum de facto* vacat, quia nondum in possessionem eius immissus est qui ad illud titulum legitimum habet, titulari, ut patet, conferri potest et debet ; officium quod *de iure tantum* vacat, etsi illegitime possidetur, conferri tantum potest post legitimam invalidae possessionis declarationem (c. 151).

« Qui scienter acceptat collationem officii, beneficii vel dignitatis de iure non vacantis et patiatur se in eius possessionem immitti, sit ipso facto inhabilis ad illa postea assequenda aliisque poenis pro modo culpae puniatur. »

601. - *De illegitima detentione duorum beneficiorum* (c. 2396).

Incompatibilia sunt duo officia quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt (c. 156, § 2) et duo beneficia quorum alterutrum ad honestam beneficiarii sustentationem sufficiat (c. 1439, § 2). Prohibentur simul suscipi, quia officium est propter necessitates animarum, beneficium propter officium exsistit et propter sustentationem beneficiarii institutum est. Quare, si quis officii vel beneficii cum priore incompatibilis possessionem suscipit, prius ipso facto vacat (cc. 188, n. 3. 194). Immo :

« Clericus, qui assecutus pacificam possessionem officii vel beneficii cum priore incompatibilis, prius quoque retinere praesumpserit contra praescriptum can. 156, 1439, utroque privatus ipso iure exsistat. »

602. - *De iureiurando quod promotis ad Cardinalatum imponitur* (c. 2397).

Postquam nomen sacerdotis ad cardinalatum promoti in Consistorio publico prolatum est, si praesens sit, a S. Pontifice biretum rubrum recipit, quod ad absentes mittitur. In eius receptione, Cardinalis iurare debet se intra annum ad S. Limina, nisi legitime impeditus fuerit, accessurum.

Quod iusiurandum si « emittere recusaverit, ipso facto cardinalitia dignitate privatus perpetuo maneat. »

603. - *De negligentia consecrationis episcopalis* (c. 2398).

« Si quis ad episcopatum promotus, contra praescriptum can. 333 intra tres menses consecrationem suscipere neglexerit, fructus non facit suos, fabricae ecclesiae cathedralis applicandos ; et si postea in eadem negligentia per totidem menses perstiterit, episcopatu privatus ipso iure manet. »

C. 333 iubet omnes ad episcopatum promotos, etiam S. R. E. Cardinales, nisi legitime, i. e. causa gravi impediti fuerint, consecrationem episcopalem intra tres menses a receptis litteris Apostolicis recipere. Poenae contra violationem huius praescripti ab antiquissimis temporibus repetuntur (Conc. Chalced. a. 451). Cardinales cum in c. 333 nominentur, quo ambitus delicti c. 2398 determinatur, poenis c. 2398 subduntur.

604. - *De illicito recessu clericorum a munere suo* (**c. 2399**).

« Clerici maiores, munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, suspendantur a divinis ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum. »

Clericus ad *maiorem* ordinem promotus, etiam si ad statum vitae perfectiorem amplectendum a munere discedere velit, suum Ordinarium consulere iubetur et in religione illicite admittitur, si eius Ordinarius renuat « ex eo quod eius discessus in *grave* animarum detrimentum cedat, quod *aliter* vitari *minime* possit » (c. 542, 2°). Potiori iure puniendus erit, si munus suum ob rationem minus sanctam vel sine ratione deseruerit.

Poena est vindicativa et ferendae sententiae.

605. - *De resignatione officii, etc. in manus laicorum* (**c. 2400**).

« Clericus qui in manus laicorum officium, benificium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit. »

Uti provisio canonica officii, beneficii, dignitatis ecclesiasticae a solo Superiore ecclesiastico fieri potest, sive sint liberae collationis sive acceptetur praesentatio vel confirmetur electio (c. 147, § 2), ita in solas manus Superioris ecclesiastici resignari possunt (c. 187), neque resignatio valet, nisi a competente Superiore acceptata fuerit (c. 190, § 2).

606. - *De illicita retentione officii*, etc. (**c. 2401**).

« Si quis in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat, aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat, ea, praemissa monitione, deserere cogatur per suspensionem a divinis aliasve poenas, depositione, si res ferat, non exclusa. »

A privatione officii amovibilis, datur recursus ad S. Sedem in devolutivo tantum; a sententia iudiciali qua quis officio inamovibili privatur, recursus etiam in suspensivo, salvis exceptionibus c. 1880 (cc. 192. 1889, § 2). In remotione oeconomica parochorum, etsi beneficium, pendente recursu ad S. Sedem, alii stabiliter conferri nequit (c. 2146, § 3), clericus amotus Vicario oeconomo omnia quae ad paroeciam pertinent quamprimum tradere debet (c. 2156, § 2). In hoc casu remotio nondum plenum effectum habet. Attamen non dubium est quin parochus ad observandum c. 2156 gravi poena cogi possit.

607. - *De neglecta receptione benedictionis abbatialis* (**c. 2402**).

« Abbas vel Praelatus *nullius* qui contra praescriptum can. 322, § 2, benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus. »

C. 322 iubet « Abbates vel Praelatos *nullius*, qui ex praescripto Apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem... recipere ». Dies quo litterae Apostolicae receptae sunt non est computandus (c. 34, § 3, 3°). Quare, si quis eas die 15 mart. receperit, benedictionem usque ad diem 15 iunii inclusive recipere potest.

608. - *De neglecta professione fidei* (**c. 2403**).

« Qui contra praescriptum can. 1406 fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligat, moneatur, praefinito quoque congruo termino ; quo transacto, contumax, etiam per privationem officii, beneficii, dignitatis, muneris, puniatur ; nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus facit suos. »

Quinam obligatione professionis fidei et coram quonam Superiore emittendae teneantur, cf. Epitome, II, 739. — Trid. S. XXIV, c. 12 de ref. beneficiatis professionem fidei intra duos menses adeptae possessionis faciendam imponebat. Poenis ferendae sententiae hic propositis cogi quis possit ad praestandum iuramentum antimodernisticum (Cf. *Epitome*, II, 740) ; modo tamen intra congruum tempus professionem fidei emiserit, fructus facit suos. Canon enim de sola professione fidei directe loquitur.

TITULUS XIX

DE ABUSU POTESTATIS VEL OFFICII ECCLESIASTICI

(cc. 2404-2414)

609. - **Ordo Codicis.** Uti liber II, postquam leges de statu clericali et de officiis in genere proposuit, de variis Superioribus ecclesiasticis agit, sic ordine agendum est de delictis Superiorum postquam sanctiones de violatione illarum obligationum in genere enumeratae sunt.

Post canonem generalem de abusu potestatis ecclesiasticae (c. 2204), delicta eorum qui potestatem vel officium in Curiis dioecesanis aliisve detinent, poenis sanciuntur (cc. 2405-2409). Tum delicta quaedam specialia Superiorum religiosorum virorum (c. 2410), vel omnium (cc. 2411. 2413), vel Antistitarum (cc. 2412. 2414) puniuntur.

Verba tituli « potestatis vel officii ecclesiastici », etsi in legibus poenalibus occurrunt, non stricto tamen sensu intellegenda sunt. Contrarium enim « ex contextu sermonis » apparet (c. 145, § 2). Sub hoc titulo recensentur delicta Antistitarum et Superiorum religionis laicorum, qui nulla potestate ordinis vel iurisdictionis praediti sunt neque officium stricto sensu acceptum detinent.

610. - *De abusu potestatis ecclesiasticae* (**c. 2404**).

« Abusus potestatis ecclesiasticae, prudenti legitimi Superioris arbitrio, pro gravitate culpae puniatur, salvo praescripto canonum qui certam poenam in aliquos abusus statuunt. »

In praecedentibus canonibus haud paucae poenae speciales in abusus potestatis latae sunt. Iuxta c. 2404 iudicanda erit violatio obligationum quae Ordinariis, Superioribus religiosis, iudicibus, lege sui officii imponuntur, v. g. violatio secreti (cc. 1105. 1623, etc.), obligationis recte administrandae iustitiae (c. 1625), etc.

Hic titulus in Decretalibus V, 31 erat « *De excessibus Praelatorum...* ».

Wernz, *o. c.*, VI, 475 sub hac forma generali excessus Praelatorum comprehendit : « Quare Praelati ecclesiastici *excessus* committunt, si subditos suos indebitis oneribus et exactionibus gravant, iniustis censuris affligunt, si illorum iura diminuunt et beneficia aliis conferenda sibi conferunt vel indignis, vel beneficia uniunt, forma canonica non servata, si mandata et prohibitiones publicant contra privilegia ab Apostolica Sede v. g. religiosis concessa, si causas matrimoniales cognoscere, publicas paenitentias imponere aliaque solis episcopis Praelatisque superioribus reservata usurpare audent, si Praelati Regulares sine legitimo assensu episcopi loci et Romani Pontificis nova monasteria aedificare praesumunt. »

Generatim graviora sunt delicta eorum qui in potestate sunt constituti, tum ob scandalum inferiorum et extraneorum, tum quia, si potestate abutuntur, caritatem, iustitiam et religionem generatim graviter laedunt, opprimentes eos qui ab ipsis auxilium exspectare debent (Cf. c. 2207). Adde ignorantiam iuris iis qui praesunt minus quam aliis ignoscendam esse.

611. - *De subtractione vel adulteratione documenti Curiae episcopalis* (c. 2405).

« Vicarius Capitularis aliive omnes, tam de Capitulo quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii, plecti poterunt. »

Subtractio non videtur gravis, nisi documentum surripiatur aut per tantum tempus ex archivo asportetur, ut grave detrimentum oriatur, aut agatur de documento secreto cuius omnis usus ab alio atque a competente Superiore gravis sit.

Ordinarius relate ad Vicarium capitularem erit, durante sedis vacantia, S. Sedes ; sede plena, novus loci Ordinarius.

Prohibitio quae hoc canone sancitur, iisdem verbis in c. 435, § 3 (cap. VII *De sede impedita aut vacante*) proponitur. Sed canone 2405 non sancitur tantum prohibitio quam c. 435, § 3 etiam continet. Etenim c. 2405 verbis omnino generalibus utitur, neque ad alium canonem remittit, ut delictum determinet, sicut in aliis canonibus huius partis fieri consuevit, v. g. cc. 2396. 2398. 2402. 2408. etc.

612. - *De variis delictis circa documenta ecclesiastica* (c. 2406).

« § 1. Quicumque officio tenetur acta vel documenta seu libros Curiarum ecclesiasticarum vel libros paroeciales conficiendi, conscribendi aut conservandi, si ea falsare, adulterare, destruere vel occultare praesumpserit, suo officio privetur aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur. »

Superiores et **officiales** de quibus hic agitur sunt Ordinarii (c. 375), Cancellarii (c. 377), Notarii (c. 374), actuarii (c. 1645), parochi (c. 470), administratores bonorum ecclesiasticorum (c. 1522), Superiores et oeconomi religiosi (c. 516), cursores et apparitores tribunalium (c. 1593), etc. **Falsare** hic idem significare potest ac fabricare, dum **adulterare** de mutatione substantiali actus exstantis dicitur. — Agitur in hoc canone de omnibus Curiis ecclesiasticis, sive saecularibus, uti est Curia dioecesana, sive religiosis.

« § 2. Qui vero acta, documenta vel libros hos legitime petenti exscribere, transmittere seu exhibere dolose detrectaverit aliove

quovis modo officium suum prodiderit, privatione officii vel suspensione ab eodem et mulcta ad arbitrium Ordinarii pro gravitate casus puniri potest. »

Acta et documenta quae secreta non sint, legitime petentibus legenda, exhibenda, transcribenda vel transmittenda sunt (Cf. cc. 374. 379, ss. 470. 1644, etc. *Epitome*, I, 441. 442. 510. III, 74, 2 etc.). **Dolose** gravem culpam significat, non ausum specialem. Verba canonis valde generalia « alio quovis modo officium suum prodiderit » sententiam de exsistentia delicti prudenti Ordinarii iudicio omnino permittunt.

Curiae ecclesiasticae sensu stricto non sunt Consilia vel Capitula religionum laicarum vel non exemptarum. Quare etsi voces « potestatis et officii ecclesiastici » sensu stricto non accipiuntur, ut in poenis benigniorem interpretationem et strictam faciamus (cc. 19, 2219), quae contextu non excluditur, dicemus in hoc canone agi de solis Curiis Ordinariorum locorum et religionum clericalium exemptarum.

613. - *De corruptela Officialium* (**c. 2407**).

« Qui Curiae officiales seu administros quosvis ecclesiasticos, iudices, advocatos vel procuratores donis aut pollicitationibus ad actionem vel omissionem officio suo contrariam inducere tentaverit, congrua poena plectatur et ad reparanda damna, si qua illata sint, compellatur. »

Canon de omni Curia ecclesiastica et de omnibus Officialibus et administris agit. Si violatio officii metu intenditur, ad cc. 2333. 2334. 2337. 2339 recurrendum est. — Ut poena infligatur, effectus tentaminis non requiritur ; sufficit ut reus donis vel pollicitationibus vere tentaverit inducere quemquam ex supra citatis ad officium violandum. — *Actiones* contrariae officio sunt v. g. violatio secreti servandi, pronuntiatio sententiae iniustae, adulteratio documenti ; *omissiones* autem, omissio exsecutionis sententiae iudicialis, actionis ex officio intendendae, appellationis ex officio faciendae.

Iudices, advocati, Officiales, etc. qui donis vel pollicitationibus sollicitati officio suo graviter defuerint, puniri poterunt vi cc. 1625. 1666.

614. - *De illegitima taxarum exactione* (**c. 2408**).

« Taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, augentes aut ultra eas aliquid exigentes, gravi mulcta pecuniaria coerceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod iniuste perceperint. »

Tres classes taxarum diversis normis subiciuntur :

1° Taxae pro *actibus iurisdictionis* voluntariae, pro *exsecutione rescriptorum* S. Sedis vel occasione *ministrationis sacramentorum* vel *sacramentalium* (c. 1507, § 1. *Epitome*, II, 827). Recole pro dispensatione *matrimoniali* ab Ordinario concessa, nullam taxam statui posse sine *expressa* S. Sedis facultate (c. 1056. *Epitome*, II, 323).

2° *Taxae funerales* (c. 1234. Cf. *Epitome*, II, 540).

3° *Taxae iudiciales* (c. 1909, § 1. *Epitome*, III, 248).

Cum Superiores sua praefinitione titulum taxae exigendae definiant, quidquid ultra summam definitam exigitur, iniuste petitur et accipitur. Inde obligatio restitutionis.

615. - *De illicita concessione dimissoriarum.*

I. - *Illicita concessio a Vicario capitulari* (c. **2409**).

« Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3, ipso facto subiacet suspensioni a divinis. »

Ordinationes in sacris ita episcopo reservantur, ut ipse solus saecularibus litteras dimissoriales concedere licite possit. Quare, sede vacante, Vicario capitulari eas concedere non licet, nisi nimis, i. e. ultra annum, procrastinandae sint ordinationes aut cum ordinatio pro bono dioecesis est necessaria (Cf. c. 958, § 1, 3o. — *Epitome*, II, 241, 2).

II. *De illicita concessione a Superiore religioso* (c. **2410**).

« Superiores religiosi qui, contra praescriptum can. 965-967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione. »

Religiosi, etiam exempti, salvo speciali privilegio, ab episcopo territorii in quo eorum domus sita est, ordinari debent, nisi diversi ritus fuerint. Possunt tamen ad alium mitti cum venia sui episcopi vel ob varias causas quae ad nimiam ordinationis procrastinationem reducuntur (Cf. c. 966. — *Epitome*, II, 241, 5). Canon 967 prohibet ne Superior religiosus impedimentum dolose creet ut subditos ad episcopum non proprium dimittat.

Ut gravis poena hic statuta incurratur, plenissimus dolus requiritur, ita ut gravis fraus Superioris manifesta sit.

616. - *De illicita admissione in religionem* (c. **2411**).

Canone 2411 triplex delictum punitur :

1° Admissio candidati non idonei contra praescriptum c. 542.

Canon 542 impedimenta iuris communis enumerat quae admissionem in noviciatum invalidam vel graviter illicitam reddunt. De his cf. *Epitome*, I, 526, ss.

2o Admissio ad noviciatum sine litteris testimonialibus contra praescriptum c. 544.

Ne candidati ad vitam religiosam imprudenter admittantur, varia testimonia de eorum statu, indole, moribus a Superiore recipiente exigenda sunt ; quae enumerat c. 544 (Cf. *Epitome*, I, 643, ss.). Quo minus candidatus est Superiori notus, quo difficilioribus in adiunctis versatus est, eo maiore cura testimonia exigenda sunt. Ubi moralis certitudo idoneitatis candidati adest, in postulatum admitti poterit antequam litterae testimoniales, diu exspectandae, advenerint. Poena urget prohibitionem recipiendi ad noviciatum sine istis testimonialibus.

3o Admissio non idonei novicii ad professionem, contra praescriptum c. 571, § 2.

Idoneitas novicii ad professionem suffragio deliberativo Consilii seu Capituli decernenda est (c. 575, § 2). Quod suffragium si negativum fuerit, novicius dimittendus est.

Deliquerit Superior novicium contra suffragium clarum Capituli admittens ; nam in dubio probationem eius, non tamen ultra sex menses, prorogare poterit (c. 574, § 2).

Hic canon ad omnes Superiores, tam viros quam mulieres, extenditur (c. 490).

617. - *De religiosarum dote et voluntatis probatione* (c. **2412**).

« Religiosarum etiam exemptarum Antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniantur :

1° Si contra praescriptum can. 549 dotes puellarum receptarum quoquo modo impendere praesumpserint, salva semper obligatione de qua in can. 551 ;

2° Si contra praescriptum can. 552 omiserint Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicuius admissione ad novitiatum vel ad professionem. »

1. **Dos** religiosarum quae ab Ecclesia, saltem apud Moniales, satis severe exigitur, caute et fructuose conservanda est, quamdiu religiosa in religione manet, neque ullo pacto, etiam in fines ceteroquin valde utiles vel qui necessarii videantur, sine Apostolica dispensatione, impendi potest. In plenum religionis dominium sola morte religiosae transit. Cedenda est alii religioni vel alii eiusdem religionis domui, ad quam religiosa legitime transierit, ad normam c. 551, § 2. E religione legitime vel illegitime discedenti restituenda est (c. 551, § 1. Cf. *Epitome*, I, 650, ss.).

2. Ordinarius loci debet voluntatem puellarum in religionem ingredientium ter examinare, sc. ante ingressum in noviciatum, ante admissionem ad primam professionem temporariam et ante professionem perpetuam. Quare duobus ante mensibus Ordinarius ab Antistita de proximo actu est certior faciendus (c. 552. Cf. *Epitome*, I, 655).

618. - *De impedita visitatione canonica* (c. **2413**).

« § 1. Antistitae quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerint, itemque religiosae omnes, sive Antistitae sive subditae, quae per se vel per alios, directe vel indirecte, religiosas induxerint ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel eisdem, ob responsa quae Visitatori dederint molestiam, sub quovis praetextu, attulerint, inhabiles ad officia assequenda, quae aliarum regimen secumferunt, a Visitatore declarentur et Antistitae officio, quo funguntur, priventur.

« § 2. Quae in superiore paragrapho praescripta sunt, etiam virorum religionibus applicentur. »

1. Tria delicta notantur :

1° Illicita translatio religiosi in aliam domum, indicta visitatione.

Ut visitatio fructu suo non careat, oportet ut Visitator quos voluerit interrogare possit ad eumque omnibus accessus liber pateat. Finis ergo visitationis impediretur, si liceret Superioribus, indicta visitatione, religiosum cuius testimonio abusus manifestari posset, libere in aliam domum transferre. Sic enim Visitator quosdam religiosos numquam interrogare posset.

2° Sollicitatio vel coactio ut religiosi coram Visitatore veritati quidquam detrahant.

Canon vero minime vetat ne etiam in responsis ad Visitatorem prudentia et caritas christiana suadeantur. Ita manifestanda non sunt defectus singulo-

rum religiosorum ; peccata quae occulta manserunt ; singulae culpae a Superioribus commissae, etiamsi graviores fuerint, quae permanentem effectum non habeant : violationes regularum non graves neque ita frequentes ut abusum constituant. De his si quod dubium fuerit, interrogetur prudens confessarius, theologiae moralis et condicionis vitae religiosae peritus.

3° Molestiae allatae religioso ob responsa quae Visitatori dederit.

Etiamsi religiosus in responsis imprudens fuerit vel caritati defuerit, molestiis imprudenter et iniuste impetetur. Nonne prudentiae et caritatis est eum admissam culpam docere bonis rationibus et pacato animo ?

Delicta secundum et tertium admittere possunt etiam qui non sunt Superiores.

2. Declaratio inhabilitatis iudicialiter non pronuntiatur, sed est decretum particulare. Nihil tamen prohibet quin Ordinarius rem iudicialiter tractet et Visitatorem iudicem constituat. — Recursus a decreto Visitatoris *in devolutivo* tantum conceditur (c. 513, § 2).

619. - *De impedita libertate confessionum* (c. **2414**).

« Antistita quae contra praescriptum can. 521, § 3, 522, 523 se gesserit, a loci Ordinario moneatur ; si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione puniatur, illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis. »

Quam graves sint violationes libertatis confessionum in religionibus mulierum, patet ex praecepto dato Ordinariis ut de repetito delicto « illico » S. Congr. de religiosis moneant. Quare confessarii et Visitatoris erit Antistitam de suo in hac re gravi officio monere.

Exempla delictorum quae committi possunt haec citentur :

1° Non vocare confessarium ex determinatis ab Ordinario, quem religiosa petierit.

2° Petitionis rationem exquirere.

3° Ostendere *quavis ratione* se subditae petitionem aegre ferre.

4° Prohibere ne religiosa adeat confessarium pro mulieribus approbatum, in loco propriae domus pro confessionibus mulierum vel religiosarum designato.

5° Prohibere ne religiosa quae legitime extra domum versatur, confessarium pro mulieribus approbatum in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semipublico, adeat.

Supponitur religiosam legitime versari in loco ubi sit talis ecclesia, ita ut ab itinere notabiliter discedere non debeat ut confessarium adeat.

6° Inquirere rationem cur religiosa illos confessarios (sub 4° et 5°) adierit vel adire velit ; exigere ut sibi, sive a paenitente sive ab eius socia, de hac re referatur ; ostendere se eum agendi modum aegre ferre.

7° Impedire quovis modo ne religiosa, durante gravi morbo, confiteri possit apud quemlibet sacerdotem ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum.

De his cf. commentarium ad cc. 521, § 3. 522. 523 in *Epitome*, I, 589-594.

LAUS DEO MARIAEQUE.

Index censurarum latae sententiae ad normam novi iuris

Numeri indicati omnes in hoc t. III reperiuntur

I. *Excomm. specialissime* reservatam R. P. incurrunt :

1. Speciebus consecratis sacrilege abutentes. (c. 2320. n. 520)
2. Violentas manus inicientes in R. P. (c. 2343. n. 542)
3. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi. (c. 2367. n. 570)
4. Confessarius sigillum directe violare praesumens. (c. 2369. n. 572)

II. *Excomm. specialiter* reservatam R. P. :

1. Apostatae, haeretici, schismatici. (c. 2314. n. 513)
2. Suspecti de haeresi, si moniti post sex menses, non se emendent. (c. 2315. n. 514)
3. Edentes libros apostatarum, haereticorum, schismaticorum, eosdem vel a S. S. nominatim prohibitos defendentes aut scienter legentes. (c. 2318. n. 517)
4. Ad sacerdotium non promotus celebrationem Missae simulans vel confessionem excipiens. (c. 2322. n. 522)
5. Appellantes ad universale Concilium. (c. 2332. n. 532)
6. Impedientes litteras vel acta S. S. (c. 2333. n. 533)
7. Leges ferentes contra iura Ecclesiae; recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. (c. 2334. n. 534)
8. Trahentes ad iudicem laicum Cardinalem, Legatum S. S., Officialem maiorem Rom. Curiae, Ordinarium proprium. (c. 2341. n. 540)
9. Violentas manus inicientes in Cardinalem, Legatum S. S., patriarcham, archiepiscopum, episcopum. (c. 2343. n. 542)
10. Usurpantes bona Ecclesiae romanae. (c. 2345. n. 545)
11. Falsarii litterarum S. S. (c. 2360. n. 562)
12. Falso denuntians confessarium de sollicitatione apud Superiores. (c. 2363. n. 565)

III. *Excomm. simpliciter* reservatam R. P. :

1. Quaestum facientes ex indulgentiis. (c. 2327. n. 527)
2. Nomen dantes sectae massonicae. (c. 2335)
3. Sine facultate absolventes ab excomm. specialissime vel specialiter reservata S. S. (c. 2338. n. 537)
4. Communicantes in delicto vel in divinis cum excommunicato vitando. (c. 2338. n. 537)
5. Trahentes ad iudicem laicum episcopum, Praelatum nullius, Superiorem religiosum supremum. (c. 2341. n. 540)
6. Violantes clausuram monialium et moniales e clausura illegitime exeuntes. (c. 2342. n. 541)
7. Violantes clausuram Regularium. (c. 2342. n. 541)
8. Usurpantes bona ecclesiastica. (c. 2346. n. 546)
9. Duellantes eorumque complices. (c. 2351. n. 553)
10. Clerici in sacris et voto sollemni castitatis ligati attentantes matrimonium eorumque compars. (c. 2388. n. 592)
11. Simoniaci in officiis, beneficiis, dignitatibus. (c. 2392. n. 597)
12. Subtrahentes vel immutantes documentum ex Curia episcopali. (c. 2405. n. 611)

IV. *Excomm. reservatam Ordinario :*

1. Matrimonium ineuntes coram ministro acatholico. (c. 2319. n. 518)
2. Matrimonium contrahentes cum pacto ut proles educetur extra Ecclesiam. (c. 2319. n. 518)
3. Liberos baptizandos scienter offerentes ministro acatholico. (c. 2319. n. 518)
4. Liberos scienter tradentes in reli-

gione acatholica educandos. (c. 2319. n. 518)
5. Conficientes, distribuentes, exponentes falsas reliquias. (c. 2326. n. 526)
6. Violentas manus inicientes in simplices clericos vel religiosos. (c. 2343. n. 542)
7. Procurantes abortum, effectu secuto (c. 2350. n. 551)
8. Religiosus apostata a religione. (c. 2385. n. 589)
9. Professi votorum simplicium perpetuorum matrimonium contrahentes eorumque compars. (c. 2388. n. 592)

V. *Excomm. nemini* reservatam :

1. Edentes sine licentia libros de S. Scriptura. (c. 2318. n. 517)
2. Violantes varias leges de electione R. P. (c. 2330. n. 530)
3. Cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae a iure exclusos. (c. 2339. n. 538)
4. Praetermittentes beneplacitum apostolicum ad alienanda bona ecclesiastica. (c. 2347. n. 547)
5. Cogentes ad statum clericalem vel religiosum amplectendum. (c. 2352. n. 554)
6. Scienter omittens denuntiare confessarium a quo sollicitatus fuerit. (c. 2368. n. 571)

VI. Incurrunt *S. Sedi* reservatam *suspensionem :*

1. *A divinis :* praesumentes recipere ordines ab apostata, haeretico, schismatico, censurato. (c. 2372. n. 575)
2. *Generalem :* episcopus episcopum consecrans sine mandato S. S., eiusque assistentes. (c. 2370. n. 573)
3. Scienter per simoniam ordinantes vel ordinati, ministrantes vel recipientes sacramenta. (c. 2371. n. 574)

VII. *Suspensionem* reservatam *Ordinario* incurrunt :

Ab officio : trahentes ad iudicem laicum clericum simplicem vel religiosum. (c. 2341. n. 540)

VIII. Incurrunt *Superiori maiori* reservatam *suspensionem generalem :* religiosi fugitivi (c. 2386. n. 590)

IX. Incurrunt *nemini* reservatam *suspensionem :*

1. *A confessionibus audiendis :* sine facultate a reservatis absolvens. (c. 2366. n. 569)
2. *A divinis :* praesumens sine iurisdictione confessiones audire (c. 2366. n. 569) ; praesumens in manus laicorum officium, beneficium, dignitatem resignare (c. 2400. n. 605) ; Vicarius capitularis indebite dimissorias pro ordinatione concedens. (c. 2409. n. 615)
3. *A recepto ordine :* sine dimissoriis, ante aetatem, per saltum ordinatus. (c. 2374. n. 577)
4. *A iurisdictione :* Abbas vel Praelatus nullius benedictionem infra debitum tempus non petens. (c. 2402. n. 607)

X. Incurrunt *interdictum specialiter* reserv. S. S. :

Personae morales appellantes ad universale Concilium. (c. 2332. n. 532)

XI. Incurrunt *interdictum* personale *nemini* reservatum :

qui causam dederint interdicto locali aut interdicto in communitatem. (c. 2338. n. 537)

XII. Incurrunt *interdictum* ab ingressu ecclesiae reservatum *Ordinario :*

sponte sepultura ecclesiastica donantes quos ius prohibet. (c. 2339. n. 538)

INDEX

RESPONSORUM PONTIF. COMMISSIONIS INTERPR. DE ARGUMENTIS HUIUS VOLUMINIS

Canon	Responsum	AAS (1)	Per. (2)	Epitome III (3)
1552	22 maii 1923	XVI, 1924, 251	XIII, 121	n. 4
1565, § 2	14 iul. 1922	XIV, 1922, 529	XI, 165	20
1874, § 5	14 iul. 1922	XIV, 1922, 529	Per. XI, 171	231
1964	14 iul. 1922	XIV, 1922, 529	XI, 165	279
2149	20 maii 1923	XVI, 1924, 116	XIII, 81 et 87	352
2233	14 iul. 1922	XIV, 1922, 530	XI, 166 et 172	427
2334, 2º	25 iul. 1926	XIX, 1926, 394	XV, 169	534
2389	2-3 iun. 1918	X, 1918, 347	IX, 151	593

(1) Damus sola responsa quae, in AAS inserta, sic promulgata sunt.
(2) A. Vermeersch, S. I., *Periodica de re canonica et morali.*
(4) Sive ibi allegetur, sive saltem de argumento ibi tractetur.

INDEX SCRIPTORUM ET PERIODICORUM

Acta Apostolicae Sedis, Commentarium officiale, Romae, ab a. 1909 (AAS).

Acta et decreta Concilii plenarii Americae latinae, A. D. 1899. Additur : *Appendix ad Conc. plen. Amer. lat.*, Romae, 1900.

Acta et decreta Concilii plenarii Baltimorensis tertii, A. D. 1884, Baltimorae, 1886.

Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum (Coll. Lacensis), 7 vol., Friburgi-Br., 1870.

Acta Sanctae Sedis, Romae, 1865-1908 (ASS).

Aertnys, Jos., C. SS. R., *Theologia moralis iuxta doctrinam S. Alph. M. de Ligorio*, ed. 2, Tornaci, 1890.

Aichner, S., *Compendium iuris ecclesiastici*, ed. 7, Brixinae, 1890.

Alphonsus de Ligorio, (S.), *Theologia moralis*, Mechliniae, 1852.

L'Ami du Clergé, Langres.

Angelus a SS Corde, O. C. D., *Manuale iuris communis Regularium*, Gandae, 1899.

d'Annibale, I., *In Const. Apostolicae Sedis qua censurae l. s. limitantur commentarii editi iussu Illmi et Revmi Fr. Aegidii Mauri*, O. P., episcopi Reatini (Comm. Reat.), ed. 1, Interamnae, 1873.

— *Summula theologiae moralis*, ed. 3, Romae, 1888.

Antonelli, R. D., *Medicina pastoralis in usum confessariorum et curiarum ecclesiasticarum*, ed. 3, Romae, 1909.

Arendt, Gul., S. J., *De laesione iustitiae commutativae in missae manualis stipendio alteri celebranti diminuto*, Prati, 1914.

— *Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum*, Romae, 1912.

— *Circa controversam validitatem matrimonii feminae recisae*. Diatriba pro sanctitate pacti coniugalis, Romae, 1923.

— *De sacramentalibus disquitio scholastico-dogmatica*, ed. altera, Romae 1900.

Archiv fur katholisches Kirchenrecht, Mainz *(Arch. f. KKR.)*.

Arregui, A. M., S. J., *Summarium theologiae moralis*, ed. 9, Bilbao, 1925.

Augustine, O. S. B., *A Commentary on the new Code of Canon Law*, 7 vol., London, 1919, ss.

Avanzini, P., *De Const. Apostolicae Sedis qua censurae l. s. Limitantur commentarii*, ed. 2, Romae, 1874.

Ayrinhac, H. A., S. S., *Constitution of the Church in the new Code of canon Law*, New-York, 1925.

Azpilcueta, M., *Vide* Navarrus.

Badii Caes., *Institutiones iuris canonici*, ed. 2, vol. II, De rebus. Florentiae, 1922.

Ballerini (Ant. S. J.) et Palmieri (Dom. S. J.), *Opus theologicum morale in Busembaum medullam*, ed. 3, Prati, 1898-1901.

Bargilliat, M., *Praelectiones iuris canonici*, 2 vol., ed. 37, Paris, 1923.

Battandier, A. Mgr., *Annuaire Pontifical*, Rome.

Beauduin, G. *De consuetudine in iure canonico dissertatio canonica*, Lovanii, 1888.

Bellarmin, R.(B.) S. J., Card., *De controversiis christianae fidei*, Mediolani, 1721

Benedictus XIV, *Opera omnia*, Venetiis, 1767.

Berenger-Hilgers, S. J., *Die Ablässe, ihr Wezen und Gebrauch*, 2 vol., ed. 15, Paderborn, 1921.

Biederlack, S. J.-Fürrich, S. J., *De religiosis*, Œniponte, 1919.

Billot, Lud., S. J., Card., *Tractatus de Ecclesia Christi*, ed. 3., Prati, 1909.

— *De Ecclesiae Sacramentis*, ed. 2, Romae, 1896.

Bizzarri, A., *Collectanea in usum Secretariae S. C. Ep. et Reg. (Collect.)*, Romae, 1863.

Blat, A. O. P., *Commentarium textus C. I. C.* — Lib. I. Normae generales, Romae, 1921. — Lib. II. De personis. Romae, 1919. — Lib. III. De rebus. 2 tom., Romae, 1920-1923. — Lib. V. De delictis et poenis, Romae, 1924.

Bonacina, M., *Opera omnia*, Anvers, 1632.

Bondini, A., O. Min. Conv., *De privilegio exemptionis seu de Regularium immunitate ab Ordinariorum locorum iurisdictione, prout in novo iuris canonici Codice sancitur*, 1 vol., Romae, 1919.

Boudinhon, A., *Biens d'église et peines canoniques*, Paris, 1909.

— *Le mariage et les fiançailles*, ed. 6, Paris, 1908.

Bouix, D., *Institutiones iuris canonici in varios tractatus divisae*, 15 vol., Parisiis, 1852-1870.

Bouquillon, T. J., *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 2, Bruges, 1890.

Brandys, M., O. F. M., *Kirchliches Rechtsbuch für die religiösen Laiengenossenschaften der Brüder und Schwestern nach dem neuen Gezetzbuch der hl. Kirche zusammengestellt und erläutert*, Paderborn, 1918.

Braun, S. J., *Die liturgische Gewandung im Occident und Orient nach Ursprung und Entwicklung, Verwendung und Symbolik*, Freiburg i. Br., 1907.

Brys, J., *De dispensatione in iure canonico... usque ad med. saec. XIV* Brugis, 1925.

Buccerone, Ian., S. J., *Commentarius de censuris*, Romae, 1885.

— *Institutiones theol. mor.* 4 vol., ed. 6, Romae, 1914-1915.

Busembaum, H., S. J., *Medulla theologiae moralis*, Patavii, 1746.

Callewaert, D., *Liturgicae institutiones. — Tractatus I, De sancta liturgia universim*, Brugis, 1919.

Calvini, J., (Kahl), *Magnum Lexicon iuridicum*, 2 vol., Coloniae, 1759.

Le Canoniste contemporain, Paris *(Can. cont.)*

Capellmann, C., *Medicina pastoralis*, ed. 7., Aquisgranae, 1890.

Cappello, F. M. S. J., *De censuris iuxta Codicem I. C.*, ed. alt. Augustae Taurinorum, 1926.

— *Tractatus canonico - moralis de sacramentis*, T. I., Augustae Taurinorum, 1921. — T. II. P. I., *De Paenitentia*, 1926. — T. III. *De matrimonio*, 1923.

Carrara, Fr., *Programme du cours de droit criminel*, fait à l'Université de Pise (trad. P. Baret), Paris, 1876.

Castro-Palao, De. F., S. J., *Opus morale*, 3 vol., Lugdini, 1656.

The Catholic encyclopedia, New-York, 1907-1913 *(CE)*.

Cavagnis, Card., *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, 3 vol., ed. 4, Romae, 1906.

Cavalieri. Joa. M. *Opera omnia liturgica*, Venetiis, 1658.

CERATO, P., *Matrimonium a Codice i. c. integre desumptum*, Patavii. 1918.
— *Censurae vigentes ipso facto a Codice I. C.* Patavii, 1918.
CHELODI, I., *Ius matrimoniale iuxta Codicem i. c.*, ed. 3. Tridenti, 1921.
CHOUPIN, L., S. J. *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège*, ed. 2, Paris, 1913.
— *Nature et obligations de l'état religieux*, Paris, 1923.
CICOGNANI, H. I., *Commentarium ad l. I Codicis*, I, Romae, 1926.
CLAEYS-BOÚÚAERT, F. *De canonica cleri saecularis obedientia*, Lovanii, 1904.
CLAEYS-BOÚÚAERT, F. — SIMENON, G., *Manuale iuris canonici ad usum seminariorum*, ed. alt., Gandae-Leodii, 1926.
COCCHI, G., *Commentarium in universum Codicem iuris canonici*, Romae-Taurini, 1921, ss.
Collationes Brugenses, Brugis (Coll. Brug.).
Collationes Gandavenses, Gandae (Coll. Gand.).
Collectanea S. Congr. de Propaganda Fide (Coll. P. F.), 2 vol., Romae, 1907.
Collectio Lacensis, Vide : Acta.
Commentarium pro religiosis. Publicatio mensilis, Romae, ab a. 1920.
CORNELY, R., S. J., *Introductio generalis et commentarii cursus Scripturae Sacrae*, Parisiis, 1885, ss.
MATTH. A CORONATA, O. M. C., *De locis et temporibus sacris*, Augustae Taurinorum, 1922.
— *Ius publicum ecclesiasticum*, Taurini, 1924.
COVARRUVIAS, D., *Opera omnia*, Antverpiae, 1638.
CREUSEN, I., S. I., *Religieux et religieuses d'après le droit ecclésiastique*, 3e éd., Bruxelles, 1924.
DE AZEVEDO, S. J., *Benedicti PP. XIV doctrina de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione in synopsim redacta*, Parisiis, 1862.
DE BECKER, JOS., *De sponsalibus et matrimonio praelectiones canonicae*, ed. 2, Lovanii, 1903.
DE BRABANDERE, *Vide* DE MEESTER.
DE HERDT, *Praxis capitularis*, ed. 2, Lovanii, 1895.
DEL GIUDICE, V., *Stipendia Missarum*, Romae, 1922.
DE MEESTER, A, *Iuris canonici et iuris canonico-civilis compendium*, ed. 8, Brugis, 1914-1916 ; ed. 9, Brugis, t. I, (1922 cc. 1-214). — t. II (1923.cc.215-725) t. III (1927. cc. 726-730. 1154-1551). Cf. quoque VAN COILLIE.
DE ROBIANO, O. P., *De iure Ecclesiae in Universitates studiorum dissertatio historico-canonica*, Lovanii, 1864.
DE SMET, AL., *Praxis matrimonialis*, altera ed., Brugis, 1920.
— *De sponsalibus et matrimonio tractatus canonicus et theologicus necnon historicus ac iuridico-civilis*, 2 vol., ed. 4, Brugis, 1927.
— *Tractatus de casibus reservatis*, Brugis, 1914.
DEVOTI, *Institutionum canonicarum libri IV*, ed. 3., Leodii, 1883.
— *Iuris canonici universalis publici et privati libri V*, Romae, 1803, ss.
Dictionnaire apologétique de la foi chrétienne, ed. A. d'Alès, Paris, 1909, ss. (DA).
Dictionnaire de théologie catholique, ed.Vacant-Mangenot, Paris, 1903, ss. (DTh.).
DU CANGE, C., *Glossarium mediae et infimae latinitatis*, Basileae, 1762.

DUCHESNE, Mgr., *Origines du culte chrétien*, ed. 5, Paris, 1920.
EICHMANN, ED., *Das Strafrecht des Codex I. C*, Paderborn, 1920.
Ephemerides theologicae Lovanienses, Lovanii, 1924, ss. *(Eph. th. Lov.)*.
ESCHBACH, A., *Disputationes physiologico-theologicae*, ed. altera, Romae, 1901.
FAGNANUS, PR., *Ius canonicum sive commentaria in Decretales*, 3 vol., Coloniae, 1704.
FALCO, M., *Il « Codex iuris canonici » e il diritto anteriore*, Modena, 1923.
— *Introduzione allo studio del « Codex iuris canonici »*, Torino, 1925.
FANFANI, L., O. P., *De indulgentiis*. Romae, 1919.
— *De iure religiosorum ad normam C. I. C.*, ed. alt., Romae, 1925.
— *De iure parochorum ad normam C. I. C.*, Romae, 1924.
FARRUGIA, N., O. S. A., *De casuum conscientiae reservatione iuxta C. I. C.*, ed. 2, Taurini, 1922.
— *De matrimonio et causis matrimonialibus*, Taurini, 1924.
FEIJE, H. J., *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, ed. 4, Lovanii, 1893.
FERRARIS, L., *Prompta bibliotheca canonica*, Paris, 1861.
— *Supplementum*, Romae, 1899.
FERRERES, J. B., S. J., *Compendium theologiae moralis*. 2 vol., ed. 11, Barcinonae, 1921.
— *La Communion frequente y diaria*, ed. 2, Barcelona.
— *Institutiones canonicae*, ed., 2, Barcinone, 1920.
— *De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae*, ed. alt. Matriti, 1913.
Fontes Codicis i. c., auctore Card. GASPARRI, Romae, 1923. ss.
FORNARI, *Vide* LAURI.
FREISEN, J., *Geschichte des canonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur*, ed. 2, Paderborn, 1903.
FÜHRICH, M., S. J., *Vide* BIEDERLACK.
GARCIA, NIC., *De beneficiis ecclesiasticis*[2], Antwerpiae, 1618.
GARDELLINI, A, *Decreta authentica Congregationis S. Rituum*, 5 vol. Romae, 1856-1879.
GASPARRI, P, *Tractatus canonicus de Ss. Eucharistia*, 2 vol. Paris, 1897.
— *Tractatus canonicus de matrimonio*, 2 vol. ed., 3a Paris, 1904.
— *Tractatus de sacra ordinatione*, 2 vol. Paris, 1893.
— *Codicis i. c. Fontes*, Romae, 1-IV, 1923-1927.
GATTICUS, J. B., *De oratoriis domesticis*, Romae, 1770.
GENICOT-SALSMANS, S. J., *Institutiones theologiae moralis*, 2 vol., ed. 11. Bruxellis, 1927.
— *Casus conscientiae*, ed. 4, Bruxellis, 1922.
GENNARI, Card., *Sulla privazione del benefizio ecclesiastico*, ed. altera, Romae, 1905.
GILLET, P., *La personnalité iuridique en droit ecclésiastique*, Malines, 1927.
GIRARD. P. J., *Manuel élémentaire de droit romain*, ed. 6, Paris, 1918.
GÖLLER, EM., *Das Eherecht im neuen kirchlichen Gesetzbuch*, Freiburg-Br., 1918.
GOUGNARD, J., *Tractatus de indulgentiis* (*Theol. Mechlinien.*), Mechliniae, 1926.
GRENTRUP, TH., S. V. D., *Ius missionarium*, t. I, Steyl, 1925.
HARING, J, B., *Grundzüge des kath. Kirchenrechtes*, 3e Aufl. Graz, 1924.

Heimbucher, M., *Die Orden und Congregationem der katholischen Kirche*, 3 vol., ed. 2, Paderborn, 1907.

Hilarius a Sexten, F. M. C., *Tractatus de censuris ecclesiasticis*, Moguntiae, 1898.

Hilling, N., *Das Personenrecht des Codex iuris canonici*, Paderborn, 1924.

Hinschius, P., *System des katholischen Kirchenrechts mit besonderer Rücksicht auf Deutschland*, 6 vol., Berlin, 1869, ss.

Hollweck, Jos., *Die kirchlichen Strafgesetze*, Mainz, 1899.

Honorante, *Praxis secretariae tribunalis Card. Urbis Vicarii*, ed. 2, Romae, 1762.

Honoré, L., S. J., *Le secret de la confession*, Bruges, 1924.

Hoornaert, G. S. J., *Catalogus praecipuorum quae abrogavit novum ius canonicum*, Bruxellis, 1922.

Iglesias, A. F., O. M., *Brevis commentarius in facultates S. C. de P. F. dare solet missionariis*, Romae, 1924.

Ius Pontificium, Romae, 1921, ss. *(Ius pont.)*.

Kirchenlexikon, ed. 2, Hergenroether-Kaulen, Freiburg-Br., 1882-1903 (KL).

Kober, F., *Der Kirchenband nach den Grundsätzen des can. Rechts*, ed. 2, Tübingen, 1863.

— *Das Interdikt*. (Arch. f. kath. Kirchenrecht, t. 21).

Lacau, I., S C I., *De tempore dissert. philos. scient. iuridica*, Aug. Taur., 1921.

Lacroix, Cl. S. J., *Theologia moralis*, Ravennae, 1761.

Lahitton, J., Chan., *La vocation sacerdotale*, ed. 4, Paris, 1914.

Laurentius, J., S. J., *Institutiones iuris ecclesiastici*, ed. 2, Friburgi, 1908.

Lauri-Fornari-Santarelli, *Codex pro postulatoribus causarum beatificationis et canonizationis*, Romae, 1923.

Laurin, I., *Introductio in corpus iuris canonici*, Friburgi-Br. 1889.

Layman, P., S. J., *Theologia moralis*, ed. 3, Monachii, 1630.

Lega., Card., *Praelectiones in textum iuris canonici de iudiciis ecclesiasticis*.

— *De iudiciis ecclesiasticis civilibus*, t. I. ed. 3, Romae, 1905.

— *Praelectiones in textum iuris canonici. De delictis et poenis*. Ed. altera, Romae, 1910.

Lehmkuhl, Aug., S. J., *Theologia moralis*, 2 vol. ed. 11, Friburgi-Br. 1910.

Leitner, R., *Handbuch des kath. Kirchenrechts*, Regensburg, 1918, ss.

Leurenius, P., S. J., *Forum beneficiale*, 3 vol., Coloniae, 1704.

Linneborn, *Grundriss des Eherechts nach den Codex i. c.*, Paderborn, 1919.

Lydsman, B., C. SS. R., *Introductio in ius canonicum*, Hilversum, 1924.

Lugo, S. J., *Opera omnia*, Venetiis, 1752.

Mc Kormick, R. E., *Confessors of Religious*, Washington, D. C. 1927.

Mannaiolli, *De obligationibus christianorum propriis quibus in genere dubie baptizati obstringuntur*, etc., Romae, 1913.

Many, S., *Praelectiones de locis sacris*, Parisiis, 1904.

Maroto, F., *Institutiones iuris canonici*, T. I, Madrid, 1918.

Molitor, R., O. S. B., *Religiosi iuris selecta capita*, Romae, 1909.

Monacelli, Fr., *Formularium legale practicum fori ecclesiastici*, Romae, 1706.

— *Supplementum formularii legalis*, Venetiis, 1751.

Monin, A., *De curia romana*, Lovanii, 1912.

Moulart, F. J., *La question des cimetières en Belgique*, Tournai, 1874.

— *De sepultura et coemeteriis*, Lovanii, 1862.

Navarrus, (Doctor), *Manuale confessariorum et paenitentium*, Venetiis, 1603.

Nilles, Nic., S. J., *Commentarius de vocatione ad statum ecclesiasticum*, Oeniponte, 1892.
Noldin, H., S. J., *Summa theologiae moralis. De Praeceptis Dei et Ecclesiae*, ed. 18, Oeniponte, 1926.
— *De sexto praecepto*, ed. 21, 1926.
— *De Principiis theologiae moralis*, ed. 17, Oeniponte, 1924.
— *De Sacramentis*, ed. 17, Oeniponte, 1925.
Nouvelle Revue théologique, Louvain. *(N. R. Th.)*
Noval, Jos., O. P., *Commentarium Codicis I. C.*, Lib. IV. De Processibus. Pars I, *De iudiciis*, Taurini-Romae, 1920.
Ojetti, B., S. J., *De romana curia*, Romae, 1910.
— *Synopsis rerum moralium et iuris pontificii alphabetico ordine digesta*, ed. 3, Prati, 1909, ss.
— *Commentarium in Codicem i. c.*, Lib. I, Romae, 1927.
Pallottini, S., *Collectio omnium conclusionum et resolutionum quae in causis propositis apud S. C. Cardinalium S. Conc. Trid. interpretum prodierunt* (Coll. S. C. C.), Romae, 1893.
Passerinus, P. M., O. P., *De hominum statibus et officiis inspectiones morales*, 3 vol., Lucae, 1732.
Pellizarius, F., S. J., *Manuale Regularium*, 2 vol., ed. 2, Lugduni, 1665.
Pennacchi, Jos., *Commentaria in Const. Apostolicae Sedis*, 2 vol., Romae, 1888.
Planiol, M., *Traité élémentaire de droit civil*, 3 vol., ed. 6, Paris, 1911, ss.
Petrovits, Jos., *The new Church Law on Matrimony*, Philadelphia, 1921.
Phillips, G., *Das Kirchenrecht*, 8 vol., Regensburg, 1848-1889.
Piat, F., O.F.M.C., (Montensis) *Praelectiones iuris regularis*, 3 vol., Tornaci, 1888.
Pighi, J. B., *Cursus theologiae moralis*, Veronae, 1759.
Pistocchi, M., *De Synodo dioecesana*, Taurini, 1922.
Pouan, B. T., *De Seminario clericorum, dissertatio historico canonica*, Lovanii, 1874.
Pruemmer, D., O. P., *Manuale iuris ecclesiastici*, Friburgi-Br., ed. 5., 1927.
Raus, J. B., C. SS. R., *Institutiones canonicae*, Paris, 1924.
— *De sacrae obedientiae virtute et voto*, Paris, 1923.
Reiffenstuel, O. F. M., *Ius canonicum universum.*
Revue des communautés religieuses (R. C. R.)
Revue ecclésiastique de Liége, (Rev. eccl. Liége).
Roberti, Fr. *De processibus*, I, Romae, 1926.
Saegmuller, J. B., *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts*, 4 Aufl., I Bd., 1r T., 1925; 2r T., 1926, Freiburg, i. B.
Salsmans, J., S. J., *vide* Genicot.
Sanchez, Th., S. J., *In praecepta decalogi opus morale*, ed. altera, Lugduni, 1637.
— *Disputationum de s. matrimonii sacramento l. X*, ed. alt., Lugduni, 1739.
Sanguinetti, S., *Iuris ecclesiastici privati institutiones*, Romae, 1884.
Santarelli, *vide* Lauri.
Santi-Leitner, *Praelectiones iuris canonici*, 4 vol., ed. 3., Ratisbonnae, 1899.
Schmalzgrueber, F., S. J., *Ius ecclesiasticum universum.*
Schönegger, A., S. J., *De poenis ecclesiasticis*, ed. 12, Oeniponte, 1921.
Sebastiani, N., *Summarium theologiae moralis*, ed. 4, minor, Taurinorum Aug. — Romae, 1919.

SOLE, JAC., *De delictis et poenis*, Praelectiones in lib. V Codicis I. C., Romae, 1920.

STUTZ, U., *Der Geist des Codex I. C.*, Stuttgart, 1918.

STEPHANUS TORNACENSIS, *Summa in Decretum Gratiani*, (ed. von Schulte), Giessen, 1891.

SUAREZ, FR., S. J., *Opera omnia*, Moguntiae, 1606.

TAMBURINUS, MTH., S. J., *Expediti iuris divini, naturalis et ecclesiastici moralis expositio in tres divisa partes*, Coloniae, 1665.

TARQUINI, Card., S. J., *Iuris ecclesiastici publici institutiones*, ed. 13, Romae, 1855.

THESAURUS-GIRALDI, *De poenis ecclesiasticis praxis absoluta et universalis*, nova editio, Romae, 1831.

THOMASSIN, L., *Ancienne et nouvelle discipline de l'Église*, 3 vol., nouvelle édition, Paris, 1725.

TROMBETTA, A., *De iuribus et privilegiis doctorum ecclesiasticorum*, Surrenti, 1900.

TUMMULO, RAPH., S. J., *Compendium theologiae moralis*, P. Gury nonnullis auctum recentioribus actis S. Sedis praesertim legibus Cod. Iur. Can. accommodatum, habita simul ratione italici iuris. Neapoli, 1919.

VACANDARD, E., *L'inquisition*, 2e éd. Paris, 1907.

VAN COILLIE, C.-DE MEESTER, A., *La sépulture et les fabriques d'églises en droit civil-ecclésiastique belge*, 2e éd. Bruges, 1924.

VAN DE BURGHT, F. P., *De ecclesiis*, ed. 2, Ultraiecti, 1874.

VAN GAMMEREN, A., *De oratoriis publicis et privatis* (Dissertatio), Lovanii, 1801.

VERMEERSCH, A., S. J., *De castitate et vitiis contrariis tractatus doctrinalis et moralis*, ed. 2, Romae, 1921.

— *De casu Apostoli seu fidei privilegio*, Brugis, 1911.

— *Quaestiones de virtutibus religionis et pietatis ac vitiis contrariis*, Brugis, 1912.

— *Quaestiones de iustitia*, ed. altera, Brugis, 1904.

— *De prohibitione et censura librorum*, ed. 4, Romae, 1906.

— *De forma sponsalium ac matrimonii post decr. « Ne temere »*, ed. 5, Brugis, 1912.

— *De religiosis institutis et personis*, T. I, ed. 2, Brugis, 1907. T. II, ed. 4, Brugis, 1910.

— *De religiosis et missionariis supplementa et monumenta periodica* (Per.) ab a. 1908.

— *Theologiae moralis principia, responsa, consilia*, 4 tom., alt. ed. Romae, 1926, ss.

— *La tolérance*, nouv. édition, Louvain, 1922.

VIDAL, P, S. J., *Institutiones iuris romani*. Prati, 1917. Cf. WERNZ-VIDAL.

VLAMING, *Praelectiones iuris matrimonii ad normam C. I. C.*, 2 vol., Bussum, 1919-1921.

VROMANT, G., C. I. C. M., *De bonis Ecclesiae temporalibus*, Lovanii. 1927.

— *Facultates apostolicae*, etc.. Lovanii, 1926.

WERNZ, F. X., S. J., *Ius Decretalium*, tt. I-IV, ed. 2, Prati, 1905-1911. t. V. 1914, t. VI, 1913.

WERNZ-VIDAL, S. J., *Ius canonicum*. t. II. *De personis*. Romae, 1923. t. V. *Ius matrimoniale*, 1925. t. VI, P. I, *De processibus*, 1927.

WINSLOW, FR. J., A. S. M., *Vicars and Prefects Apostolic*. Maryknoll, N. Y., 1924.

INDEX GENERALIS CANONUM

N. B. 1. Numeri indicantur marginales.
2. Quando Codex in uno canone alios *explicite* allegat, numerus commentarii istorum non datur, quippe qui ex reliquo indice statim inveniri possit.

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
115	I 203	147	I 230, s.	181	I 260	213	I 207 289 213 220
116	204	148	231	182	261	214	289 219 220 287 ss.
117	205	149	232 II 790	183	263 232 283 II 144	215	291
118	207	150	232 272	184	265	216	292 490.
119	207 208	151	232 III 600	185	266	217	293 486
120	209 III 6 s.	152	234	186	266 II 810 s. III 352	218	295
121	210	153	235	187	267	219	298
122	211 III 252	154	235	188	268 II 773 III 513 588 592.	220	299
123	213	155	236 498	189	267	221	267 300
124	215	156	237 500 II 770	190	269	222	302
125	216	157	238	191	269	223	303
126	216 472 507	159	238	192	270	224	303
127	217 692	160	241	193	272	225	304
128	217 225 692	161	242	194	272	226	304
129	218 692	162	243 249	195	263	227	305
130	218 445 458 499 692 III 582	163	244	196	276 s.	228	305
131	218 487 692	164	246	197	277	22	302
132	219 692	165	245 249	198	279	230	307
133	219 692 III 367	166	248, s.	199	280	231	308
134	219 523	167	245 249	200	281	232	309
135	220 692	168	248	201	282	233	309
136	221 692 III 583	169	247, ss.	202	282	234	309 III 602
137	222 223	170	246 249	203	282	235	309
138	222	171	248 s.	204	282 II 355	236	310
139	223	172	250, s.	205	282	237	310
140	222	173	252	206	282	238	311
141	223 268	174	248	207	283 135 s.	239	312 418 729 II 62 146 270 798
142	224 III 584	175	254, s.	208	283	240	313
143	225	176	254 255	209	284 III 57	241	313 344
144	225	177	256	210	285	242	315 s.
145	227	178	257 III 595	211	287 ss.	243	316 318
146	228	179	258	212	288 s.	244	318
		180	259				

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
245	I 317	278	I 353	311	I 384	342	I 412
246	320	279	353	312	385	343	413
247	323 325 335	280	354	313	386	344	413
248	324	281	357	314	387	345	413
249	325	282	357 359	315	387	346	413
250	326	283	359	316	388	347	414 354
251	327	284	359 362	317	389	348	415
252	328	285	359 362 III 45	318	390	349	416
253	329 III 303	286	359	319	392	350	419
254	330	287	359	320	393	351	421
255	331 341	288	357 359	321	393	352	421
256	332	289	359	322	393 III 607	353	420
257	333	290	360	323	394	354	422
258	336	291	360 160	324	394	355	423
259	335	292	362	325	394 726	356	426
260	338	293	364 365	326	394	357	427 482
261	339	294	366 367	327	395	358	428
262	340	295	368	328	396 391	359	428 II 391
263	341	296	368	329	399 401	360	429
264	342	297	368	330	402	361	429
265	345	298	368	331	402 II 244	362	430
266	347	299	371	332	403	363	432
267	347	300	372	333	403 381 III 603	364	432
268	347	301	373, s.	334	404 484 478	365	432
269	347	302	375 497	335	405 484 II 241	366	434 s.
270	347	303	376	336	405, s. III 482 ss.	367	435
271	349, s.	304	377, s.	337	408	368	436 437
272	351	305	379	338	409 422 471 483	369	438
273	352	306	380 508	339	410 380 483 508	370	439 481
274	352 413 II 64	307	381	340	411 372	371	440
275	353	308	382	341	412 371	372	441
276	353	309	383 365			373	441 III 44
277	353	310	384			374	441
						375	442

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
376	I 442	407	I 460	441	482 485	471	I 513 457 493 730
377	442	408	461	442	485	472	515 731 II 805
378	442	409	464	443	484	473	516
379	442 II 304 410	410	465	444	484 485	474	518 III 252
380	442	411	466	445	486	475	519 II 765 III 348 s.
381	442	412	467	446	486	476	520, ss. II 757 765
382	442	413	468	447	487	477	524
383	443	414	468	448	487	478	525
384	443	415	469	449	487	479	526 530
385	445	416	470	450	488	480	526
386	444	417	470	451	490, ss.	481	527
387	445	418	471 225	452	495	482	527, s.
388	445	419	471	453	495	483	527, s.
389	445	420	472 455, s.	454	496 512, ss. 730 III 357 ss.	484	527
390	445	421	472	455	497 II 763	485	528
391	447 448	422	473	456	497 730	486	529
392	450	423	474	457	497	487	532 537
393	451 365, s.	424	474	458	498 236	488	539 541, ss. 769
394	451 452 II 747	425	474	459	499	489	547
395	452	426	474	460	500	490	547
396	454 II 766	427	475	461	502 506	491	549
397	454 503 II 114 223 537	428	475	462	503 ss.	492	551 552 482
398	455 456	429	477 442	463	504 509 III 549	493	553 562
399	455 456	430	478	464	502 505 581	494	556 558
400	455	431	479	465	507 428 517	495	554 559
401	456 282 II 144	432	480 395 485	466	508	496	560
402	457	433	480 485	467	509 III 370 s.	497	560, s. 703
403	458	434	480	468	509 III 370 s.	498	562
404	458	435	481	469	509	499	566 569
405	459 463	436	482	470	510 443 679 II 72 272 409	500	568
406	460 482	437	481			501	573 574
		438	480				
		439	481				
		440	483				

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
629	I 729	662	I 753 757	696	I 787 792 789	730	II 5 ss.
630	730	663	757	697	789 790	731	15 16
631	730	664	757	698	787 795	732	17
632	733	665	757	699	787 797	733	18
633	734 s.	666	757	700	796	734	19
634	734	667	758	701	797	735	19 232
635	734	668	750 757 759	702	796 798	736	20
636	734	669	763	703	800	737	21
637	738 749	670	763	704	791 800	738	23
638	739 741	671	763	705	791 800	739	23
639	739	672	764	706	800	740	23
640	741	673	769, s.	707	796	741	24
641	741 203 762	674	762 771	708	806 808	742	25 s.
642	742 762, s.	675	772	709	806	743	27
643	744 749, ss.	676	775	710	802	744	28
644	746, s.	677	776	711	803 807	745	29
645	747, s.	678	777	712	803	746	30
646	748 750, ss. III 589	679	778	713	803 806	747	31
647	749 751 762	680	779 III 6 s.	714	806	748	32
648	762	681	780	715	789 803	749	38
649	750 753	682	782 684	716	804	750	33
650	751 753 754	683	783 685	717	804	751	33
651	753	684	784 686	718	806	752	34 s.
652	755	685	785	719	805	753	39
653	756 759	686	600 785	720	810	754	36 s.
654	750 757	687	785 789	721	810	755	41
655	750 757	688	787	722	811	756	40
656	750 757	689	787	723	811	757	41 s.
657	753	690	787	724	812	758	43
658	753 757	691	787 789	725	810	759	25 s. 38 41 45
659	753 757	692	789 793	726	II 2	760	38 41
660	753 757	693	789 791 794	727	5 s.	761	44
661	753 757	694	789 792	728	5 ss.	762	49 s.
		695	789 792	729	13 III 597		

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
897	II 178	931	II 216 s.	965	II 241	997	II 246 264
898	178	932	215	966	241 III 576	998	265
899	180	933	215	967	241	999	265
900	179	934	219 s.	968	242 s.	1000	266
901	182	935	221	969	239 s. 244	1001	267
902	180	936	219	970	244	1002	268
904	186 ss. III 571	937	222	971	243 418	1003	268
905	185	938	I 503 II 223	972	247 704	1004	268
906	182	939	II 224	973	244	1005	268
907	182	940	225 229	974	244 III 576	1006	269
908	197	941	225	975	245 s.	1007	269
909	197	942	226	976	245 s. 263	1008	270
910	197	943	227 231	977	248	1009	270
911	200	944	228	978	249	1010	272
912	203	945	230	979	250	1011	272 I 510
913	203	946	232	980	250	1012	274 276
914	209	947	231	981	250	1013	275
915	209	948	234	982	250	1014	279 320 s.
916	211	949	235	983	252 ss.	1015	277
917	211	950	236	984	I 685 II 256	1016	278
918	211	951	237	985	II 254 257 261 348	1017	280 ss.
919	207	952	238	986	254	1018	284
920	205	953	238 III 573	987	259 261 III 494	1019	285
921	212 213	954	238	988	254	1020	286 s.
922	212	955	238 III 576	989	255	1021	287
923	213 557	956	239 241	990	261	1022	288
924	208	957	I 367 II 237	991	261	1023	289
925	214	958	II 241 III 615	992	262	1024	290
926	201	959	241	993	263 III 576	1025	290
927	214	960	239	994	241 263 III 576	1026	289
928	206	961	241	995	263	1027	292
929	218	962	241	996	246	1028	291
930	201 214	963	241			1029	289
		964	I 726 II 237 ss.			1030	290 293

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
1031	II 290 293	1064	II 334	1097	II 398 ss.	1129	II 440
1032	292	1065	335	1098	353 s. 391 403 ss. 409	1130	441
1033	293	1066	335	1099	298 344 391 407	1131	443
1034	293	1067	337	1100	408	1132	444 s.
1035	295 s.	1068	340 s.	1101	408	1133	446 ss.
1036	297	1069	338 ss.	1102	310 408 413	1134	450
1037	297	1070	344 345	1103	409 I 510	1135	451
1038	298	1071	346	1104	410	1136	452
1039	299	1072	347	1105	410	1137	453
1040	300 303 345	1073	348	1106	410	1138	455 s.
1041	300	1074	350	1107	I 510 II 410	1139	457
1042	302 361	1075	351	1108	II 300 411 s.	1140	457
1043	306 ss. 347	1076	307 353 ss.	1109	413	1141	458
1044	311 s.	1077	358	1110	415	1142	459
1045	308 ss. 311	1078	361	1111	416	1143	460
1046	311	1079	364	1112	417	1144	462 s.
1047	311 315	1080	328 366	1113	418 710 s.	1145	464
1048	314	1081	367 450	1114	419	1146	465
1049	314	1082	369	1115	419 s.	1147	465 490
1050	314	1083	370	1116	256 421	1148	466
1051	315 421	1084	371	1117	421	1149	467
1052	315	1085	372	1118	424	1150	468
1053	316	1086	373 s.	1119	425 s.	1151	469
1054	I 133 II 302 318 360 III 563	1087	376 418	1120	427 ss.	1152	469
1055	II 321	1088	377	1121	430 ss.	1153	469
1056	323 827	1089	378	1122	432	1154	470
1057	324	1090	378	1123	433	1155	471 487 500 506 514
1058	326	1091	378	1124	433	1156	471 481 487 490 500 514
1059	328	1092	379 ss.	1125	430 s. 435 436	1157	I 312 II 471
1060	330	1093	382	1126	427	1158	II 472
1061	331	1094	391	1127	279 437	1159	472 s.
1062	332	1095	392 ss. 396 403 ss. 408 470	1128	439	1160	474
1063	333 III 518	1096	396 403 ss.			1161	475

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
1427	II 757	1460	II 786 ss.	1494	II 816	1525	I 610 II 847
1428	I 462 II 758	1461	789	1495	I 789 II 817 s.	1526	II 848 III 77 s.
1429	757 771 826	1462	789	1496	II 818	1527	848
1430	760	1463	789	1497	I 789 II 819 s.	1528	845
1431	763	1464	790	1498	II 820	1529	849 ss. 871
1432	763 ss.	1465	791	1499	821	1530	852 854
1433	765	1466	792	1500	757 822	1531	II 852 862
1434	766	1467	792	1501	822	1532	I 608 II 854 859 s. 862 s. III 77 s. 547
1435	I 458 II 766 s.	1468	792	1502	824	1533	II 855
1436	II 768	1469	793 s.	1503	823	1534	856
1437	768	1470	782 795 s.	1504	825	1535	857
1438	769	1471	779 s.	1505	826	1536	857
1439	770	1472	797	1506	826	1537	858
1440	771	1473	798	1507	I 146 504 II 20 825 827 III 549 614	1538	859 s.
1441	772	1474	799	1508	II 828 s. III 147	1539	861
1442	768	1475	800	1509	830	1540	861
1443	I 459 II 773	1476	801	1510	830	1541	862
1444	I 459 II 391 773	1477	802	1511	831	1542	863
1445	I 459 II 773	1478	803	1512	833	1543	864
1446	II 774	1479	803 852	1513	835	1544	865
1447	774	1480	804	1514	834 836	1545	866
1448	776	1481	805	1515	836	1546	865
1449	778	1482	806	1516	836	1547	867
1450	780	1483	807	1517	836 870	1548	868
1451	781	1484	808	1518	839	1549	868
1452	782	1485	808	1519	840	1550	I 606 718 II 869
1453	782	1486	809	1520	748 841	1551	870
1454	783	1487	810 s.	1521	843 s.	1552	III 3 4
1455	777	1488	811	1522	I 443 II 844	1553	6 7
1456	784	1489	813 s.	1523	I 443 II 845	1554	7
1457	785 791	1490	813	1524	846	1555	8 142 s. I 323
1458	785	1491	813 865				
1459	786	1492	814 s.				
		1493	815				

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
2369	III 572	2381	III 365 585	2393	III 598	2404	III 610
2370	573	2382	586	2394	599	2405	611
2371	574	2383	587	2395	600	2406	564 612
2372	575	2384	588	2396	601	2407	613
2373	576	2385	589	2397	602	2408	614
2374	577	2386	590	2398	603	2409	615
2375	578	2387	591	2399	604	2410	615
2376	580	2388	592	2400	605	2411	616
2377	581	2389	593	2401	606	2412	617
2378	582	2390	595	2402	607	2413	618
2379	583	2391	596	2403	608	2414	619
2380	584	2392	597				

RERUM

INDEX ALPHABETICUS

N. B. *Numeri indicantur marginales.*

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Numeri indicantur marginales.

Imprimé en Belgique

MECHLINIÆ, H. DESSAIN

EPITOME IURIS CANONICI

TOMUS III (3ª ed.)

SUPPLEMENTUM (ad d. 15 mart. 1928)

n. 79, 2°. Acatholicus, sive baptizatus sive non baptizatus, etiam in causa matrimoniali partes *actoris* agere non potest, nisi ob causam specialem *S. O.* veniam dederit (*S. O.*, Resp. 18-27 ian. 1928) (1).

(1) *AAS.*, XX, 1928, 75.

n. 279, 3. In omnibus causis matrimonialibus, inter partem catholicam et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, quomodocumque ad S. Sedem delatis, S. O. est exclusive competens, salvo praescripto can. 1557, § 1, 1° (1).

(1) Cf. *S. O.*, Resp. 18-27 ian. 1928. — *AAS*, XX, 1928, 75.

DATE DUE

PRINTED IN U.S.A.